Digitized by Google

*31. K. 30.

MENTEM ALIT ET EXCOLIT

K. K. HOFBIBLIOTHEK
ÖSTERR. NATIONALBIBLIOTHEK

*31. K. 30

Digitized by Google

ACTA ERUDITORUM

ANNO M DCC X

publicata,

Cum S. Cæſareæ Majeſtatis & Regis Pol. atque Elect. Sax. Privilegiis.

LIPSIÆ,

Proſtant apud JOH. GROSSII Hæredes,

JOH. FRID. GLEDITSCH & FIL.

&

FRID. GROSCHUF.

TYPIS VIDUÆ CHRISTIANI GOEZI.

A. M DCC X.

Digitized by Google

KAISERLICHE KOENIGLICHE HOFBIBLIOTHEK WIEN
Digitized by Google

Lectori Benevolo Salutem

PRodit Annus Actorum Eruditorum vigeſimus nonus, cui ſi præter Annos reliquos addideris tres Supplementorum & duos Indicum primi & ſecundi Decennii tomos, habebis volumina integra triginta quatuor. Urgetur præterea adhuc Supplementorum Tomus quartus, cujus jam tum Sectio VIII prodiit, & prodibunt reliquæ intra paucas ſeptimanas. Neque enim Te ignorare volumus, cum plures indies libri novi ex omnibus oris ad nos perferantur, & ſocii quoque laboris noſtri ab aliquo tempore complures acceſſerint Viri eruditiſſimi ac maxime induſtrii, & plura ſubinde nos Supplementa edere, & his non libros tantum aliquot abhinc annis editos

)(2 *tos*

tos, verum & recentiſſimos atque omnis generis optimos inſerere conſtituiſſe; ut adeo, qui ſuorum operum recenſiones in ipſis Actis non invenerint, in Supplementis eas quærere debeant. Cum vero et chartæ hactenus anguſtia obſtiterit, quo minus Eruditorum ſubinde exſtinctorum vitas fuſius ediſſerere liceret, plurimum Te rogatum cupimus, Lector benevole, ut ſi qua tibi de Eruditis noſtris, qui diem obierunt, innotuerint, ea nobiscum liberaliter communices, quo hunc quoque, ſiquis fuit, defectum ſupplere pro virili noſtra valeamus. Ceterum qualescunque conatus noſtros favore, quo hactenus conſueviſti, proſequere. Vale.

Digitized by Google

ACTA ERUDITORUM,

publicata Lipſiæ

Calendis Januarii Anni M DCC X.

CORNELII VAN BYNKERSHOEK, JCTI & Senatoris, Obſervationum Juris Romani Libri quatuor, in quibus plurima Juris Civilis aliorumque Autorum loca explicantur & emendantur.

Lugduni Batavorum, apud Joan. van der Linden, jun. 1710,4.
Alph. 2 plag. 18.

Ex quo in Curiam ſupremam, quæ Hollandiæ, Zeelandiæ, Friſiæque nomine Hagæ Batavorum eſt, cooptatus fuit Vir illuſtris, Cornelius van Bynkershoek, novum utique ac ſplendidiſſimum ſidus Jurisprudentiæ Romanæ affulſiſſe dicendum eſt. Laudavimusque erudita tanti Viri ſpecimina dudum, Tomo III Suppl. p.219 & A.1703 p.322. Sed nunc ſacro velut ac venerabili ori illius longe plura debere ſe profitentur, quibus maſcula illa & ſolida Jurisprudentia, quæ in quovis foro certiſſimas præſtat regulas, & nunquam temere polluitur, cordi eſt. Quæ enim latebant hactenus inter Adverſaria Dn. Autoris pridem collecta, jam demum ex illis deprompta & curis ſecundis interpolata, decore admodum in publicum prodeunt. Et quanquam potuiſſet plurima addere ex Obſervationibus fori Belgici, hactenus tamen, quia ejus conſilii diſtinctos videbat eſſe fines, abſtinuit, variasque interim Leges Juris Romani ab injuriis petulantium Criticorum defendere, varias etiam, cum alia remedia non ſuppeterent, emendare inſtituit. Poſtulaſſe ait autem ab ipſo hoc ſtudium erga Jus Romanum ipſam muneris ſui rationem. Cum enim in autoribus paſſim editis ſenſus tantum, & ſolus fere

Digitized by Google

nitor perdatur, in judicio ſæpe perdi rem & fortunam hominis. Aliud quippe Juris eſſe poſſe, ſi hoc, quam ſi illo modo fuerit ſcriptum. *Ecce*, inquit, *ejus artis uſum, quem in medio foro expertus ſum.* Sempronius agit apud Senatum ſupremæ illius, quam diximus, Curiæ contra Mevium ad exhibendum. Mevius excipit, eum *non dicere argumenta rei de qua agebatur, l. 3. pr. ff. ad exhib.* Ad hæc Sempronius, deſignaturum ſe tunc, ubi fuerit exhibita res, in actione vindicatoria. Ut vero nunc deſignet, deſcribat & dicat illius argumenta, fruſtra exigi ante exhibitionem. Sic Senatum, ait Noſter, 7 Febr. 1705 ſecundum Sempronium pronunciaſſe, & omnino recte. Cum autem obſtaret autoritas *d. l. 3. pr.* ſe, cum rogaretur ſententiam, reſpondiſſe, locum omnino mendoſum videri, & una litera facile reſtitui, ſi pro *dicere* legamus *diſcere*. Nimirum ejus actionis ad exhibendum hanc cauſam eſſe, ut actor *omnia noſſe debeat, & diſcere argumenta rei, de qua agitur;* in Rei Vindicatione vero dicere illa poſtmodum debere: hic ergo diſcere, ut ibi dicat. Atque ita pridem ſe emendaſſe in Adverſariis, nec dubitaſſe amplius, poſtquam id notatum viderit in margine Editionis apud Sennetonios, Lugduni 1549. Vides, inquit, interim, quam utilitatem, etiam præſentem, habeat cura emendandi, & quanto in cauſis agendis & judicandis ſubſidio eſſe queat. Caute tamen monet, ſe nullius unquam emendationis autorem fore, niſi de neceſſitate & de modeſtia conſtet, & deteſtari brutam criſin, quæ particulam, quam *ſalutarem* vocant, addit, demit, totos verſiculos ejicit, alios reſcribit, quaslibet notas fingit, Gloſſemata continuo increpat, quavis denique ratione ferre medicinam quærit. Enimvero ſcire ſe, ab una *particula ſalutari* pendere quandoque ſalutem hominis, & ea addita Titio deberi, quod nunc, ſi legem ſequamur, deberetur Mevio. Neque etiam unius eſſe hominis, præſcribere regulas emendandi in Jurisprudentia, ſed ſæpe ipſos illos falli, qui has quaſi ex tripode dictant: ſemperque licere dubitare, an ea regula conveniat loco, de quo agitur. Eſſe in re Critica quandam quaſi ingeniorum felicitatem, quæ, utut regulis iſtis ſoluta, emergat: dum alii, etiam profunde eruditi, & qui non emendant niſi ex formula, magnis tamen excidant auſis. Subſidiis vero artis hujus Noſtrum

Digitized by Google

ſtrum abunde inſtructum eſſe, paſſim apparet; adeo ut niſi Baſilicis quoque ſententiam rogatis, & adhibito Jurisprudentiæ Græcæ reliquo apparatu, ſolide neminem ſapere arbitretur. Hæc nobis quum ſola ſuppeditarit doctiſſimi operis Præfatio, pauciora ipſarum Obſervationum a nobis argumenta forte deſiderabunt, & ad pulcherrimum theſaurum ſtatim amplectendum ipſimet properabunt Lectores. In prima enim ſtatim Obſervatione altius inſidet Noſtro reverentia Legum Romanarum, quam ut ſibi perſuadeat conſtitutum fuiſſe in XII Tabb. ut debitor pluribus creditoribus addictus ob inopiam in partes ſecari poſſit, attributa cuique cadaveris parte. Sic igitur exponit verba Gellii Att. Noct. 20, 1, tertiis nundinis teneri debitorem in uſuras ſortis, in quam damnatus eſt; quod ibi dicitur, *capite pœnas dabant. L. 2. C. de uſur. rei judic. L. 40. ff. de reb. cred.* Si creditor uſuris his contentus vel ſecurus non ſit, debitorem ei addicendum, ut manibus ſolvat ex opere, quod pecunia non potuit; vel trans Tiberim vendendum. Si plures ſint creditores, vendendum debitorem in auctione publica ipſis nundinis; *tertiis nundinis partes ſecanto; ſi plus minusve ſecuerint, ſine fraude eſto*, i. e. nemini hoc fraudi fore, cum res acta ſit publice. Ubi Varronis Feſt que teſtimonia afferuntur, & caſtigantur præterea, quæ a Claudio Salmaſio, Deſiderio Heraldo, & Annæo Roberto in hanc rem fuere ſtrictim dicta. Sed & Gellium ipſum & qui apud eum loquuntur, aſſecutos non videri priſcum ſermonem, eoque in alia omnia delapſos. Porro in *L. 4. pr. C. de Hæret. & Manich.* dubitabat Noſter Obſ. XII Lib. 1, an bene habeat quod ſcriptum eſt, *Manichæos ſeu Manichæas, vel Donatiſtas perſequimur.* Potuiſſe enim Manichæorum nomine etiam mulieres contineri, ut Arrianorum, Macedonianorum & ceterorum in *L. 5. C. eod.* Suſpicatur ergo, in textu fuiſſe *Manichæos ſeu Mannichæos*, imperitum autem ejus rei ſcribam bis eosdem dici exiſtimaſſe atque adeo ſcripſiſſe *Manichæos ſeu Manichæas*, ut uterque ſexus exprimeretur. Contra oſtendit Noſter ex Auguſtino de Hæreſ. §. 46, Manetis diſcipulos præceptorem ſuum in Græcia, ut vitarent nomen τῆς μανίας, appellaſſe geminata N litera Mannichæum, quaſi manna fundentem. Et hinc duplicem in textu noſtro na-

tam ſcripturam, *Manichæos ſeu Mannichæos*. Baſilicos tamen ſequiorem ſexum ſimiliter expreſſiſſe; ut ita mendum, ſi mendum, antiquiſſimum ſit. Abeſſe vero a Codice Theodoſiano, *l. 40 de Hæret*. Peracute omnia.

THE PHYSICIAN'S PULSE-WATCH.

i. e.

PULSUUM HOROLOGIUM MEDICUM, ſive, Tentamen antiquam pulſum tangendi artem explanandi, eamque horologii pulſuum auxilio promovendi; Autore JOHANNE FLOYER.

Londini, apud Sam. Smith & Benj. Walford, 1708, 8. Alph. 1 plag. 6½.

CUm Clariſſ. Autor inſignem guſtatus & odoratus in medicamentis æque ac humoribus explorandi utilitatem jamjam in iis declaraverit opuſculis, quæ *Lydium Lapidem Medicamentorum* atque *de præternaturali ſtatu animalium humorum* inſcripſit, quæque non minus ac duo alia, *de balneis frigidis* atque *aſthmate*, in *Actis* recenſuimus, in præſenti totus deprehenditur in egregio pariter uſu, qui ex tactu in Medicum redundat, dilucidando. Præfat. Vix enim aliud occurrere objectum reputat, in quo Medicus exquiſitum experiatur & comprobet tactum, quam pulſum, veluti ad cujus differentias exacte dignoſcendas vel multorum annorum experientia, teſte Galeno, requiratur. Veterum tamen Græcorum multum admiratur diligentiam, qua in cognitionem uſuum effectuumque facultatis pulſificæ pervenerint, etiamſi veram pulſus cauſam, ipſis fatentibus, ignoraverint, multo minus ullam menſuram certam ad pulſus excedentes & deficientes diſcernendos adhibuerint. Nullus proin dubitat, quin ex pulſu, ſi hic ad aliquam examinetur menſuram, non ſolum cum Græcis certior naturalis & præternaturalis ſanguinis ac ſpirituum ſtatus diagnoſis & prognoſis, ſed & cum Sinenſibus veriores indicationes pro morborum medela, valeant obtineri. Ipſe ſiquidem ad minutum horologii portatilis, pendulo inſtructi, pulſum ægrorum per multos primum exploravit annos; poſtea in clepſydram mari-

Digitized by Google

marinam arenariam, minuta horarum quæ deſignat, incidens ad hanc pleraque in ſe ipſo experimenta fecit; ſed quia talis ſecum portari habeatur inepta, in ægrorum demum pulſum horologio inquiſivit & adhuc inquirit, quod ſexaginta ſecunda emetitur, interdum etiam clepſydra arenaria, quæ non niſi minuti dimidii menſuram comprehendit atque capſæ inſtar laternæ ſecretæ verſatili inhæret. Utramque nihilominus machinam poſteriorem ad clepſydram minutariam, tanquam normam, rectificare habuit neceſſe & aliquot pulſuum ictus demere vel addere, prout minuti curſum ab horologio paulo celerius, a clepſydra vero ſeminimutaria tardius, vidit abſolvi. Sicque certæ menſuræ adminiculo in proclivi Noſtro fuit accuratius, tum pulſum naturalem & præternaturalem cognoſcere, tum ex præternaturali indicationes eruere, h. e. perſpicere pariter, quot pulſuum ictus minuti intervallo in ſtatu, cum ſano, tum morboſo, edantur, atque ex pulſu, vel excedente, vel deficiente, indicationes elicere, omnia vero & cum Græcorum, maxime Galeni, cujus de pulſu libros magna cum cura evolvit, & cum Sinenſium obſervatis conferre, utrorumque errores corrigere, atque in tres digeſta partes, quo ab aliis poſthac confirmentur, in lucem hic emittere. Parte Cap. I. namque prima locis indigitatis, quibus Hippocrates ob morborum diagnoſin & prognoſin Medicis pulſum præcipit obſervandum, ante omnia circa Galeni de pulſus natura, utilitate & differentiis ſententiam occupatur, alia in ea refutans, alia emendans, epitomen vero ejus de pulſu tyronibus magis, quam tractatum ipſum commendans, quod notionibus Logicis & Geometricis minus turgeat. Rejicit nempe, cor & arterias ſe follium inſtar dilatare atque a cordis ventriculo dextro ſanguinem per venam cavam, a ſiniſtro autem aerem per arteriam pulmonalem attrahi; rejicit, digitos pulſum explorantis ab arteriæ contractione feriri, pulſumve humidum vel ſiccum deprehendi. Curioſiorem duorum pulſus intervallorum diſtinctionem cum rhythmo aliiſque Veterum de dimenſionibus pulſus obſervationibus inutilitatis arguit: oſtendit vero, quomodo uterque pulſus naturalis uſus, quorum alterum in ſpirituum vitalium a corde generatione, alterum vero in fuliginum ab arteriis ex pulſione Galenus colloca-

Digitized by Google

vit, rite queant explanari. Hinc pulſificam Veterum facultatem verius in partium, ſanguinis circulo inſervientium, ſtructura mechanica ita ſcrutatur, ut arteriæ pulſum ſive diaſtolen ipſi ſanguini, a corde propulſo & pro roboris, magnitudinis, celeritatis, frequentiæ & æqualitatis diverſitate diverſam in digitos impreſſionem facienti, adſcribat, ſyſtolen vero propriis arteriæ adjudicet fibris annularibus, non magis ſe contrahentibus, quam a ſanguine irruente fuerint dilatatæ. Et quia venæ quadruplo latiores exiſtant arteriis, ſanguis vero in arteriis contentus inſequenti renitatur, arteriæque figuram obineant conicam, prioris intuitu ſan-
Cap. 2. guinem in arteriis triplo vel quadruplo celerius, quam in venis, ratione autem poſteriorum, ſanguinem in arteriæ principio celerius, quam in extremitatibus, moveri annotat, omnem ſanguinis circulum in viro, pondus ℔ 160 adæquante ac tredecim ſanguinis libras continente, vel vigeſies intra horam abſolvi ex eo colligens, quod, corde non niſi unciam unam, quantum videlicet dextra ejus auricula capit, propellente, ſanguinis ℔ IV & ℥ VI minuti ſpatio, quo 70 pulſuum ictus in corpore ſano repetunt, per cor ſoleant transferri. Naturalem tamen pulſum, qui magnitudine, robore, celeritate ac frequentia moderatus & æqualis habeatur, ab externo aeris calore, diverſa ſanguinis quantitate, diæta & medicamentis poſſe alterari, ultro concedit, qui ſanguinis per venas reditum a circularibus harum fibris partium tono atque potiſſimum venæ cavæ & portæ inſpirandum inter compreſſione, deducit ac triplicem circulationis ſanguinis uſum naturalem, in debita videlicet hujus craſi conſervanda, ſpirituum animalium & humorum laudabilium ſecretionibus, excrementitiorum autem humorum excretionibus promovendis, exponit.
3 Tum, etiamſi naturalis pulſus magnitudo non tam verbis deſcribi, quam experientia longa in ſubjectis diverſis diſcerni detur, pulſum nihilominus magnum & parvum, celerem & tardum, fortem & debilem, durum & mollem, frequentem & rarum, æqualem & inæqualem, non minus ac eorum combinationes diverſas variasque ſignificationes, ſtudet enodare ſuisque e cauſis derivare, ex omnibus autem pulſuum differentiis eam ceu utiliſſimam & certiſſimam commendare, qua pulſum excedentem alium,

Digitized by Google

alium, alium deficientem ſtatuminat. Per experientiam quippe ſuppoſito, pulſum in ſtatu perfecte ſano intra minutum ſeptuageſies vel ſeptuageſies quinquies recurrere, pulſum excedentem experientiæ itidem innixus appellat, qui in ſubjectis morbisque calidis a 75 ad 80, 85, 90, 100, vel 120 quovis minuti ſpatio repetat, deficientem contra, qui in ſubjectis atque morbis frigidis a 70 ad 65, 60 vel 55 intervallo minuti redeat. Ad res porro naturales, nonnaturales & præternaturales acceſſum faciens, a quibus pulſus alteretur, res inter naturales temperamentum, ſexum, ætatem, anni tempora atque corporis habitum perpendit; Cap. 4. & quemadmodum temperamento ſanguineo pulſum moderatum attribuit, in quo 70 vel 75 ictus intra minutum obſerventur, ita temperamentis calidis pulſum excedentem, frigidis autem deficientem tali adſignat ratione, ut ſpatio minuti in temperamento cholerico a 75 ad 80, in ſalino ſive calido ſalſo, ab 80 ad 85, in atrabilario ſeu melancholico calido ab 85 ad 90, ex contrario in pituitoſo a 70 ad 65, in ſeroſo a 65 ad 60, in melancholico frigido a 60 ad 50 annotet pulſus ictus. Viris pulſum vehementiorem & majorem, quam fœminis, ceu calore plerumque viris cedentibus, æque largitur ac macilentis præ corpulentis; in ſenibus autem pulſum parvum, tardum & rarum, in infantibus frequentem celerem & parvum, in juvenibus magnum & vehementem invenit. Vere ac autumno, dum aer occurrit temperatus, pulſum magnum & vehementem, æſtate autem & in regionibus calidioribus, quoniam aer calidior, pulſum celerem & frequentem deprehendit. In ſpecie ad æquatorem, aere calidiſſimo exiſtente, pulſum parvum, languidum, celerem & adeo frequentem, ut vel centies ac vigeſies intra minutum repetat, circa gradum vero 45, ubi aer temperatus, pulſum quoque moderatum, i. e. 75 ictuum, ſuſpicatur, cum in Anglia, Septentrioni viciniore, pulſus inter 70 & 75 remeet, ſub Septentrione autem, tanquam climate frigidiſſimo, æque ac hyeme, pulſus minor & tardior habeatur & non niſi trigeſies intervallo minuti recurrat. Autor in ſe ipſo ultimo Januarii intra minutum mane 83, ab exercitio mediocri 100, ante meridiem 76, a meridie 86, ſub hora octava veſpertina 81 pulſus advertit ictus. Neque abſimiles Cap. 5. pul-

pulſus alterationes a rebus non naturalibus, in quantum hoc ſanguinem & ſpiritus ſimili alterent modo, commemorantur, in parvis ſaltem thermometri mutationibus nullam pulſus mutationem ſignificari, pulſum vero a diæta, exercitiis & affectibus animi inſigniter alterari, proprio Autoris exemplo corroboratur.
Cap. 6. Sed morbos quod concernit, ex pulſu, quem alterant, cognoſcendos, equidem ſolidarum partium morbi, nec conformationis ſive organici, nec compoſitionis ſive continuitatis & contiguitatis ex pulſu innoteſcunt, quoniam vero in ſanguinis & ſpirituum diſpoſitionibus præternaturalibus pulſus afficitur, fuſe præterea monſtratur, quomodo pulſus in humorum abundantia ſive plethora vel defectu, in eorundem ebullitionibus, in vaſorum obſtructionibus, præternaturalibus humorum evacuationibus, morbis ſpirituum aut denique ventriculi ipſius notabiliter alterentur, adeoque morbi a plethora, meraſmus, febres, catarrhi, dolores, inflammationes, ſuppurationes, polypi, varices, ſcirrhi, multique
7. alii ex pulſu queant indagari. Unde pulſus etiam eo majus in morbis periculum portendere aſſeritur, quo magis ille a naturali deprehendatur recedere, imprimis autem in febribus malignis a pulſu formicante & vermiculoſo, in febribus intermittentibus a pulſu intermittente, & in pleuritide a pulſu vere parvo, duro ac frequente mortem denunciari, aſt humorum in febribus coctionem expectari, ſi pulſus parvus, languidus, inæqualis, celer, cum magno, vehemente, æquali, minusque celeri commutetur. Pro
8. pulſus denique exploratione dirigenda jubetur primum, ut pulſus naturalis ejusque uſus ſolicite perpendatur, deinde ut pro cujuslibet pulſu ſano detegendo hic in ſtatu optimæ valetudinis mane potiſſimum examinetur, antequam ciborum aſſumtione, exercitiis, aliisve caſibus fortuitis ille alteretur, numerusque ictuum, intra minutum contingentium, ad Autoris exemplum computetur. Ideoque a prudentioribus etiam poſtulatur ægrotis, ut adhuc ſani in pulſum proprium mane ad normam commendatam inquirant, quo de numero ictuum pulſus, quem in ſtatu ſano deprehenderunt, Medicum erudire effectumque remediorum ab hoc præſcriptorum in pulſu immutando percipere poſtea ipſi valeant. Cognito enim pulſu naturali, in ſtatu morbido

Digitized by Google

bido ex ictuum exceſſu vel defectu haud difficulter conſtare Medico, num pulſus excedat, an deficiat, adeoque an ſanguis & ſpiritus rareſcant, ſecretiones amaræ, acres, ſalinæ, acidæ fiant, atque excretiones humorum ſecretorum violentius contingant, an e diverſo ſanguis & ſpiritus denſiores, frigidiores & crudiores exiſtant, omnesque ſecretiones perverſe procedant, prout variis hoc morbis in ſpecie denuo illuſtratur. Dum vero ratio ſimul rerum naturalium & præternaturalium, pulſum alterantium, debet haberi, pulſus vel per quadrantem horæ explorari meretur, non tam duobus vel tribus digitis, quam pro exactiori examine unico digito, & cum Autore pollice ipſo, ubi manus prius aliquantum ad carpum arteriæ relaxandæ gratia fuerit inflexa, aut in pulſu debili potius extenſa. Atque in hac Pulſus theoria, ex anatomica non minus ac medica experientia hactenus deducta, nova fundatur methodus mechanica, cum ſanitatem conſervandi & vitam prolongandi, tum morbos curandi, quam Autor in Parte ſecunda uberius it propoſitum. Naturali enim pulſu per horologium inveſtigato, talis debito rerum non naturalium uſu ſuadetur conſervandus, Angliſque, quorum aer ad frigus magis quam ad calorem vergit, liquores & balnea frigida in valetudinis tuendæ gratiam præſcribuntur. Sin naturalis ſanguinis circulatio immutari & vel decrementum, vel incrementum capere advertatur, ibi exercitia, frictiones, balnea tepida, diæta calida, calidi ſapores & alimentorum, & medicamentorum, hic autem aer frigidus, diæta frigida, balnea frigida, ſomnus, quies, metus, ſudoriſque ac urinæ excretio, præcipiuntur; pulſumque ſemper a jejunio, tam matutino, quam veſpertino, itemque a transpiratione aucta, imminui, e diverſo autem a ventriculo pleno & excernendis humoribus retentis augeri, pro certiſſimo aſſeritur. Neque vita difficulter prolongabitur, modo in vigore ſpirituum animalium, naturali ſanguinis craſi & rarefactione, debitis ſecretionibus & excretionibus, ac recta partium ſolidarum & fluidarum diſpoſitione, per media indigitata conſervandis, impendatur opera. Longævorum tamen pulſu exiſtente magno & raro, in tabula diverſorum ſenum, qualis in noſocomio notatus fuerit, exprimitur pulſus, atque ille ſenex, cujus

Cap. I.

B pul-

Digitized by Google

pulſus minuti ſpatio ante meridiem 60, a meridie vero 100 ictus
Cap. 2. erant, colligitur hecticus. Aſt morborum medela quo mechanice procedat, in morbis calidis, ex pulſu excedente patentibus, non niſi methodus refrigerans, in frigidis autem morbis, qui per deficientem pulſum innuuntur, calefaciens poſtulatur methodus, variis nihilominus obſervatis cautelis, ne pulſus a Medico nimium aut intendatur aut deprimatur. Qualis morbis ſuccurrendi ratio, arti ſphygmicæ ſuperſtructa, tanto certior affirmatur, quanto certius ex pulſu non ſolum morbus, ſed & remediorum quantitas & qualitas, morbi itidem magnitudo ac robur ægroti, queant cognoſci. Speciatim ad pulſus excedentis cura-
3. tionem, tum balnea frigida, quies, ſomnus, diæta frigida, metus & triſtitia, nec non humorum evacuationes, tum venæ ſectio, cathartica lenia, & ex alterantibus frigidis, ſtyptica, mucilaginoſa, acida, aquoſa & opiata, balnea calida & exercitia multa, quatenus ſudorem moveant, mercurialia, jejunium, omnes ſanguinis evacuationes, ligaturæ & pericarpia refrigerantia, motio muſculorum tonica, arteriæ compreſſio, variaque aquæ frigidæ affuſio,
4. injunguntur. Econtra in pulſus deficientis medela, non ſolum exercitia, aer calidus, diæta calida, gaudium & ſtudia, vigiliæ atque excretiones retentæ, ſed & remedia acria, cauſtica, aromatica, dulcia, amara, odorifera, ſalia alcalica fixa & volatilia, nauſeoſa, emetica, ſternutatoria, liquores calidi, veſicatoria, balnea frigida, in quantum poros conſtipent, atque evacuationum ſolennium ſuppreſſiones, commendantur. Qua occaſione acidulæ Bucoſtenienſes, aliorſum etiam translatæ, & ſive frigidæ, ſive calefactæ hauſtæ, aliis acidulis & thermis, in pulſu augendo & pulmonibus hecticorum abſtergendis, multum præferuntur, methodusque Autoris ſubveniendi hecticis per iſtas acidulas calefactas, venæſectionem, equitationem, corticem Peruvianum cum diacordio, atque balneum frigidum communicatur. Tandem omnem ejusmodi methodum mechanicam morbis ex pulſu me-
1. dendi Autor in Parte tertia per Sinenſium artem, cum pulſum explorandi, tum pulſum præternaturalem curandi, illuſtraturus, partim ex *Samedo Luſitani & le Counte Relationibus, generali Sina deſcriptione a legatione Societatis Batavorum Indiæ Orientalis edita*

edita atque *Dn. Wotton Animadverſionibus de Veterum ac Recentiorum Eruditione*, planum facit, quod Sinenſes artem verum indagandi pulſum, longe etiam ante Galenum, invenerint, ſententiæ tamen eorum de differentiis pulſuum ex fundamentis verioris Anatomiæ debeant emendari, partim oſtendit, quomodo a Sinenſibus Praxis Medica in pulſus fundetur cognitione atque a nobis pariter veniat imitanda, omnibus aliis quæſtionibus ſuperhabitis, quæ de loco affecto, ſymptomatibus &c. fieri alias ſolent. Eum in finem cum Ciſta Medica diverſæ adjunguntur Tabulæ, quarum aliæ pulſum naturalem ſecundum climata æque ac ætates, aliæ pulſus præternaturales, pulſuumque mutationes, menſibus diverſis annotatas & cum thermometris ac barometris collatas, aliæ denique diætam ex vegetabilibus, & frigidam, & calidam, exhibeant: in Anglorum vero Ciſtæ Medicæ loculis medicamenta omnis generis, adſtringentia, acida, mucilaginoſa, dulcia, amara, aromatica, acria, fœtida, corroſiva, præparata chymica, atque ex animalibus deſumta, comprehenduntur. De cetero, quia Sinenſium Artem inveſtigandi pulſum, a *Cleyero* editam, Autori videre haud licuit, niſi tribus ad finem perductis Partibus, quas adhuc recenſuimus, eundem Appendicis loco ſiſtit excerptum, Sinenſium primum in explorando pulſu directiones, deinde errores, tum differentias pulſuum, hinc alterationes eorum per res naturales & non naturales, porro ex pulſu prognoſin, atque pulſus demum præternaturalis curationem per medicamenta ſimplicia annotandi. Cap. 2.

JOHANNIS KEILL A. M. EX ÆDE CHRIſti, in Academia Oxonienſi, Epiſtola ad Clariſſimum Virum CHRISTIANUM WOLFIUM in Academia Regia Fridericiana Mathematum Profeſſorem.

PErlegi nuper, Vir Cl. eruditum tuum de Aerometria tractatum, in quo multa ſunt notatu digna, multa lectu jucundiſſima. Methodus certe tua, qua ſcientiam Phyſicam pertractandam cenſes, quæque non alia eſt quam Geometrarum, mihi maxime placet; nec diſplicet, quod Introductionem meam ad

veram Phyſicam initio operis notaveris & in ea me pro exiſtentia vacui diſputantem paralogiſmum commiſiſſe aſſerueris. Si enim in illo, quod pro vacuo adduxi argumentum, quicquam deprehendatur fallaciæ, lubentiſſime errorem confitebor, at ſi ratiocinium illud ad accuratiſſimum deductum examen vim demonſtrationis habere cenſeatur, exinde magis eluceſcet veritas & Phyſicæ noſtræ firmiter ſtabilientur principia. Concedis, Vir doctiſſime, gravitates corporum eſſe quantitatibus materiæ in iisdem proportionales meque illius demonſtrationem exhibuiſſe in pag. 16, & quod inde infero, ſc. corporis cujusque pondus ex aucta ſolummodo vel diminuta materiæ quantitate augeri vel minui, adeoque eadem manente materiæ quantitate idem manere pondus, dicis eſſe univerſaliter verum, ſi abſtrahatur ab imminutione ponderis a reſiſtentia fluidi, in quo gravitat, profecta: alias fallere poteſt. At dicis: *dum vacui exiſtentiam exinde demonſtrare contendo, paralogiſmum me committere, quod negari nequit.* Ratiocinium autem meum pro vacuo eſt ejusmodi. Ponamus duos globos, plumbi ſcilicet & ſuberis, æqualium magnitudinum, ſi in utroque eadem eſſet materiæ quantitas, per jam oſtenſa utrumq; corpus æqualiter ponderaret, nam materia ſubtiliſſima poros ſuberis occupans ejusdem eſſet ponderis ac materia plumbi ipſi æqualis, cum vero magnum ſit in hiſce duobus globis ponderum diſcrimen, magnum quoque erit in iisdem materiæ diſcrimen, &, ſi plumbum ſubere ſit triplo gravius, triplo quoque major erit in plumbo contenta materia quam in ſubere, adeoque plures erunt in ſubere pori ſeu plura ſpatia abſolute vacua. Vacuum igitur non tantum poſſibile eſt, ſed actu datur. Dicis jam, me ſic ratiocinantem paralogiſmum committere. Cum enim omnia corpora fluido ſubtiliſſimo innatent, quod eorum poros penetrat, eam quoque ponderis ſui partem in hoc fluido amittunt, quæ gravitatem fluidi mole illis æqualis adæquat. Unde impoſſibile eſt, ut materia ſubtiliſſima intra poros corporum recepta in eadem materia natantium pondus augeat; quemadmodum aqua vaſis, quod replet, pondus intra aquam augere nequit.

Quamvis hæc a te objecta prima fronte ſatis ſpecioſa appareant, nihilominus demonſtrationem noſtram eſſe firmiſſimam, cui

Digitized by Google

cui & ipſe, ſi modo illam attentius perpendas, aſſentieris, atque ejus vim nullo modo illudi poſſe, affirmare non dubito. Et quoniam ad caſum illum, in quo fundata eſt totius noſtri ratiocinii vis, video te non reſpexiſſe, argumentum rurſus proponam & ad caſum tuum medii ſubtiliſſimi accommodabo.

Theorema I. *Corpora, quæ in fluido quovis vi gravitatis eadem velocitate deſcendunt, habebunt pondera in fluido quantitatibus materiæ proportionalia.* Nam quoniam corpora eadem velocitate deorſum feruntur, erunt ipſorum momenta ſeu motuum quantitates ut quantitates materiæ in iisdem per theor. noſtrum ſecundum. At motuum quantitates ſunt ut vires motum generantes & vires motum generantes ſunt corporum gravitates in fluido, ſeu pondera quibus in fluido deorſum feruntur. Quare quantitates materiæ in corporibus æquali velocitate deſcendentibus ſunt ut ipſorum pondera in fluido. Cum vero Viri illuſtres Newtonus & Hugenius multiplici experientia comprobaverunt, corpora omnia abſtrahendo ab aeris reſiſtentia, ſpatia paria cadendo deſcribere; neceſſe erit, ut pondera corporum ſint quantitatibus materiæ in iisdem proportionalia, ſive ſpatium, in quo deſcendunt corpora, ſit omnino vacuum, ſive materia quadam ſubtiliſſima plenum. Ponamus jam duos globos, ſuberis ſcilicet & plumbi, magnitudine æquales in ſpatio vel fluido ſubtiliſſimo eadem velocitate deſcendentes, ſi in utroque eadem eſſet materiæ quantitas, per jam oſtenſa utrumque corpus ſive in fluido, ſive in vacuo æqualiter ponderaret, & materia ſubtiliſſima poros ſuberis occupans & una cum ſubere deſcendens æque ponderaret ac materia plumbi ipſi æqualis, ſunt enim pondera quantitatibus materiæ proportionalia. At quantitates materiæ ex hypotheſi *pleni* ſunt æquales, unde pondera quoque æqualia erunt. Verum horum corporum pondera multum inter ſe diſcrepant, unde non æquales erunt in utroque corpore quantitates materiæ. Vacuum igitur non tantum poſſibile eſt, ſed quoque actu datur.

Ut vero ad id, quod a te adjectum eſt, reſpondeam, dico corpora, quorum pondera in fluido quantitatibus materiæ non ſunt proportionalia, non æqualiter deſcendere, quod oſtenditur per

Theorema II. *Velocitas corporis ſua gravitate in fluido caden-*

 den-

Digitized by Google

dentis eſt in ratione compoſita ex directa ratione differentiæ, qua ejus gravitas propria ſuperat gravitatem fluidi & reciproca ratione gravitatis propriæ ejusdem corporis. Sint duo corpora a & b, quorum moles ſint ut a & b, ſitque fluidum quodvis, cujus gravitas intenſiva ceu propria ſit ad gravitatem intenſivam corporis a ut g ad c; ad gravitatem autem corporis b ſit gravitas fluidi ut g ad d, & erit pondus ſeu materiæ quantitas in corpore a ut ca, & pondus fluidi ipſi mole æqualis erit ut ga, ac proinde ponderum differentia erit ca—ga. Et ſimiliter pondus corporis b eſt db & pondus fluidi mole æqualis eſt gb, ponderumque differentia eſt db—gb. Sed per prop. 7 Archimedis de inſidentibus humido, momentum ſeu vis, qua corpus quodlibet in fluido deſcendit, eſt ut exceſſus quo ejus gravitas ſuperat gravitatem fluidi mole ſibi æqualis. Corporum autem momenta ſunt ut quantitates materiæ & velocitates ſimul. Si itaque velocitas corporis a dicatur V, ejus momentum erit caV. Et, ſi velocitas corporis b dicatur v, ejus momentum erit dbv. Unde erit $caV : dbv = ca - ga : db - gb$, ac dividendo antecedentes per ca & conſequentes per db, erit $V : v = \frac{c-g}{c} : \frac{d-g}{d}$. Q. e. d. Hinc ſi corpora ſint homogenea ſeu ejusdem gravitatis intenſivæ, in fluido eadem velocitate deſcendent. Nam in eo caſu ob $c = d$ erit $\frac{c-g}{c} = \frac{d-g}{d}$, ac proinde $V = v$. Sic etiam vice verſa ſi duo corpora eadem velocitate deſcendant, erunt ipſorum gravitates intenſivæ æquales, nam ob $V = v$ erit $\frac{c-g}{c} = \frac{d-g}{d}$, ac proinde $d = c$. Hinc ſi in fluido corpora æquivelociter deſcendant, tam gravitates relativæ ſeu pondera in fluido quam abſolutæ ſunt quantitatibus materiæ proportionales.

In hac demonſtratione abſtrahendum eſt a reſiſtentia medii, quæ oritur vel ex ejusdem tenacitate, vel ex velocitate corporis deſcendentis, & corpora conſideramus tanquam libere cadentia ea vi, qua ipſorum gravitas ſuperat gravitatem fluidi. Si vas ſphæricum ex materia quavis gravi ut plumbo confletur, cujus

jus quantitas ſit ad capacitatem ut 1 ad 10, ſitque plumbi gravitas propria ad gravitatem aquæ ut 10 ad 1, & vas aqua repleatur & in aqua demergatur, computum ineundo invenietur, velocitatem, quacum deſcendit vas aqua plenum, eſſe tantum dimidiam illius, qua deſcenderet ſphæra ſolida ex plumbo ejusdem ponderis conflata. Hinc ſi daretur fluidum ſubtiliſſimum in corporibus perfectum planum efficiens, non eadem velocitate deſcenderent corpora. Sed uti dictum eſt, experientia comprobatur, omnia corpora eadem velocitate deſcendere, ac proinde nullum eſt iſtiusmodi fluidum ſubtiliſſimum, in quo deſcendunt corpora. Vacuum igitur neceſſario datur. Vides jam, Vir doctiſſime, demonſtrationem meam firmam & inconcuſſam manere, nec profecto ſcio (deletis his, quæ a te objecta ſunt) quid amplius in contrarium afferri poſſit.

TRAITE DE LA CONSTRUCTION ET des principaux uſages des inſtrumens de Mathematique.

h. e.

TRACTATUS DE CONSTRUCTIONE ET præcipuis uſibus Inſtrumentorum Mathematicorum; Autore NICOLAO BION, Mechanico Regio.

Pariſiis, apud Viduam Johannis Boudot & rel. 1709, 8, ch. aug. Conſtat 1 Alph. & 28. Tabb. æneis.

QUi Autoris Tractatum de Uſu Globorum cœleſtium & terreſtrium atque Sphærarum, Pariſiis 1699, & alterum de uſu Aſtrolabiorum tam univerſalium, quam particularium, ibidem 1702 ſermone patrio editum evolverunt, non diffitebuntur, quod accurate ac perſpicue explicet, quæ proponit. Eandem laudem in deſcribendis omnibus Inſtrumentis Mathematicis in Matheſi practica uſurpari ſolitis meruit: quorum cum non modo conſtructionem, ſed & uſum tradat, omnem fere Matheſin practicam, quatenus certis inſtrumentis peragitur, una expoſuit. Ut vero appareat, quantus ſit inſtrumentorum ab eo deſcriptorum appa-

Digitized by Google

apparatus & quarumnam potiſſimum diſciplinarum Mathematicarum praxes doceantur, contenta operis breviter recenſebimus. Agit autem Lib. 1 de circino communi, regula, pennis chalybeis, inſtrumento transportatorio, norma; Lib. 2 de circino proportionatorio & virgulis ſtereometricis; Lib. 3 de variis inſtrumentis tam in officinis artificum, quam in muſæis eruditorum obviis, variis e. gr. circinorum generibus, inſtrumento ellipſes deſcribendi, caratio quo unionum pondus exploratur, pantographio, pedometro, inſtrumento quo horologiorum artifices in dividendis rotis utuntur, armatura magnetis, variis librarum generibus, quas inter *Caſſiniana*, non modo ponderi, ſed & pretio mercis determinando inſerviens, polyſpoſto, ſclopeto pneumatico, æoli pila, microſcopiis; Lib. 4 de inſtrumentis geodæticis; Lib. 5 de libellis ſeu inſtrumentis ad libellationem aquarum neceſſariis, itemque inſtrumentis, quorum in Pyrotechnia uſus; Lib. 6 de inſtrumentis Aſtronomicis; Lib. 7 de inſtrumentis nauticis & tandem Lib. 8 de ſciatheriis ſeu horologiis Solaribus & Lunaribus. Quæ de inſtrumentis Aſtronomicis eorumque in obſervando uſu tradit, ex Philippi de la Hire Tabulis Aſtronomicis depromit. Opus utile non modo ad Matheſin practicam adſpirantibus, ſed artificibus quoque inſtrumenta elaborantibus.

DEMONSTRATIO TETRAGONISMI LUnulæ Hippocratis, a FERDINANDO ERNESTO, Comite ab HERBERSTEIN, Analytice expedita.

ANalyſeos reſtitutor acutiſſimus, Franciſcus Vieta, ut lunulæ ex duorum circulorum exiſtentium in ratione dupla circumferentiis deſcriptæ Quadraturam demonſtret, Lib. 8 Varior. de Reb. Mathem. Reſponſor. Cap. 9 Prop. 2 ſat prolixo utitur ratiocinio, in quo artificium quoddam Analyticum contineri arbitratur; at ſi rem penitius lubeat intueri, patebit vtique, hujus lunulæ Tetragoniſmum ex primis Analyſeos tyrociniis reddi manifeſtum. Eſto enim Fig. 1 circulus $= x^2$ eique inſcriptum

TAB. I. Fig. 1. Quadratum ABCD $= a^2$, quare ſegmentum BFC erit $= (x^2 - a^2):4$ & ſi ex D velut centro radio DA deſcribatur arcus AEC,

ex

TAB. I ad A. 1710 M. Jan. pag. 16.

Fig. 1.




Fig. 2.




Fig. 3.




Fig. 4.




Fig. 5.





Fig. 6.



Digitized by Google

Digitized by Google

ex ipſa conſtructione fit evidens ſegmentum AEC ſegmenti BFC eſſe duplum, atque adeo $= (x^2 - a^2):2$, illoque ablato ex ſemicirculo ABC $= x^2:2$, remanere lunulam AECBA $= a^2:2$. Liquet, itaque Tetragoniſmum tam lunulæ Hippocraticæ, quam aliarum, ex circumferentiis duorum circulorum in ratione tripla & quadrupla aliterve multipla conflatarum, reſectis ambagibus atque independenter a ſpeciali artificio poſſe demonſtrari.

Simili methodo demonſtratur, ſummam lunularum FKHIF, HMGLH Fig. 2 ſub peripheriis FKH, HMG, circumferentiam ſemicirculi FKHMG adæquantibus, & circumferentiis FIH, HLG ſemicirculorum ſuper Diametris FH, HG deſcriptorum, contentarum, æquari Triangulo rectangulo FHG; poſitis etenim Triangulo FHG $= b^2$ ſegmento FKH $= x^2$, ſegmento HMG $= y^2$. lunula FKHIF $= z^2$ lunula HMGLH $= \omega^2$, cum ſemicirculis FKHG ſit æqualis ſemicirculis FIH, HLG ſimul ſumptis erit: TAB. I. Fig. 2.

$$b^2 + x^2 + y^2 = x^2 + z^2 + y^2 + \omega^2$$

demtisque $x^2 + y^2$, fiet $b^2 = z^2 + \omega^2$. Ceterum perſpectum evadit Geometris, occaſione demonſtrationum hoc pacto expeditarnm detegi fundamentum, cujus ope nullo fere negotio conſtrui poſſunt Problemata ſequentibus ſimilia:

1. Tres circulos æquales NOP. (Fig. 3, 4 & 5) tribus aliis inæqualibus NQOR, NSOT, NWOX ita interſecare, ut exceſſus, quo ſumma lunularum NROPN, NTOPN ſuperat lunulas NXOPN, NYOQN ſimul ſumptas, dato circulo ſit æqualis. Fig. 3, 4, 5. 2. Determinare duos circulos NOP, & H (Fig. 4, 5 & 6) eorumque primum duobus circulis inæqualibus NSOT, NWOX, ita interſecare, ut differentia, qua ſumma lunularum NVOSN, NTOPN, NZOWN, NXOPN, excedit circulum H, ad rectilineum datum, habeat rationem imperatam. Fig. 6.

HISTOIRE DE BRETAGNE.

i. e.

HISTORIA BRITANNIÆ MINORIS, EX Tabulis & Autoribus autographis compoſita; Autore

 GUI-

GUIDONE ALEXIO LOBINEAU, Sacerdote Ordinis S. Benedicti e Congregatione S. Mauri.

Tomi duo.

Pariſiis, apud Viduam Franciſci Muguet, 1707, fol. ch. aug. Conſtat Alph. 21½ & Tabb. æn. 43.

GAlliæ provincia, quæ olim *Armorica*, nunc autem *Britannia minor*, incolis *Bretagne* dicitur, quondam tribus Hiſtoricis ſcribendi argumentum præbuit. Primus eorum fuit *Alanus Bouchard*, cujus extat Chronicon magnum Britanniæ, opus cum imperfectum, tum fabulis anilibus refertum. Alter fuit *Petrus le Baud*, anno 1505 mortuus, qui Hiſtoriam Britanniæ, in uſus privatos concinnatam, juſſu Annæ Reginæ, quæ poſtrema ſuæ gentis fuit, retexuit, ſed ita, ut alii de erroribus admiſſis, alii de rebus omiſſis, omnes autem de ſtyli humilitate conquererentur. Poſtremus fuit *Bertranus d' Argentré*, anno 1590 defunctus, qui Baudium, quem paſſim etiam errantem ſecutus eſt, usque ad interitum familiæ Ducalis continuavit. Poſt illos Hiſtoriæ Britannicæ Triumviros equidem non defuerunt, qui vitas Sanctorum Britannicorum, qui illuſtrium familiarum Genealogias, qui bellorum civilium hiſtorias particulares, literarum monimentis conſignarent: ſed qui totius Britanniæ minoris Hiſtoriam univerſalem ab ultima gentis origine ad ſua usque tempora juſta methodo pertexeret, toto, quod miramur, ſeculo decimo ſeptimo nemo repertus eſt. Ægre hoc tulerunt cum alii Britanniæ proceres, tum imprimis *Franciſcus de Coetlogon*, Epiſcopus Coriſopitanus, qui cum exploratum haberet, in monaſteriis Ordinis S. Benedicti e Congregatione S. Mauri multa latere documenta manuſcripta, ad hiſtoriam Britanniæ pertinentia, autor fuit illius ordinis Patribus, ut ad novos Britanniæ annales condendos animum adjicerent. Placuit hoc conſilium imprimis *Mauro Audreno*, Priori Landevenecenſi, qui, aſcitis in ſocietatem Viris ſui ordinis doctiſſimis, novam patriæ ſuæ hiſtoriam moliri cœpit. Primum igitur ex clauſtris Bene-

dictinis

dictinis, deinde, cum non ſufficere videretur apparatus, etiam ex archivis provinciæ publicis, quicquid tabularum atque membranarum ad hunc finem ſpectantium reperiri potuit, conquiſitum & incredibili labore in ordinem redactum eſt. Stylum qui adhiberet, delectus eſt *Antonius Gallois*, quem mors in ipſo operis exordio eripuit. In ejus igitur locum ſubſtitutus eſt *Guido Alexius Lobineau*, qui poſtquam aliquot annos in digerendis rerum geſtarum monimentis conſumpſerat, tandem ſe ad ſcribendum applicuit, vaſtumque opus intra ſeptem annos ad umbilicum perduxit. Quanquam autem omnes boni Hiſtorici partes ex amuſſim expleverat Lobinovius, autoritate tamen Statuum provincialium, quorum cenſuræ ſubjectum fuerat opus, delectus eſt R. P. de *Caumartin*, Abbas Buſejenſis, qui, antequam prelo committeretur nova hæc hiſtoria, omnium rerum atque verborum momenta denuo expenderet. Atque ſic tandem ſumtibus publicis impreſſum eſt opus incomparab[illegible]ſtinatis ad hunc finem ex ærario provinciæ viginti librar[illegible]icarum millibus: qua ſingulari ſtatuum provincialium munificentia effectum eſt, ut opus & typo & figuris ornatiſſimum prodierit. Ipſum opus duobus Tomis abſolvitur, quorum prior hiſtoricus, poſterior autem diplomaticus eſt. Volumen hiſtoricum viginti duobus Libris conſtat, quorum argumenta ſtatim poſt Præfationem ſummatim exhibentur. Initium hiſtoriæ fit ab anno Chriſti 458, quo Britones a Saxonibus expulſi conſtantem in littore Armorico pedem fixerunt: finis autem incidit in annum 1532, quo Ciſmarina hæc Britannia cum univerſo Galliæ Regno in unum corpus coaluit. Varias autem fortunæ viciſſitudines tam longo temporis tractu experta eſt Britannia. Riwalius, cujus ductu ſuſcepta fuit migratio, *Regem* ſe appellavit, quo nomine etiam ejus ſucceſſores aliquandiu gaviſi ſunt. Deinde vero, cum inter multos divideretur Regnum, *Comites* vocati ſunt Britannorum Reguli. Succeſſu temporis rurſus quidem ad unum rediit ſuprema poteſtas, cujus tamen ſucceſſores *Ducali* dignitate contenti, ad Regiam majeſtatem non adſpirarunt. Tandem poſt mortem ultimi Ducis Franciſci II tota Britannia per pacta matrimonialia ad Reges Galliæ devoluta eſt. Hæc ſigillatim ſecun-

dum annorum ſeriem ita perſecutus eſt Autor diligentiſſimus, ut nihil plane, quod alicujus momenti ſit, omiſſum eſſe videatur. Neque enim Regum, Ducum atque Comitum tantum vitas atque res geſtas deſcribit, præmiſſa etiam poſt Præfationem Tabula Genealogica, ne qua fieret perſonarum confuſio, ſed miniſtrorum etiam, & belli ducum, quorum opera vel Britanni contra Gallos, vel Galli contra Britannos uſi ſunt, e. g. Gueſclini, Cliſſonii, Riuſii, Landiſii, aliorum facta atque fata ſatis prolixe recenſet. His multa paſſim inſperguntur, quæ ad hiſtoriam eccleſiaſticam ſpectant: cujus generis ſunt, quæ de *Roberto Arbriſſello* ad annum 1100; de *Petro Abalardo*, cui cum S. Bernhardo contentio interceſſit, p. 139; de *Eone a Stella*, qui Chriſtum ſe mentitus eſt, male ad ſe applicatis verbis, quæ in exorciſmis eccleſiaſticis habentur: *per eum, qui venturus eſt judicare vivos & mortuos;* ad annum 1148 afferuntur. Ut taceamus de conciliis & [illegible]dis, v. g. *Turonenſi* A. 461, 566 & 1096, *Venetico* A. 46[illegible]*etenſi* A. 658, 1105, 1110, 1263 & 1431, *Cabillonenſi* A. 650, *Sueſſionenſi* A. 866 & 1121, *Pariſienſi* A. 849, *Tullenſi* A. 859, *Trecenſi* A. 867, *Santonienſi* A. 871 & 1080, *Remenſi* A. 1048, 1119 & 1148, *Rhedonenſi* A 1079, 1133, 1175, 1209 & 1273, *Pictavienſi* A. 1079 & 1100, *Incolumenſi* A. 1118, *Dolenſi* A. 1128, *Senonenſi* A. 1140, *Clermontano* A. 1094, *Abrincenſi* A. 1172, *Melodunenſi* A. 1216, *Bituricenſi* A. 1226, *Caſtrogonterienſi* A. 1299, *Conſtantienſi* A. 1414, *Baſileenſi* A. 1442, & *Piſano* A. 1510, quorum nullum intactum omiſit.

Vitas ſingulorum Britanniæ Ducum excutere, multaque, Lectori forſan non ingrata, huc transſcribere, a ſcopo noſtro alienum eſt: ſed facere tamen non poſſumus, quin ad nuptias, quas Anna Britannica, in qua linea Ducalis defecit, primum cum Maximiliano Romanorum, & mox eo quidem adhuc vivo, cum Carolo Gallorum Rege contraxit, pauliſper ſubſiſtamus. Sunt autem in hac hiſtoria duæ quæſtiones facti, a quibus totius cauſæ juſtitia dependet, quarum prior eſt: *an Maximilianus matrimonium cum Anna contractum conſummaverit?* poſterior: *an hac ſponſa vel uxor Maximiliani a Carolo VIII rapta fuerit?* Quod prius

prius concernit, Autor non negat, nuptias cum Maximiliano A. 1490 ſolenniſſime, ſed per procuratores ſaltem, fuiſſe conſummatas: *Legatum autem primarium, poſtquam nova nupta in thalamo fuiſſet collocata, cubiculum cum literis procurationis ingreſſum, & aſtantibus multis tam viris, quam fœminis primariis, tibiam ſuam ad genu usque nudatam, inter lintea nuptialia inſeruiſſe, ut ceremonia illa conſummationi & cognitioni actuali æquipollere putaretur*, ipſe quidem Autor non affirmat, mentionem tamen, velut in tranſitu injicit, quod *Baco de Verulamio* in Vita Henrici ſeptimi ſingulare hoc rei geſtæ momentum annotaverit: neque quicquam præterea addit, ex quo Verulamii relatio vel confirmari, vel in dubium vocari queat. Ad alteram quæſtionem quod attinet, ſi bene Autorem noſtrum aſſecuti ſumus, inter coactionem phyſicam & politicam diſtinguere videtur. Nempe de craſſa illa violentia, qua Anna, cum iter ad Maximilianum jam eſſet ingreſſa, in finibus Hannoniæ ab armata multitudine circumventa, & obtorto velut collo ad Carolum raptata, rerum Auſtriacarum ſcriptoribus quibusdam dicitur, altum in hoc opere eſt ſilentium. Sed coactionem tamen ſubtilem interceſſiſſe, adeo non inficiatur Lobinovius, ut etiam ſuſpicetur, Pontificem Romanum non ſine cauſa conſenſum ſuum in literis, quarum copiam facit, ſub hac conditione declaraſſe: *dummodo illuſtriſſima Anna propter hoc rapta non fuerit.* Ceterum, quod tum optaſſe dicitur Maximilianus, *ut ex hoc monſtro nuptiarum, quod ex raptu & adulterio compoſitum eſſet, nulla unquam in Gallia regnet poſteritas*, ejus voti damnatum fuiſſe Imperatorem, ex tabulis Genealogicis in vulgus notum eſt. Poſterior Tomus, ſive Autoris diligentiam, ſive typorum & figurarum elegantiam ſpectemus, priori nequaquam concedit. Exhibentur enim in eo non tantum Acta, Mandata, Reſcripta, Edicta, Diplomata, Diaria, Itineraria, Privilegia, Teſtamenta, Epitaphia, fundationum literæ, Donationumque tabulæ, ſed paſſim etiam integra Chronica, v. g. Britannicum p. 30, Nannetenſe p. 33, 35 & 368, Ruyenſe p. 369, Briocenſe p. 834, item Hiſtoria Johannis IV carmine Gallico conſcripta p. 693 aliaque hujus farinæ non pauca, quorum ſyllabus in fronte operis conſpicitur. Poſt Indicem

rerum & verborum locupletiſſimum adjectum eſt *Gloſſarium* vocum peregrinarum. Colophonem tandem operi elaboratiſſimo quaſi imponit farrago ducentorum & octoginta *ſigillorum*, quibus nihil jucundius eſſe poteſt illis, qui ex ejusmodi monimentis Heraldicis illuſtrium familiarum antiquitatem indagare ſatagunt.

NUMISMATUM ANTIQUORUM SYLLOge, Populis Græcis, Municipiis & Coloniis Romanis cuſorum; ex Cimeliarchio Editoris.

Londini, apud Davidem Mortier, 1708, 4.
Plag. 6 & totidem tabulis æneis.

SElectiora hæc antiquitatis monimenta ex ruinis Aſiaticarum urbium, & Turcica barbarie redemta Autor Societati Londinenſi Regiæ conſecravit. Inter ea primum ſibi locum vindicant numi a Julio Cæſ. ad Aurelianum, uti Autor teſtatur in limine, at ſi
p. 28. ipſum inſpicias ſcriptum, ad Carum, & ſi addenda hiſce apponas, ad Heraclium uſque. Accedit præterea Appendix numiſmatum quorundam Regum Syriæ, Ægypti & urbium Græcarum. Maxima illorum pars jam a Patino, Mediobarbo, Valente, Spanhemio, Begero, Harduino aliisque delineata eſt, atque in ære repræſentata, ſæpius etiam explicata prolixius. Placuit enim Autori noſtro, numos breviſſimis deſcribere, adeo ut paſſim epigraphas tantum referat, ipſis numorum typis prætermiſſis, ex quibus de ipſorum pretio raritateque haud raro eſt judicandum. Interim tamen varios hic exhibet Autor, qui ad illuſtrationem pariter & emendationem aliorum egregie faciunt.

Verbi gratia p. 6 averſus Veſpaſiani numus hanc habet inſcriptionem: ΕΠΙ ΜΑΡΚΟΥ ΚΕΡΑΤΙΟΥ ΠΑΝΣΑ ΠΡΕΣΒΕΥΤΟΥ,
21. ΓΑ. *Sub Marco Nemtio Panſa Legato Galatiæ.* Cum numi typum non indicet Autor, affirmare haud poſſumus, an is, quem Va-
20, 22. lens commemorat in Num. Impp. Græc. idem cum ipſius numo ſit. Quando vero Vir iſte doctiſſimus Γ in ſequenti numorum Veſpaſiani atque Titi epigraphe: ΕΠΙ Μ. ΠΑΝΣΑ ΠΡΕΣΒΕΥΤΟΥ

TOT Γ. per *annum tertium* interpretatur, mallemus illud, ut ΓΑ. hic per Γαλατίας exponere. Pag. 8 numus Traiani deſcribitur cum verbis ΣΕΛΕΥΚΕΩΝ ΠΕΙΡΙΑΣ (lege ΠΕΙΕΡΙΑΣ.) ΖΕΥΣ ΚΑΣΙΟΣ. Ε. *Seleucenſium Pieriæ Jupiter Caſius anno quinto.* Ectypon numi affert Patinus in Num. Impp. in quo tamen, quemadmodum & in aliis Antonini atque Caracallæ, Π. ΣΥΡΙΑΣ legitur, id eſt, ut Patinus ipſe eas explicat: Πιέριας Σύριας, *in Pieria Syriæ.* Sed cum in omnibus illis, quos Valens accurate refert, ſemper ΠΙΕΡΙΑΣ, aut ΠΕΙΕΡΙΑΣ, aut ΠΙΕΙΡΙΑΣ deprehendamus, emendandum eſſe putamus Patinum, ſæpius in Græcis potiſſimum inſcriptionibus exhibendis inſigniter errantem. P. 10 in Hadriano occurrit ΑΝΘΥπατος ΦΡΟΝΤΙΝΟΣ, *Frontinus Proconſul* Aſiæ, idem forſan cum eo, qui apud Valentem l.c. in numo Smyrnæorum Prætor Frontinus Fuſcus vocatur. P. 13 Lucii Veri numus hanc præfert in averſa epigraphen: ΓΑΒΑΛΕΩΝ ΓΑΣ *Gabalenſium A. 233*, id eſt, A. V. C. 939, ut Autor vult, ſeu 940. Hinc corrigendus error Valenti commiſſus, forſan typographicus, qui hunc Gabalenſium annum in A. V. C. 740 cadere dicit. Ectypon numi ſiſtit Patinus, hoc tantum diſcrimine, ut pro ΓΑΣ male ΓΑΣ habeat. P. 16 in Juliæ Domnæ numo, a Smyrnæis cuſo, Rufinus Strategus prænomine Κ id eſt, Κλαύδιος vocatur, quod cum in eodem plane numo apud Valentem deficiat, ibi ex Autore noſtro reſtituas. Ibidem ejuſdem Juliæ alius eſt numus, in averſa hanc præferens inſcriptionem: ΕΜΙΣΩΝ ΚΟΛΩΝΙ. ΖΚΦ. Ἐμισῶν Κολωνίας anno 527, ſeu V. C. 969. Similem ei repræſentat Patinus, in quo Emiſæ epocha ſic eſt corrupta ΣΙΚΦ. Lege autem: ΕΤ. ΚΦ. & omnia erunt perſpicua. P. 17 occurrit Caracallæ numus, quem ΜΗΤΡΟ. ΚΑΙΣΑΡ. ΕΤ. ΙΓ. *Metropolis Cæſarea anno* Imperii Caracallæ *XIII* cudi curavit. Alium dedit delineatum Patinus, in quo ΕΤΡ. *annus centeſimus.* Error ſatis craſſus, ſed facile hoc modo emendandus: ΕΤ Β. *anno ſecundo.* P. 18 Caracallæ numus averſus ſequenti gaudet epigraphe: ΕΠΙ ΑΝ. ΡΟΥΦΟΥ ΑΡΧ. Α. ΤΟ. Γ. ΧΡΥΣΑΝΘΕΙΝΑ ΣΑΡΔΙΑΝΩΝ Β. ΝΕΩΚΟΡΩΝ. Cl. Valens l.c. poſt ΑΡΧ. omiſit Α. quod agnoſcit etiam doctiſſ. Harduinus in Num. Urb. Deinde plane neglexit vocem ΧΡΥΣΑΝΘΕΙΝΑ, ſive ut Harduinus, ΧΡΥΣΑΝΘΙΝΑ, pro

Margin: p. 143. 182, 243. 144. 30, 46, 74, 87, 110, 139. 36. 263. 195. 95. 232. 241. 110. 140.

B. ΝΕ-

B. ΝΕΩΚΟΡΩΝ vero uterque Γ. habet; adeo ut juxta illos &
hic forſan τρὶς Νεωκόρων legendum. P. 19 notandus venit nu-
mus a Petra metropoli Tertiæ Palæſtinæ in Getæ honorem per-
cuſſus, cum Harduinus, qui varia Petræ numiſmata in honorem
Hadriani, M. Aurelii & Severi ſignata producit, nullum Getæ
p. 137. commemoret. P. 27 numum Gallieni vides, a Smyrnæis cuſum
ΕΠ C. CΕΞCΤΟΥ. *ſub Prætore Sexto*, ex quo reſtitui poteſt Præ-
328. tor, vetuſtate detritus in numo apud Patinum. P. 37 in Auguſti
numiſmate eques eſſe dicitur, & literæ: BIA. H. *Biatia Hiſpaniæ*
91. Tarraconenſis. Equidem doctiſſimus Jac. de Wilde ſimilem huic
alium ad ejuſdem nominis urbem in Meſſenia retulit, ductus au-
toritate Harduini, cujus verba ex priori Numorum Urbium & Po-
pulorum editione l.c. adduxit At Laur. Begerus Tom. I Theſauri
522. ſq. Brandenb. Biatia eum, in Hiſpaniæ urbe, cuſum fuiſſe contra
utrumque pluribus docuit. Hinc Harduinus quoque mutavit
ſententiam, & in nuperrima ἐκδόσει Operum ſelectorum pro iis,
34. & quam pluribus aliis pauca ſubſtituit ſequentia: BIATE. *Nu-
mus Hiſpanicus: ex argento: cujus ectypa effigies ad nos miſſa
eſt*, a doctiſſ. ſcilicet Wildio anno 1687. *Ex parte antica Au-
guſti caput exhibet, capiti alteri ſuperpoſitum: in averſa curren-
tem equitem: infra*, BIATE. Jac. de Wilde l. c. Caſtoris atque
Pollucis capita laureata; Andreas autem Morellus in Epiſtola de
Vid. Electa numis Conſularibus Honoris & Virtutis facies agnoſcit. De-
Rei Num. nique p. 41 Autor Maximiani numum refert cum ſubſignatis in
p. 66. averſa literis: AT. Δ. *Attaliæ* ſignatus, Lydiæ; juxta quem emen-
444. dandus eſt Fr. Mediobarbus, qui hoc in numo N. T. Δ. perperam
legit.

Quemadmodum vero ex numis huc uſque adductis, aut
illorum ſaltim occaſione, alii non ſatis alibi integre deſcripti,
emendati fuere; ſic viciſſim quoque non pauca in Sylloge hac
corrupta ex aliis poſſunt integritati ſuæ reſtitui, ipſæque ſubinde
Autoris expoſitiones aliunde refelli. Ex. gr. p. 2 Auguſti nu-
mus eſt a municipio Auguſta Bilbili percuſſus. L. COR. CALDO.
35. L. SEMP. RULLO. IIVIR. Et ſic etiam Harduinus in Num.
Urb. At lege RUTLO, id eſt, *Rutilo*, I enim in T latet. Pag. 4
Liviæ numus averſus hac epigraphe gaudet: ΙΟΥΛΙΑ CE-
ΒΑCΤΗ.

43.

ıB. II.
3. 1, 2.

i6.

40.

29.
;. 3.

i9.

7.
;, 111 ſq.
123, 171
9.
1, 86.

Digitized by Google

24

B.
hi
mi
cu
Hı
p. 137. co
EI
328. toı
nr
91. T
ali
to
pt
522. ſq. Bı
ut
ſe
34. &
n
ej
g
t
P
Vid. Electa r
Rei Num. 1
p. 66. a
c
444. I

i
35.



ΒΑϹΤΗ. ϹΥΝΚΛΗΤΟϹ ϹΜΥΡΝΑΙΩΝ. Averſus: ϹΕΒΑϹ-
ΤΩ ΤΙΒΕΡΙΩ ΕΠΙ ΠΕΤΡΩΝΙΟΥ. In qua deſcriptione duo
obſervamus. Primum, quod Autor vocem ΙΟΥΛΙΑ ex ingenio
addiderit, cum numus ipſius eo in loco corruptus ſit, quem ſupplet
integrior apud Patinum, qui pro ΙΟΥΛΙΑ habet ΙΕΡΟΝΥΜΟΥ. p. 43.
Deinde in numo Autoris ipſo non eſt ϹΕΒΑϹΤΩ ΤΙΒΕΡΙΩ, ut re-
cte omnino legitur, ſed ϹΕΒΑϹΤΟϹ ΤΙΒΕΡΙΟϹ, qui quidem er-
ror unde ſcalptori evenerit, lector facile deprehendet ex collatio-
ne numi Autoris atque Patini, quos eum in finem hic exhibemus TAB. II.
delineatos. P. 13 Lucillæ numus averſus inſcriptionem ſiſtit ſe- Fig. 1, 2.
quentem: ϹΤΡΑ. ΤΙ. ΖΗΛΟΥ ϹΜΥΡΝΑΙΩΝ, *Stratego Tito*
Zelo Smyrnæorum. Valens eandem inſcriptionem referens, flu- 66.
ctuat, utrùm prænomen Zeli *Titus* ſit, an *Tiberius?* Et merito.
Licet enim apud Romanos ΤΙ. ſemper Tiberium, Τ. vero Ti-
tum ſignificet, adeo ut lapides, iſtud diſcrimen non ob-
ſervantes, vitio laborent vel ſcalptoris vel exſcriptoris, quem-
admodum v. gr. inſcr. Memoriæ Breſcianæ, quæ Neronem 240.
vocat nepotem T. AVG. *Titi Auguſti*, perperam pro TI. AVG.
Tiberii Auguſti; eandem tamen legem haud accurate ſemper
ſervarunt Græci. Sic enim paſſim Antoninus Pius dicitur ΑΥΤο-
κράτωρ ΚΑΙσαρ ΤΙτος ΑΙΛιος, & Tiberius in numo Edeſſæno-
rum apud Jac. de Wilde in Sel. Num. Τ. ΚΑΙΣΑΡ. ΣΕΒΑΣΤΟΣ. 129.
P. 17. numum Caracallæ refert, cujus averſam vetuſtate detritam Fig. 3.
epigraphen ex altero huic ſtatim adjecto Autor ſic facile reſtituere
potuiſſet: ϹΕΤΗ. ΑΔΡ. (non ΑΑΡ. ut in numo Autoris, ΜΗΤΡ.
ΤΑΡϹΟΥ. Atque tunc, ni fallor, ipſe deprehendiſſet, quod ex-
plicatio literarum A. M. K. per Πρώτης Μητροπόλεως Κιλικί-
ας hic ſtare non queat; quæ enim jam in epigraphe metropolis
fuit vocata, non illa eodem iterum modo in area abſque ταυτο-
λογίᾳ poſſit appellari. Equidem Patinus has ipſas literas ad nu- 269.
mum Paulæ Auguſtæ cum Triſtano per ΑΜανικῆς Κιλικίας in-
terpretatur, ſed merito iſtam illorum ſententiam Jac. de Wilde 157.
rejecit. Eas itaque aut per Πρώτη Μόνη Κιλικίας, ſeu Κιλικῶν, 88, 111 ſq.
ut Valens paſſim in Num. Impp. Græcis & Autor quoque noſter in 115, 123, 171
fine hujus paginæ, aut per Πρώτη Μεγάλης Κιλικίας, ut idem 179.
Valens in Numis ſelectis Franciſci de Camps exponeremus. Ne- 59, 86.

Digitized by Google

que rejiciendus hic prorſus eſſet Harduinus, qui illas in Numis
p. 165. Urb. per AMΦοτέρας Κιλικίας reddit, niſi in deſcriptis & accurate etiam delineatis τὸ A. a reliquis M. K. ſimili, nonnunquam etiam majori ſecerneretur diſtantia. Quando vero idem Harduinus l. c. numum Severi profert cum hiſce vocabulis: AΔP. CET. TAP. EN. KOΔPEI. CETHPEIA. OΛΥMΠIA. EΠINIKIA. OPOIC KIΛIKΩN. infra: ΓAIC AMK. Γ. B. nullo omnino ſenſu ΓAIC illud per γαισῷ, *conto*, exprimit. Nam ΓAIC. ultima eſt ſyllaba vocis EN. KOΔPEI. *in quadrigis;* quod eo magis miramur non animadvertiſſe perſpicax iſtud ingenium, cum paullo ante alium ejusdem Severi numum deſcripſit, in quo diſerte EN. KOΔPEIΓAIC haud interrupta ſerie legitur. Sed redeamus ad Autorem. Is p. 19 Getæ delineat numum, a Smyrnæis percuſſum EΠI. CTP. POTΦINOT, *ſub Prætore Rufino*, cujus prænomen KA. Κλαύδιος eſt, quemadmodum conſtat ex ſimili prorſus huic numiſmate apud Valentem. Eadem pagina alius & perquam rarus Getæ
119. producitur numus, hic quoque repræſentatus, in cujus averſa hæc
TAB. II. inſcriptio: ZHTITΩN TOT ΠONτου ET. P. M. B. duplici labo-
Fig. 4. rat vitio. Nam primum lege ZHΛITΩN. Deinde annus urbis CXLII, qui incidit in A. V. C. DCCCXLIX, corruptus haud dubie eſt, ſiquidem Geta integro fere ſæculo poſt natus, anno demum V. C. DCCCCLIII, juxta epocham urbis Zelæ, anno CCXLVI, Cæſaris dignitatem accepit. Hinc, ſi conjecturam capere hic licet, literæ forſan in eo ſint iſtæ: SMC. *an. CCXLVI*. P. 20 numus Elagabali averſus hac detrita inſcr. gaudet: EΠI
p. 125. CT...... AΔPAMTTHNΩN. Alium exhibet Valens, at eodem in loco corruptum, legit tamen APΔAMTTTHNΩN cum duplici TT,
6. & ſic etiam Harduinus in Num. Urb. ex quo nomen Prætoris reſtituas ita: EΠI CTP. ATP. ΓAPOT, *ſub Prætore Aurelio Caro*. P. 23 notandi ſunt numi Tranquillinæ, a Samiis & Sardianis cuſi, in quorum priore Auguſta hæc Furia Sabina Tranquillina, in poſteriore Furia Tranquillina Sabina vocatur, ſi re vera in numo iſto CA, uti vult Autor, & non potius CE, aut CEB. id eſt, Σεβαστὴ exſtet. Eadem pagina Autor hæc in Philippo Arabe: P. M. S. COL. VIM. AN. VI. ita interpretatur: *Provinciæ Mœſiæ Superioris, Colonia Viminacium, anno ſexto imperii Philippi Aug.* Sed fallitur

litur autor. Annus enim ſextus coloniæ deductæ & ſecundus Philippi eſt. Vide tantummodo Jo. Valentem in Num. Colon. Part. II p. 152 ſq. cujus monitu & Harduinus quoque ſuum, quem in priori Numorum Urbium editione erraverat errorem, nuper correxit, niſi quod ipſi placuit, litteram M. non amplius, ut antea, per *Moeſiæ*, ſed per *Macedoniæ* exponere. Verba, quæ p.25 de Epocha Rheſainesiorum Autor habet, ex Harduino deſumta ſunt. In numo annus eſt L. HIP. juxta quem emenda Patinum, qui Rheſainæ epocham ſic exhibet falſam: L. ΠΡ. p. 312.
Porro p. 26 inſignis Voluſiani numus deſcribitur. In antica parte: ATT. K. ΓΑ. ΦΙΝ. ΓΑΛ. ΟΤΕΝΔ. ΟΤΟΛΟΤCCIANOC CEB. *Imp. Cæſar Cajus Finius Gallus Vindex Voluſianus Auguſtus.* In poſtica: ANTIOXEΩN. MHTPO. KOΛΩN. Δ. E. S.C. *Ἀντιοχέων Μητροπόλεως Κολωνίας Δόγματι Ἐπαρχίας.* Hic varia ſunt notanda. Primum enim Voluſianus cum duplici SS. ſcribitur, qui in permultis illis, quos Latinos pariter atque Græcos apud Mediobarbum, Patinum, Begerum, Valentem Wildiumque vidimus, ſemper cum s ſimplici occurrit. Ex. loco ſit perrarus itidem iſte, Valenti commemoratus in Præſtant. Num. IMP. C. Tom. II.
VA. F. GAL. VEND. VOLVSIANO AVG. id eſt, juxta Valentem: p. 351.
Imperatori Cæſari Vandalico, Finnico, Gallendico, Vendenico, Voluſiano Auguſto; ſeu potius, ut has decurtatas literas Harduinus expoſuit in Hiſtoria Auguſta p. 841 col. 2: *Imperatori Cajo Valerio Finnio Gallo Vendici Voluſiano Auguſto.* Secundum eas audacter quoque corrige hanc a Mediobarbo adductam inſcriptionem: IMP. C. VAF. 362.
CAL. VIND. VOLVSIANO III. Denique Autor literas Δ. E. per *Δόγματι Ἐπαρχίας* explicat, ſed quanam autoritate, quibusque nixus argumentis haud dixit. Ut verum fateamur, nulli omnino videmus, cur rejicienda ſit communis hactenus illarum per *Δημαρχικῆς Ἐξουσίας* expoſitio, quam haud absque ratione Viri eruditiſſimi amplexi ſunt, & cum iis Autor quoque ipſe ſupra amplectitur; ſiquidem verba iſta ſæpiſſime in numis 20.
integra deprehenduntur, non ſic autem hæc: *Δόγματι Ἐπαρχίας*, aut *Δήμου Εὐχῇ*, quæ Harduini eſt in Num. Urb. & Pop. 22.
propoſita interpretatio. In fine ejusdem pag. 26 Gallieni numus

mus averſus ſequentem vetuſtate detritam epigraphen exhibet: ΕΠΙ CΤΡΑ . . . . . ΝΗΦΟΡΟΥ. ΤΗΙΩΝ. Conjicimus, integrum Prætoris nomen *Aurelium* eſſe *Elpidephorum*, ducti cum primis autoritate numiſmatis, a Cumæis in Gallienum cuſi, cujus averſa
p. 181. facies, ut Valens refert, hæc habet inſcripta: ΕΠ. ΑΥ. ΕΛΠΙΔΗΦΟΡΟΥ Β. ΚΥΜΑΙΩΝ.

Reſtat adhuc, ut de inſcriptionibus quoque, ultimo loco poſitis, nonnulla dicantur. Inter eas familiam merito ducit Græca, quæ baſi marmoreæ ſtatuæ, Deli in honorem Theophraſti erectæ, olim fuit inſcripta. Reliquæ inſcriptiones Latinæ ſunt, numeroque tantummodo ſeptem, ex quibus duas hic transſcribere liceat. Altera tota compendioſe exarata ita ſe habet:

D. M. P. MAR. STE. VLP. ZOT. COI. DVL.

hoc eſt, ut Autor eam explicat: *Diis manibus*, *Publia Martia Stellatina* (potius *Stellatina*) tribus *Vlpius Zoticus* (pro quo obſcuro ſatis nomine ſcalptor notiorem ſibi *Zoilum* in tabula finxit) *Conjugi dulciſſimæ*. Quarta denique hæc eſt:

D. M.
AELIAE. VRBICAE. QVE. VIXI. AN. XVIII.
MEN. VI. D. XXIII. FECER. VRBICVS AVG.
ET MVIVIA IVCVNDA. PARENTES.

Primum hic pro MVIVIA lege MVLVIA. Sic enim apud
p. 471. Gruterum occurrit MVLVIA. C. F. PLACITA, & MVLVIA.
494, 43, T. F. SEVERAE; nec non MVLVIVS SENECIO. M. MVL-
128, 301. VIVS COMODVS, & Q. MVLVIVS PACIDIANVS. Deinde hæc ipſa inſcriptio eo etiam magis obſervari meretur, quod per-
Vid. Electa eruditus Genebrierius inter monimenta, Urbicæ notata nomine,
Rei Num. quæ in diſſ. de Magnia Urbica diligenter collegit, eam non ex-
p. 240 ſqq. hibet.

Atque hæc quidem de Autoris noſtri Sylloge dicta in præſenti ſufficiant. Plura, quod fatemur, alia etiamnum in ea reſtant, quæ ulterius differendi occaſionem materiamque præbent quam optimam; ſed cum prolixiorem illa diſcuſſionem poſtulent, alii ſunt iſthæc occaſioni reſervanda.

ANTI-

Digitized by Google

ANTIQUIORES PONTIFICUM ROMANO-rum Denarii, nunc primum in lucem editi, notisque illuſtrati.

Romæ, apud Rocchum Barnabejum, 1709, 4.
Plag. 10 cum fig. æn. inſertis.

NOvum hic monetæ genus & a nemine hactenus ſuſceptum illuſtrare aggreditur doctiſſimus ſcripti Autor *Joh. Vignolius.* Equidem Leblancus denarios aliquot jam vulgavit; quia tamen pro Pontificiis nondum habiti fuerunt, atque interdum ab eo perperam expreſſi, ii etiam ut novi nunc demum editi quodammodo cenſeri poterunt. Inter illos Hadrianus, A. Chr. DCCLXXII ordinatus, familiam ducit. Nam etſi ab aliis, qui Hadrianum præceſſerunt, Pontificibus, a Stephano præſertim II, quem III vocant, a Paulo item & Stephano III, Romæ cudi moneta potuerit, nemo tamen adhuc illorum numos aſpexit. Quem enim Baronius in Annal. ad A. C. 461 Leonis Papæ minus accurate protulit, non ad Leonem I, ut ille putavit, neque ad III, quæ Nic. Alemanni, Pagii, Papebrochii aliorumque fuit ſententia, ſed ad Leonem VIII Pſeudopontificem pertinet. Agmen claudit Benedictus VII A. Chr. DCCCCLXXV electus, a quo usque ad Clementem V reliquorum Pontificum deſiderantur denarii. Quod turbulentiſſimis iis Romanæ Eccleſiæ temporibus potiſſimum tribuendum Cl. Autori videtur. Cum etiam Noſter de Eugenio II, Valentino, Sergio II & III, Hadriano III, Bonifacio VI, Stephano VI, VII, VIII, Romano, Theodoro II, Leone V, VI, VII, Lando, Johanne XI, XIII, Marino II, Benedicto VI, & Dono II, nullos Romæ reperit numos; hinc rogat extraneos, horum monimentorum poſſeſſores, ut eorundem, ſi quos habeant, ectypa cum ipſo communicent. Interim in præſenti majoris operis ſpecimine Vignolius primo loco annum electionis & mortis Pontificum, & Imperatores tunc temporis regnantes, paucis indicat, deinde ipſos exhibet denarios, a Joh. Petro Roſſino accurate delineatos, iisque brevem illorum deſcriptionem explicationemque ſubjungit. Sed videamus cum denarios ipſos, tum Autoris potiſſimas obſervationes.

Numorum horum externam ſi conſideres faciem, defor-

Digitized by Google

mia quidem ſunt figurarum lineamenta, rudes illorum characte-
res, a majeſtate & elegantia numorum veteris Imperii Romani
inſigniter recedentes, quos tamen, cum aliis extra Italiam eodem
ſignatis tempore collatos, non omnino inelegantes prædices ad-
ſpectuque indignos, quippe qui utilitate ſua haud leviter ſeſe
commendant eruditis. De antiqua & ſuprema Pontificum in
urbem Romam autoritate hucusque diſceptarunt ſcriptores: at
ex numis his Autor in Præfatione teſtatur, ſatis conſtare Senatum
Populumque Romanum, cum Impp. Græcorum imperio ſe ſub-
duxiſſet, neque Francorum Regibus, neque iiſdem, Pontificum,
ut putat, autoritate Occidentis Imperatoribus poſtea creatis, ſed
Pontificibus ipſis præſtitiſſe obſequium. Iidem quoque rem
non minus falſam te eſſe docebunt, inquit Vignolius l. c. Leo-
nem III ſuprema Urbis dominatione, ſibi utili tantum retenta, ſe
ſpoliaſſe, illamque in Carolum M. tranſtuliſſe. Porro varias
ex iis cognoſcimus nominum ſcriptiones, v. g. in Leone III *Ca-*
p. 7. 19. *rolus Imp.* ſcribitur CARLUS, in Paſchali & aliis *Ludovicus*
22. 44. *Pius* LUDOWICUS, in Gregorio IV *Lotharius* HLOTHA-
49. RIUS, in Benedicto IV *Ludovicus III* CLVVDOICUS & LVV-
DOICUS, in Johanne X *Berengarius* BERNEGARIUS. De-
prehendimus item vocabula per compendium ſcripta, & ab Au-
p. 23. 27. tore explicata ſequentia: PP. GREGII, *Papæ Gregorii*, IMP. P
28. 57. P. *Imperator perpetuo*, S. P. *Sanctus Petrus*, BNED. PA. *Be-*
nedictus Papa, DOM. JOANES *Domnus Joannes*, ſeu potius
Johannes, quemadmodum nomen illud in aliis hujus nominis
60, 64. Pontificum numis hic paſſim legitur, P. S. *Petrus Sanctus*, &
18, 39. AP. *Apoſtolus*. Videmus, quod non Petrus ſolum, ſed Paulus
44. quoque Apoſtolus in Stephano IV honorabiliorem quam Petrus
occupat locum, quod in bullis quoque Pontificum obſervari no-
tavimus in Actis anni ſuperioris, p. 450. Denique cernimus
etiam monogrammata, in quibus plerumque nulla nominis li-
tera deſideratur; quæ cum inſignem iis utilitatem præbeant, qui
antiquitates & diplomata medii ævi tractant, hic omnia cum Au-
TAB. II. toris explicatione æri incidi curavimus, exceptis tantum mono-
Fig. 5. grammatibus vocabuli *Roma*, *Papa* & *Pius*, quippe quæ nulla diffi-
cultate laborant. Non minoris momenti ſunt, quæ Autor paſſim
ipſe

Digitized by Google

ipſe ad numorum illuſtrationem eleganter inſpetſit. . Ad Hadrianum ſtatim de uſu & origine vocis PAPA breviter differit, P. 3.
oſtendens, quoſcunque primum Epiſcopos *Papas* fuiſſe vocatos, ejusque etymon adhuc eſſe incertum, cum alii a πάππα, *pater*, ſeu πάππος, *avus* illam derivarint, Barthius vero ex prioribus vocum PATER PATRUM ſyllabis, quæ compendio ita ſcribi ſolebant: PA. PA. conflatam putavit. Ad Leonem III obſervat, quod monogrammatum nunquam antea tam frequens ac 8.
familiaris, quam circa Leonis III & Caroli M. tempora uſus exſtiterit; Carolum item iſtum neque primum, neque ex ſcribendi imperitia, ut cum aliis cenſuit Leblancus, hoc 9.
ſui nominis compendium adinveniſſe, ſiquidem jam ante eum Theodorici, Francorum Regis, Marciani, Juſtiniani & Juſtini Impp. nomina monogrammate expreſſa, apud Buteruvium & Cangium occurrunt. Facile tamem credit Cl. Autor, Caroli M. exemplo Hadrianum Papam, mox Leonem III· ſua nomina monogrammate implicaſſe, quum ante iſtos Pontificem alium id factitaſſe hactenus ei non innotuerit, niſi potius cum ipſo exiſtimes, Carolum, Hadriani & Leonis in hanc rem veſtigia ſecutum, ex Italia ſuum ſecum monogramma in Franciam detuliſſe. Deinde prolixus Noſter eſt in refutando Leblanco, qui Pontificum numos, in quibus Imperatorum nomina Imperatoriis accenſuit, atque in Diſſertatione ſua hiſtorica de Numis aliquot Caroli M. Ludovici Pii, Lotharii, eorumque ſucceſſorum Romæ obſignatis, Gallice edita, illorum opinionem refellere fuit conatus, qui ſentiunt, hos Principes nullam unquam in ea urbe autoritatem habuiſſe, quam conſenſu Pontificum. Ut vero Leblancus, ſeductor Pagii aliorumque, hos numos Imperatoribus falſo adſcriberet, non tam illorum nomina, in iis inſcripta, quam Pontificum monogrammata, a ſe penitus ignorata in cauſſa fuere; unde accidit illi, ut Johannis VIII denarium, etſi ſolius Pontificis nomine gaudet, omnique prorſus Imperatorii nominis veſtigio caret, inter Carolorum Imperatorum numos recenſuerit. Quando autem Leo III Caroli nomen in numis ſuis appoſuit, & illud ipſum alii deinde Pontifices interdum fecerunt, honoris tantum gratia id factum Autori videtur; quod de Leone eo minus miran-

mirandum, cum alios idem honores, quos Carolo detulit, itidem denariis curaverit inſculpi, quemadmodum Cl. Vignolius ex numo quodam, Carolum cum Patriciatus inſignibus ſiſtente, pluribus demonſtrare conatur. Ad Gregorium IV Autor emendat Mabillonium Tom. II Vet. Anal. p. 423 perperam aſſerentem, Ludovico Imp. poſt mortem demum Pii cognomen tributum fuiſſe, qui tamen in duplici denario Gregorii IV vivus adhuc Pius vocatur. Hinc etiam contra Leblanci modo allatam ſententiam urget, quod ipſe monetarius deſignaverit, denarios iſtos non Ludovici aut Lotharii, qui itidem in iis commemorantur, ſed ipſius Gregorii monetam eſſe. Similiter eundem errare docet, cum denarium quendam Benedicti III Ludovico I adſcripſit. Quando deinde Leblancus miratur, cur Lotharius in Gregorio IV *Pius* cognominetur, nullam hic juſtam admirationis cauſam agnoſcit Vignolius, docens, filium ejus, Ludovicum II in hoc denario eodem iſto titulo vocari. Quamvis enim Ludovici I cognomen id eſſet, ob idem tamen religionis ſtudium, atque ob eundem affectum, quem tum Lotharius, tum ipſe Ludovicus II, & multi Imperatores, erga Romanam Eccleſiam illius jura tutando profitebantur, ita ii etiam rite poterant nuncupari. Arcum, qui cruci in averſo Hadriano II, nomini Ludovici Imp. præfixæ ſuperinducitur, majoris venerationis cauſſa appoſitum fuiſſe putat, quoniam apud Anaſtaſium arcus argenteos vel aureos a Pontificibus dono oblatos, & ſuper martyrum reliquiarum conditoriis, quas *Confeſſiones* appellant, poſitos legimus. Sed veremur, ut ſpecioſa magis quam vera ſit hæc doctiſſimi Viri ſententia. Si enim vel ſolum monetariorum tunc temporis conſideremus ingenium, tantum abeſt, ut ejusmodi Pontificum donationis umbram in denariis expreſſerint, ut etiam illuſtriores illorum res geſtas ne quidem commemoraverint, nudis plerumque nominibus, barbareque ſatis effictis imaginibus numos implentes. Satius forſan eſſet dicere, lunulas iſtas ornatus tantum gratia a monetario adjectas cruci fuiſſe. Paullo inferius obſervatur, Ciacconium, Alemannum, Ducangium, Papebrochium aliosque monogramma Johannis VIII. perperam pro ſigno Nicolai Papæ venditaſſe, cum quia in illo literæ L & C, in hoc vero H deficit,

Margin notes: p. 14-17. — 23. — 24. — 29. — TAB. II. Fig. 6. p. 32, 33. — 35.

cit, tum etiam, quia nomen Caroli, ſive Calvus ille ſit, ſive Craſſus, in iis occurrit denariis, & uterque Carolus a Johanne VIII longe poſt obitum Nicolai Imperator fuit coronatus. Ejusdem Johannis VIII alius exſtat numus cum literis CANTVERB.... Un- TAB. II.
de conjicit Autor, denarium iſtum *Cantuerberiæ*, ſeu *Cantuariæ* Fig. 7.
in Anglia eſſe percuſſum, unumque forſan ex iis, qui denarii S. Pe- p. 36.
tri nuncupabantur, quos ſingulos ſcilicet ſingulæ illius Regni domus beato Petro quotannis penſitabant, quique per pontificios quæſtores Romam mittebantur. Porro ex Marini denario op- 38.
time ſervato refellit Noſter Volaterranum & Platinam, qui cum aliis hunc Pontificem *Martinum II* appellent, & cum ſimili iidem errore Marinum II Martinis adſcripſerint, hic docet Autor, Martinum IV duntaxat IIdum, Vtum vero tertium eſſe vocandum. Cum denique in denario Leonis VIII literæ D̄N. leguntur, ea occaſione Baronii Alemannique interpretationem τῦ 60.
D̄N. per *Domino noſtro* falſam eſſe pronuntiat, quia literas punctum non dividit, ſed linea iis ſuperadditur, taxatque inſuper Leblancum, quod ſummam exinde dominationem Caroli M. in urbem Romam deducere voluit, haud attendens, Carolum Imp. neutiquam *Dominum Noſtrum*, ſed *Domnum* vocari, qui honoris per id tempus, non poteſtatis titulus erat.

In fine Clariſſ. Autor ſingulorum hujus ſpeciminis denariorum pondera adjecit. Ex iis apparet, numos Nicolai I, Anaſtaſii & Johannis X omnium eſſe leviſſimos. Prioris enim undecim tantum, & ultimorum denarii quatuordecim grana ſuſtinent. Maximus vero eſt Gregorii IV, qui XXXVIII grana pondere ſuo æquat.

BIBLIA HEBRAICA EX OPTIMIS IMpreſſis & MSS. editionibus itemque Maſora aliisque principiis Criticis accuratiſſime emendata, charactere illuſtri expreſſa, notis Hebraicis ac lemmatibus Latinis inſtructa a D. HENRICO OPITIO, S. Theol. P. P. & Conſiſtorii ſupremi Conſiliario.

Kilonii, typis & ſumtibus Autoris, 1709, 4.

Conſtat 8 Alph. 5 plag.

Quantum ſtudium quantamque curam in expoliendo perficiendoque præſtantiſſimo hoc opere Biblico inſumſerit Summe Rev. Autor, ut Lectori benevolo conſtare queat, e luculenta ejusdem Præfatione quædam adducere haud pœnitebit. Ante triginta, & quod excurrit, annos cum in Academia Jenenſi Facult. Phil. Adjunctus adhuc eſſet, atque in Hebræorum Bibliorum variis, quas Auditores ſecum ferebant, editionibus infinitas prope varietates obſervaret, de nova eademque emaculata ſacri Codicis editione aliquando vulganda conſilium cepit, ſtatimque de mediis, quibus ſcopum ſuum ex voto obtinere poſſet, ſollicitam curam habuit, ac nihil eorum, quæ ad propoſitum illud facere videbantur, negligendum ſibi duxit. Hinc quotidie Bibliothecam publicam frequentavit, inque illa præter ceteros codices, quos cum amicis quibusdam ſtudioſe admodum inter ſe contulit, Prophetarum poſteriorum MSS. ſatis antiquum & ante pugnam Mühlbergenſem eo Witteberga translatum, non ſine voluptate conſuluit. Sed cum, Propheta Eſaia vix abſoluto, in Academiam Kilonienſem evocatus eſſet, ut ibidem provinciam publice docendi Græc. & OO. LL. exornaret, luculentioremque adeo anſam inſtitutum ſuum exſequendi ſibi datam eſſe vidiſſet, majori etiam ardore, quem ſemel ſuſceperat, aggreſſus fuit laborem, atque omnem impendit operam, ut optimos undique impreſſos codices, vel proprio redemtos ære vel mutuo ab alios acceptos ſibi compararet. Inter illos autem, quorum uſus ipſi obtigit, ſequentes referuntur. I Codex rariſſimus, Brixiæ A. 1494, 12 excuſus, quo B. Lutherus in adornanda ſua verſione uſus fuit, & cujus perluſtrandi copiam Dn Opitii filio natu majori, Joſiæ Henrico, Eccleſiæ Tönningenſis nunc Paſtori digniſſimo, Clariſſ. Esdras Edzardus, jam inter cœlites degens, benigniſſime fecit. II Codex Bombergianus prior, 1523, fol. III Codex Bombergianus poſterior, 1543, fol. IV Codex Venetus, 1521, 4. V Codex Venetus 1525, 4. VI Codex Venetus, 1639. VII. Editio Pariſina, 1587, ex officina S. Andreana, fol. VIII Editio Roberti Stephani, 1536, 4. IX Editio Rob. Stephani, 12, 4 tomis. X Biblia Regia Philippi II auſpiciis Antwerpiæ 1572, fol. 6 volum. XI Antwerpienſis, 4, A. 1580.

XII

Digitized by Google

XII Antwerpienſis in 12, A. 1540. Præter hosce codices de Opere Polyglotto, 6 tom. fol. Londini A. 1657 edito, Buxtorffii, Menaſſeh Ben Iſrael, Eliæ Hutteri, Athiæ & quæ Francof. ad Oderam in 4 & 8 prodierunt, editionibus ſibi quoque proſpexit: atque hoc inſtructus apparatu opus ipſum aggredi cœpit atque Athiæ codicem cum ſummariis Cl. Leusdenii A. 1667 editum pura interſperſit charta, & quolibet folio plicatura quadam in duo latera diviſo, unum variantibus, quas deprehenderet, librorum ſcripturis, alterum Maſoræ, iisq; quæ in Or thora, Schaar Hanneginoth, aliisque libris criticis occurrunt, obſervationibus deſtinavit. Poſt hæc ſingulis diebus per tres quatuorve horas cum duodecim Hebrææ linguæ peritioribus Auditoribus, quorum cuilibet peculiare e ſupra memoratis exemplar in manus dedit, accuratam codicum collationem inſtituit, atque tantam variantium lectionum, quæ aliquam probabilitatis aut veritatis ſpeciem præ ſe ferrent, farraginem collegit, ut vix chartæ, quæ illis deſtinata erat, ſufficeret anguſtia. Quo labore intra quadriennium vix abſoluto, omnem movit lapidem, ut MSS. quoque ſibi aliqua fieret copia, ſed cum facile divinare poſſet, neminem in Holſatiam, bello undique tum preſſam, tantos theſauros transmiſſurum eſſe, aliud iniit conſilium, atque e lectionibus variantibus, quas in codicibus impreſſis obſervaverat, maxime dubias aliquoties deſcripſit, & ad eruditos in diverſis locis commorantes transmiſit, ut quæ in ſuis invenirent MSS. ſibi fideliter indicarent. Hinc magna undique variantium lectionum copia e duobus imprimis MSS. quorum unum Synagoga Amſtelodamenſis, alterum Judæi Hamburgenſes obſervabant, ad manus ejus pervenit; &, cum a Gallis Italisque opem fruſtra expectaſſet, ad Germanos iterum ſe convertens, a Dn. D. Majo ex famoſiſſimo Reuchlini codice, quem is ab Imperatore Friderico III dono acceperat, ſpecimen quoddam precibus ſuis obtinuit; ſed, ubi plura deſiderabat, codicem illum Durlaco Baſileam, ne Gallorum forte cederet rapinæ, translatum eſſe cognovit. Poſtea Dn. Müllerus, Greiffenhagius, Præpoſitus Berolinenſis, e codicibus Bibliothecæ Berolinenſis; Dn. Wegnerus, Diaconus tum Francofurtenſis, ex elegantiſſimo ſuo Manuſcripto; nec non Dn. Beckius, Auguſt.

Eccleſiæ olim Miniſter, e codicibus Erfurtenſibus multa cum illo communicarunt. Atque hæc cum Celeb. Autori nondum ſatisfacerent, ipſum B. Wegneri codicem, Conſtantinopoli in Germaniam allatum, & jam ante quadringentos annos exaratum, Francofurto ſibi transferendum curavit, eundemque una cum Filio ſuo natu maximo a capite ad calcem evolvit totum, atque cum Leusdeniano ſuo contulit, & quæcunque ab eo diſcrepabant, indefeſſa cura notavit. Neque hic illius ſubſtitit induſtria. ſed ultra duodecim annos Maſoram tam texualem quam finalem excuſſit, totamque partim ipſe vertit, partim aliis vertendam dedit, atque omnes utriusque Maſoræ obſervationes, quarum aliquot myriades, herculeo labore excuſſit & ad ſua loca transtulit. Denique R. Menachem de Lonzano varias lectiones, Schaar Hanneginoth obſervationes, Ben Aſcher & Ben Naphtali discrepantias, & quas in Kimchio, Michlal Jophi aliisque Rabbinorum Commentariis Grammaticis animadvertit notas, Leusdeniano Codici adſcripſit, atque tandem aliquando a colligendi opera acquieſcendum eſſe putavit; ſed tamen ſibi temperare non potuit, quin Filio natu majori Berolinum tranſituro in mandatis daret, ut per menſes aliquot ibidem commoraretur & Bibliothecæ publicæ Codices MSS. quorum uſus, proxeneta Comite de Swerin, in hoſpitio ipſi concedebatur, totos evolveret, omniaque, quæ dubia adhuc viderentur, eorum ope expediret. Codex primus, quem inſpexit, 4 tomis in fol. chartæ majoris conſtabat, Targum, Maſora magna & parva inſtructus, atque a Judæo quodam Sondalio. Filio Hillelis Gerſon A 1455 ſcriptus & punctis adornatus & admodum accuratus erat. Alter Codex, quem Stephanus, Epiſcopus Brandenburgenſis, A. 1437 comparaverat, tribus tomis in folio abſolvebatur. Maſoram utramque non item Targum exhibebat, ſatisque accuratam lectionem ſiſtebat, niſi quod in metricis quandoque ratione accentuum ab aliis exemplaribus abiret. Tertium MSS. in 8 ante quingentos annos, anonymo quodam judice, in membrana ſubtiliſſima ſcriptum aureisque nonnunquam literis interſtinctum quinque libros Moſis eoque pertinentes Haphtaras, & quinque Megilloth, itemque Maſoram utramque, Targum & Commentarium Rabbinicum continebat. Præ-

Præter hæc MSS. aliquod in 12 formæ majoris, ante trecentos annos, ut clauſula libri perhibet, ſed quod Dn. Opitio non veroſimile habetur, exaratum, nec non Pentateuchi Moſaici Volumen paraphraſi Chaldaica & Maſora utraque inſtructum laudatus Dn. Opitius accurato oculo perluſtravit, & cuncta, quæ in iisdem obſervaverat, cum venerando ſuo Parente communicavit. Communicavit quoque cum iſto Dn. Wincklerus, LL. OO. Prof. Hamburgenſis duos Codices, quorum unus Pentateuchum una cum quinque Megilloth & Haphtaris, Targum Hebræo textui interſperſum & Jobum complectebatur, Maſora item utraque gaudebat, ſuæque genuinæ antiquitatis manifeſta ſigna prodebat: alter vero non eadem quidem antiquitate, bonitate tamen & ſcripturæ nitore ſe commendabilem reddebat, atque 4 tomis univerſam Scripturam exhibebat. His ita ſuffultus ſubſidiis ad ipſam Codicis Leusdeniani emendationem acceſſit, & ubi cum analogia MSS. & impreſſis codicibus, Maſora aliisque principiis conveniret Leusdeniana lectio, eam veram æſtimavit & retinuit: ubi autem diſcreparet, illam falſitatis damnavit atque rejecit. Cum inter codices impreſſos intercederet diſcrepantia, analogiam linguæ aut accentuum, MSS. & Maſoram attendit, eamque elegit lectionem, pro qua vel omnia, vel pleraque, imprimis vero Maſora militabat. Cum MSS. etiam inter ſe contenderent, lectionem, quam Maſora approbat, licet eſſet anomalica, ſibi ſequendam eſſe duxit. Imo, cum vel omnes impreſſi vel MSS. Codices omnes in aſſerenda quadam lectione convenirent, Maſoræ diverſum tradentis autoritatem, modo iſtam genuinam eſſe conſtaret, præferre non dubitavit. Tandem nec id prætermittendum, in hac editione typum aliquanto majorem & chartam probam quidem, haud tamen nimis candidam, adhibitam fuiſſe, ut oculis conſuleretur: cum Dn. Opitio primum natu majorem, dein natu ſecundum Filium, ut & Fridericum Piernſtiel & Abdiam Georgium Cramerum, Thuringos, in corrigendis vitiis typographicis indefeſſam curam adhibuiſſe, atque ſingula folia ſex ſeptemque ad minimum vicibus revidiſſe: unicuique capiti ſummaria & lemmata addita, eaque maximam partem ex Leusdenii & Jablonsky editionibus deſumta, notas

Digitized by Google

Keri & Cetibh appoſitas aliasque Obſervationes margini adſperſas fuiſſe. Non dubitamus itaque, opus hoc Biblicum tanta cum cura tantaque cum induſtria adornatum, avthentici textus æſtumatoribus perplaciturum, eosque nobiscum ſumme Reverendo Autori integras animi juxta ac corporis vires apprecaturos eſſe, ut *Commentarium* ſuum *Criticum*, in quo omnium accentuum, vocalium & punctorum in ſua editione expreſſorum rationes dare ſtudebit, propediem publicare, atque ſuum *de notis Keri & Cetibh* judicium in ſingulari, quem promittit, *libro* cum eruditis communicare queat. Et cum ſpem faciat, Filium ſuum natu ſecundum, Paulum Fridericum, in ſtudio Maſoretico verſatiſſimum, ſcriptum *de Maſora magna, tam textuali, quam finali, ad Alphabeti ordinem diſpoſita, cumque variis MSS. & inter ſe diligentiſſime collata, & emendata, & ab omnibus fere contradictionibus liberata*, editurum eſſe, nec id literato Orbi ingratum fore ſperamus.

PHILIPPI JACOBI SPENERI CONSILIA & Judicia Theologica Latina, opus poſtumum.

Francof. ad Mœnum, apud Zunnerum & Jungium, 1709, 4.
Alph. 8 plag. 15.

UT Germanica lingua concepta B. Autoris Conſilia & Judicia Theol. olim, ipſo ſuperſtite, prodierunt, 4 Partibus digeſta, quarum primam in Actis A. 1701 p. 102 ſſ. & ſecundam ib. p. 360 ſſ. recenſuimus, ita fere eadē methodo ordinata hoc volumine Conſilia habemus ab eodem Latina lingua concinnata. In prima nimirum Parte explicationes dictorum Scripturæ occurrunt, fideique articulorum, & rerum earum, quæ ad miniſterium Eccleſiaſticum pertinent, de quibus conſultus ille fuerat. In altera Parte, quæ ad officia communia erga Deum, ſuperiores & nos ipſos ſpectant: quibus accedunt matrimonialia, variique generis epiſtolæ excitatoriæ & hortatoriæ. Tertia autem Pars, epiſtolas continet Autoris, quibus ea, quæ triginta annorum miniſterio in Eccleſiis, quibus ipſe præfuit, evenerunt, ſive ipſam ejus perſonam, ſive doctrinam, ſive Eccleſiarum ſtatum, ſive amicos concernentia, explicantur.

Eſt

Digitized by Google

Eſt opus hoc ex genere eorum,quæ epitomes,vel delineationis ſtudium omnino reſpuunt, cum infinita ſit materiarum nullo nexu conjunctarum varietas. Solum Speneri nomen, pietas, doctrina, & tot annorum experientia ſatis eſſe poteſt ad ſalivam lectoribus movendam. Præterea tam nota ejus ſive indoles, ſive doctrinæ ratio, ex ampliſſima ſcriptorum ipſius, quæ proſtant, meſſe omnibus eſſe poterat, ut ex iſto opere non demum ſit colligenda. Id quidem celare Lectorem ſtudioſum nolumus,quod ſummam hic obſeruare liceat ad intimæ familiaritatis Viros ſcriptorum cum publice explicatis & defenſis harmoniam: & quod ipſum Virum Beatum ex iſtis monimentis pateat graviſſimum extitiſſe multorum cenſorem, quorum vel autor vel fautor plurimis adverſariorum ipſius creditus fuit.

Imprimis vero in hac variorum ipſius Judiciorum collectione patet doctrinæ de juſtificatione & ſanctificatione maxima puritas, ſummumque in Sacra oracula & ſcripta B. Lutheri ſtudium, ex quibus concinnatum ipſis verbis Lutheri in integras Scripturas commentarium B. Autor, dum Francofurti adhuc eſſet, collegarum quibusdam adjutoribus uſus prelo paraverat. De Libris illis,quos Symbolicos Eccleſia noſtra veneratur, orta ex certa quadam vocatione occaſione, ita mentem ſuam declarat: Inprimis facile prævideo, quod obligatio Librorum Symbolicorum inimicis præbitura ſit occaſionem me capiendi: qui enim ne nunc quidem iſta ſolvi deſideravi, non tamen tantam iſtorum autoritatem agnoſco, ut præter dogmata fidei, a quibus nihil recedere licet, in omnibus apicibus reliquis infallibilitas iſtis adſcribatur, quod non ſemel profeſſus ſum. Sub poteſtate autem Theologorum, vel illo ſoco poſitus, ubi horum accuſatio pondus habet, receſſionis arguar hanc ipſam ob cauſam, quod non majorem, quam ipſi majores & autores tributam volebant, autoritatem tribuam. Imprimis cum tantum non omnes Germaniæ Theologi noſtræ Eccleſiæ in id conſpirent, quod Chiliaſmus, hoc nomine comprehenſa omni de Regni Chriſti gloria adhuc majori futura ſententia, A. C. articulo 17 ſit condemnatus: & ipſe adverſus me ipſum ſententiam dicere & ſi contra alios dicetur, huic ſubſcribere jubebor aut perjurii eſſe reus. Hactenus Autor. Emendando-

dorum Eccleſiæ in praxi vera & diſciplina defectuum præcipuus ubique labor Schiſmatis cavendi ſummum ubique præfert ſtudium, & ſi quod tale metuendum appareret, nihil conſulendo omittit, quo id averti queat. Imo ne ejus rei ſpecies daretur, conteſſerationes quorundam, promovendo ſtudio pietatis & veritatis deſtinatas, qualis inſtituta a B. JCto J. A. Fritſchio *Societas Jeſu frugifera*, & omitti maluit, neque ut ei adſcriberetur, permoveri potuit. Reconciliationem cum Romana Eccleſia plane impoſſibilem ſtatuit, nec illa admittit eo tendentia conſilia, quorum varia in hoc opere ſeſe offert ἱςορία: nil niſi deſtructionem Babylonis expectandam eſſe ducens. Cum Reformata vero Eccleſia pacem optare potius quam pro iſtorum temporum ratione ſperare videtur: atque Duræanam imprimis methodum improbat paſſim: ſed & ipſe, cum publica autoritate de eo negotio agere juberetur, circumſpecte valde, & quod ipſe non diſſimulat, meticuloſe incedit: ſuſpectam imprimis praxin habens Reformatorum, qui dum pacis ſtudium maxime præ ſe ferant, maxime de acquirendis, ubi Lutherana floret religio, templis laborent: & integram hodienum, ſaltem nunquam a Reformatis repudiatam Decretorum Dordracenorum autoritatem. In cenſuris ſcriptorum, maxime ad praxin pietatis pertinentium, utique mitior eſt, quam cuperent nonnulli: neque propter nævos nonnullos, quos tamen non diſſimulat, multo minus probat, ab eccleſiæ uſibus penitus removeri vellet ſcripta Tauleri, Theologiam Germanicam, Grosgebaueri, Hohburgii, Statii, Betkii aliorumque ejus generis.
P. III, p. 199. Jacobi Bohemi libros non probat, imo alicubi *praxin ejus a ſcribendi S. Spiritui conſueta ratione abludentem ſibi eſſe ſuſpectam, quædam, ſi recte mentem Viri aſſecutus ſit, verbo Dei adverſa videri* ait, damnare tamen non audet, quod ſe intelligere minus fatetur. Miraculorum & prophetiæ donum noſtro ævo penitus ceſſaſſe concedere nolit, licet credendorum unicum principium Scripturam agnoſcat. Sed taceo alia ejus generis, quæ infinitum eſſet omnia exponere: ipſum librum adire præſtiterit, qui rerum varietate & copia facile legentium animos detinebit.

HISTO-

Digitized by Google

HISTOIRE DE LA LIGUE FAITE a Cambray.

i. e.

HISTORIA FOEDERIS CAMERACI INter Julium II Pontificem, Maximilianum I Imp. Ludovicum Galliarum, Ferdinandum V Arragoniæ Regem & Principes Italos adverſus Rempublicam Venetam initi.

Tomi II.

Pariſiis, apud Florentinum Delaulne, 1709, 12. ch. aug. Alph. 1 plag. 20.

NOn illi tantum de Hiſtoria bene mereri videntur, qui partem illius novam, aut ab aliis nondum occupatam excolendam ſibi ſumunt, ſed & hi, qui ubi rem quandam memorabilem ob diverſa tamen Scriptorum inſtituta & indolem varie habitam animadvertunt, eandem ordini ſuoque nitori reſtituere laborant. Alteram hanc viam ingreſſus eſt Anonymus Gallus, qui poſt Præfat. *Andræam Mocenigum*, quem juvenem admodum belli Cameracenſis varios eventus, arcanis tamen illorum cauſis prætermiſſis, Latino ſermone deſcripſiſſe conſtat, & *Varillaſium* in *vita Ludov.* p. 9. *VII*, ſcriptorem credulum, arrogantem & ἀχρονίσμοις ubique ſcatentem, ex melioris notæ Hiſtoricis, Gallis pariter & Italis, *Machiavello*, *Bembo*, *Guicciardino*, *Jovio*, *Juſtiniano*, *Joanne de Sancto Gelaſio*, *Martino Bellajo*, aliisque iſtius ævi, fœderis illius fortunam variosque eventus magna libertate non ſine elegantiæ & prudentiæ laude quinque Libris complexus eſt. Principio operis multa nos docet, quæ confœderatos ab inſtituto revocare potuerint, Reipublicæ Venetæ ſtatus tum temporis florentiſſi- L. 1. p. 1. mus, commercia, opes, res domi forisque bene conſtitutæ, di- ſeq. verſa deinceps ſtudia Principum coeuntium inter ſe. Pontifi- p. 13. cem quidem, quod ipſi a nulla alia re magis cavendum ſit, quam ne terrarum denuo aliquid Imperator in Italia potiatur, qui non ſolum ſupremum jus in Eccleſiæ Patrimonium ſibi vindicet, ſed p. 15 usque adeo in partibus nonnullis dominium, ut vocant, utile Pontifici dubium reddat. Arragonis etiam ob utramque Sicili-

am, cui imperabat, vicini, eidem ſuſpectam eſſe debuiſ-
p. 16. ſe potentiam, neque cauſam adfuiſſe idoneam juvandi Gallum, quem odio alias proſequebatur, cujusve Miniſter, Ambroſianus Cardinalis, omnium arcanorum conſiliorum particeps, periculoſiſſimus fuerit competitor, cum de tiara Pontificali Julio II imponenda Purpuratorum ſuffragia in Conclavi colligerentur, quique ne tum quidem ſpem omnem dignitatis illius aliquando
18. capeſſendæ abjeciſſet. Sic nec Ludovicum XII fidem habere debuiſſe Maximiliano, quem inimiciſſimum ſibi ſciebat, & ad nocendum Galliæ, ſi occaſio ferret, omnino promtum, neque e re
19. fuiſſe Ludovici ad acquirendas novas terras Maximiliano ſuppetias ferre, quæ devolutæ aliquando ad hujus ex Philippo Archi-Duce nepotem Carolum, ob matrem Johannam & Mariam aviam jam tum ampliſſimis ſucceſſionibus deſtinatum, non potue-
22. rint non triſte quid minari Gallicæ felicitati. Inter Maximilianum quoque & Ferdinandum ob adminiſtrationem Provinciarum ad Carolum nepotem ſpectantium intercedentes ſimultates, & odium, quod Gallus adverſus Arragonem conceperat, ex quo poſſeſſione terrarum, quæ in diviſione Regni Neapolitani inſtituta ipſi obvenerant, dejectum ſe videret, omnem reconciliationis ſuſpicionem prohibuiſſe, Venetos tamen, quod & hoſtes ſuos alto ſupercilio ſpernerent, & ſociorum commoda nequaquam curæ haberent, effeciſſe, ut Principes illi, incentore Julio II Pontifice, derepente Cameracæ, quaſi tentandæ amicitiæ ergo Carolum inter Principem Hiſpanum & Geldriæ Ducem, coirent, atque ad opprimendam Rempublicam d. 10. Dec. A. 1508 fœdus
47. percuterent. Notat hic Guicciardini lapſum, qui conventionem Caroli cum Geldriæ Duce, & confœderationem Principum uni eidemque inſtrumento inſertas, hancque poſteriorem articulos ſecretos conſtituiſſe credidit, quem errorem ſuum deinde fecerit Varillaſius. Leges fœderis & fata belli, quod ſeptennio demum poſt finiit, non recenſebimus, neque omittemus tamen ſingulares, quas hinc inde inſperſas animadvertimus, obſervatio-
104. nes. Primum locum tenet notatu digna clarigatio, quam armiger Ludovici ad Venetos miſſus in pleno Senatorum conſeſſu ſolemni formula protulit: Audite, Dux Venetorum, & qui has terras,

ras incolitis. Ludovicus Rex Galliarum ablegavit me denunciatum bellum vobis, hominibus malæ fidei &c. cui Dux convenienter reſpondit. Paucis interjectis, infelicem ad Adduam pugnam (Gallis *la journee d' Agnadel*) & in ea fractas magna ex parte Venetorum vires memorans, quid de Oratione Antonii Juſtiniani, in qua nomine Reipublicæ omnia, quæ in continenti tenebat urbs perterrefacta, ultro offert Maximiliano, habendum ſit, ſimul disquirit. Etſi vero impoſturæ hic videat accuſari Guicciardinum, qui primus eam e latebris ſuis protraxit, e Venetis ſcriptoribus, & in illis Johannes Baptiſta Leo urgeat, nil quidquam tale in mandatis Juſtiniani inveniri hodie poſſe, literarum quoque fiduciariarum avthenticum, quod ſuo adhuc tempore in manibus hæredum Juſtiniani fuerit, ſatis innuere, illum ab Imperatore non admiſſum fuiſſe, cum alias mandatum illud Actis Cancellariæ fuiſſet inſerendum; Petrus autem Juſtinianus, ex poſteris iſtius Juſtiniani, & Paulus Paruta aliique alia adſerant; ipſe tamen in alteram illam ſententiam, quam Autor *Scrutinii libertatis Venetæ*, quem Cardinalem de la Cueva facit, adſeruerit, proniorem ſe fatetur. Obſervat autem, quod cum plures una Editiones Hiſtoriæ Guicciardini Venetiis prodierint, Collegium Decemvirorum, quod res longe minoris momenti reſecuerit, Orationem illam intactam ſemper reliquerit. Inſtructionem, quam vidiſſe ſe gloriatur Leo, publicam procul dubio fuiſſe, ſolere tamen in cauſis tam arduis arcana inſuper mandata Legatis dari. Literarum fiduciariarum bina forte, ut alias moris eſt, fuiſſe exempla, quo, ſi unum periret, alterum præſto eſſet. Concordes in eo eſſe Autores Venetos, Juſtinianum bis poſt cladem Adduanam ad Imperatorem Maximilianum miſſum eſſe, & quanquam prima vice repudium paſſus ſit, altera tamen cum Imperatore Lentii egiſſe, ibique eum Orationem hanc recitaſſe, ex ipſa Venetorum Scriptorum narratione probabile fieri. Indicium quoque facere, quod Legatus Gallicus inſequenti anno in Comitiis libere dixerit: Venetos ſupplices pacem & miſericordiam exoraſſe. Neque credibile eſſe, Guicciardinum, hominem nobilem & qui vivus hiſtoriam ſui temporis emiſerit, famæ ſuæ adeo male fuiſſe conſulturum. Addit his omnibus Anonymus,

p. 111.

148 ſeq.

dubitandum amplius non eſſe de rei veritate, poſtquam Jacobus Treterus, Duci Pomeraniæ a Conſiliis, Orationem illam Latino, quo pronunciata fuerat a Juſtiniano, ſermone A. 1613 vulgaverit. Eodem anno, quo ad Adduam pugnatum fuit, vi fœderis Came-
p. 172 ſqq. racenſis inveſtituram Mediolanenſis Ducatus a Maximiliano denuo impetravit Ludovicus, quod prior illa, quam paucis annis ante d. 7 April. A. 1505 Hagenoæ obtinuerat, nulla ibidem Valentinæ e Vice-Comitum familia, aviæ Ludovici mentione facta, a ſola concedentis gratia pendere videretur. Monet hic Anonymus, jus Ludovici innixum fuiſſe pactis dotalibus inter Ludovicum Aurelianenſem Ducem, filium Caroli V Galliarum Regis, avum Ludovici XII, & Valentinam Mediolanenſem initis, quibus Valentinæ pater Johannes Galeatius Vice-Comes, extincta ſtirpe maſcula, filiam ejusdemque poſteros ad ſucceſſionem Mediolanenſium ditionum vocabat. Cum autem fateri cogatur, Pacta illa ab Imperatore nunquam confirmata eſſe, non quidem ad Jovii & Caſſani diverticula delabitur, ac ſi ea ætate revera vacaſſet Imperium, Electoribus de novo Principe eligendo a ſe invicem diſſidentibus, vacante tamen eo ſaltem ob dementiam Wenceslai, ſatis fuiſſe, quod illa a Clemente VII Avenione ſedente approbata, quem ut Pontificem tribuendarum Inveſtiturarum Imperii Romani eo caſu poteſtatem habuiſſe, ex Proteſtantium JCtis ne ipſe quidem neget magnus Grotius. Pontificem ad minimum ea ætate in quieta juris illius poſſeſſione fuiſſe, cum & ante id tempus Johannes & Luchinus Vice-Comites ex eadem gente inveſtituram a Pontifice petierint. Johannem Galeatium, qui A. 1390 ex Vice-Comite Dux Mediolanenſium beneficio Wenceslai factus eſt, æque ac anteceſſores ſuos Imperium ſuum non Imperatori, ſed populo acceptum tuliſſe, eosdem honoris ſaltem gratia vices Vicariorum Imperii in ſe recepiſſe, ſpecieque quadam homagii Imperatoribus ſe obſtringi paſſos fuiſſe. Si in literis inveſtituræ Joh. Galeatii, quas primus exhibuit integras Illuſtris Leibnizius, diſertis verbis in feudum ſucceſſio filiabus non tribuatur, nec excluſas ullibi legi: Wenceslaum quoque in Diplomate ſuo, cum bene noſſet pacta, quæ præceſſerant, eadem ſilentio ſuo rata ha-

habuiſſe: quæ omnia eo tendunt, ut Sfortiam jure Mediolanenſis Ducatus poſſeſſione exutum a Ludovico oſtenderet.

M. REINH. HENR, ROLLII, BIBLIOTHECA Nobilium Theologorum, cum præfatione D. JO. FECHTII, Theolog. Roſtochienſis.

Roſtochii & Lipſiæ, impenſis Chriſt. Gotthold Garmanni, 1709, 8 Alphab. 2.

HAnc de Nobilibus Theologis commentationem Alberto Joachimo de Krackewiz, Equiti Megalopolitano & Doctori Theologo Roſtochienſi, inſcriptam, Cl. Autor tribus diſtinxit Sectionibus, quarum *prima* generalia capitibus duobus, *altera* hiſtoriam capitibus tribus exhibet, *tertia* denique judicium Theologicum capitibus rurſum duobus ſuppeditat. In Sectione *prima* de potioribus vocabulis in rubro occurrentibus agit, ac propoſitum ſuum declarat, indicans, ſe nec de Principibus Theologis, nec de illis Nobilibus hoc in loco acturum eſſe, qui, licet ſcriptis inclaruerint Theologicis, nullo tamen vel gradu Theologico, vel munere ſacro fuerint conſpicui. Exulare quoque hinc jubet Theologos, qui in ipſo jam officio conſtituti, a Principe ſuo nobilitatis juribus & privilegiis donati fuerunt. Rationem vero ſe habiturum ait Nobilium ortu ſatuque talium, vel inter Lutheranos, vel Reformatos, vel Pontificios, ſive gradum aliquem Theologicum, ſive functionem quamcunque ſacram conſecutorum. Ad Sectionem *ſecundam*, quam hiſtoricam appellat, delatus, primo capite agit de Nobilibus Theologis Lutheranis, e quorum claſſe literarum ſeriem ſecutus producit Nicolaum Amſtorffium, Nobilem Miſnicum. Secundum locum Bernhardo, Nobili Burgundo, vindicat, qui, quamvis medio ſub Papatu vixerit, tantum tamen abeſſe Autore ait, ut cum eo ſenſerit, ut potius in omnibus ferme Articulis principalibus, nominatim de juſtificatione hominis peccatoris coram Deo, bonorum operum meritis, aliisq; dogmata Lutherana firmiſſimis corroboraverit argumentis. Bernhardo ſubjungit Ambroſium Blaurerum, Nobilem Conſtantienſem, & Jo. Boſſekium, Nobilem Miſnicum. Ex illuſtri Bucholcero-

rum familia Georgios binos, unumque Abrahamum, Bucholceros recenſet. Hos excipiunt Carolus Auguſtus Bulovius, Nobilis Megalopolitanus, ex Dornkrelliis ab Eberhertz Tobias & Jacobus pater filiusque, Nobiles Lunæburgenſes. Aliquo quoque modo in hunc cenſum venire putat Andream Dubitium, Nobilem Pannonium: omni vero ex parte inter nobiles Theologos Lutheranos locum obtinere adſerit Petrum Edelingium, Pomeranum, Matth. Flacium Illyricum, Burchardum Harbardum, Boruſſum, Tilemannum Heshuſium, Weſtphalum, Matthiam Hoe ab Hoenegg, Auſtriacum, ex antiqua Krakevitziorum proſapia Bartholdum, Rugianum, Joachimum & Joachimum Albertum, hunc Megalopolitanum, illum Pomeranum, Nobiles. Neque excludendos eſſe a Nobilium Theologorum conſortio judicat Leonhardum a Krentzheim, Francum, nobilemque Kromayerorum familiam, ac Liliorum gentem, quæ celeberrimos Eccleſiæ Theologos dederunt. Eidem claſſi adſcripſit Jo. Machabæum, Scoto Britannum, Cœleſtinum Miſlentam, Boruſſum, Nic. Hieron. Oelhafium, Noricum, Jo. Pappum, Lindavienſem, Balthaſarem Henr. de Platen, Rugianum, Adolphum Frid. Preenium, Megalopolitanum, Erhardum Queis, Boruſſum, & Jacobum Reihingium, Auguſtanum. His Caſp. Swenckfeldium ab Oſſing, Sileſium, adnumerandum fuiſſe monet, niſi puram Evangelii doctrinam cum fanaticiſmo permutaſſet. Majori jure huc referri opinatur Paulum Speratum, Suevum, nec non Jo. Staupitium, Miſnicum, Georgium Venetum, Boruſſum, Andream Virginium, & Samuelem Voſſium, Megalopolitanum, omnes nobili proſapia ortos. Ex Wellerorum a Molſtorff antiquiſſima proſapia Hieronymum Wellerum, Nobilem Freibergenſem, ſiſtit, ejusque fratrem Petrum Wellerum obiter attingit, & de Jacobo Wellero prolixius agit. Theologorum Nobilium agmen claudit Bernhardus Zieglerus, Nobilis Miſnicus. Non diſſimili ratione de Nobilibus Theologis Reformatis agit capite ſecundo, & literarum ſeriem, ut antea, ſecutus, inſignem eorum numerum ſiſtit. Tertio capite ad Pontificios progreſſus ex innumeris Romanæ Eccleſiæ Theologis Nobilibus doctiores atque illuſtriores ſelegit. In *tertia* tandem eaq; ultima Sectione, quam pragmaticam Autor noſter appellat, de eminentia Theologiæ

inter

Digitized by Google

inter ceteras diſciplinas agit, & an Nobili conveniat ſtudium Theologicum, erudite disquirit. Ceterum Theologos illos non tantum enumerat, verum & vitas illorum ac fata, ſcriptaque præcipua accurate recenſet.

MEMORIÆ PHILOSOPHORUM, ORATORUM, Poetarum, Hiſtoricorum & Philologorum renovatæ. Decas I. collegit, recenſuit & cum additamentis quibusdam edidit M. REINH. HENR. ROLLIUS, *Weſtphalus.*

Roſtochii, impenſis Chriſt. Gotthold Garmanni, 1710, 8. Alph. 1 pl. 7

EXemplis ſummorum Virorum, Pippingii & Gœzii, qui Theologorum memorias hactenus renovarunt, excitatus Cl. Rollius de Philoſophis, Oratoribus item, Poetis, Hiſtoricis & Philologis bene mereri geſtit, jamque primam exhibet illuſtrium Virorum Decadem lectu digniſſimam. Hic primo loco Orationem de vita Rudolphi Agricolæ ex Melanchtonis Orationum Tomo II, deinde Hermanni Hamelmanni de vita Hermanni Buſchii narrationem, e Johannis Goes opuſculis de Weſtphalia, Nathanis Chytræi de vita Arnoldi Burenii Orationem ex iisdem opuſculis, Joannis Caſelii vitam, tum e Programmate publico, tum ex Jacobi Burckhardi Epiſtola, nobis A. MDCCVIII p. 92 ſeq. prolixius recenſita, Marci Haſſæi porro & Chriſtiani Arndii vitas e Programmatibus funebribus, Melchioris Smidii Orationem in obitum Chriſtophori Schraderi, denique Joachimi Lindemanni & Joachimi Reuſſii vitas, pariter e Programmatibus exequialibus deſcriptas, videas, quibus ultimo loco Joannis Caſelii Epiſtola ad Jo. Reccium, in qua de doctis nonnullis Weſtphalis eleganter egit, & ejusdem Reineccii elogium metricum Nicolai Goniæi & Marci Haſſæi carmen encomiaſticum Præceptorum annectuntur.

NOVA LITTERARIA.

VEnetiis celeberrimus Vincentius Coronelli, editis jam octodecim *Bibliothecæ Univerſalis* Tomis, ubi ſub lit. C ad titulum *Cavalieri* pervenit, in eo nunc eſt, ut integram Bernardi Juſtiniani

niani Hiſtoriam Ordinum Equeſtrium (de qua egimus in Suppl. T. II Sect XI) recuſam vaſto illi operi inſerat. Quare publico programmate invitavit rerum harum curioſos, ut, ſi quid habeant, quo ſuppleri Juſtinianus poſſet, ad ipſum curent Venetias, ſuis tamen ſumptibus, transmitti. Hac idem occaſione alia hactenus a ſe edita opera indicat, in quibus ſunt *Teatro della Guerra*, in fol. quod opus XXXIV Tomis, ſinguli vero Tomi 120 Tabulis Geographicis conſtat; 2 *Cronologia Univerſale, con numeroſe altre Cronologie particolari, Sacre e Profane*, in fol. 3 *Singolarità di Venezia*, in fol. quod opus templa, palatia aliaque, quæ Venetiis conſpiciuntur, elegantiſſimis figuris repræſentata exhibet; 4 *Antiquæ Novaque Legis Eccleſiaſtici, nempe Hebræi, Latini ac Græci, tam Sæculares, quam Regulares, ac etiam Sanctimoniales, nec non Ordines equeſtres, iconibus 460 brevibusque inſcriptionibus in IV Partes expreſſi*, in fol. Ceterum multum hactenus inter Jacobum Laderchium (quem fama eſt in continuandis Baronii Annalibus nunc deſudare) & ejus Adverſarios de S. Creſcio diſceptatum fuit. Eam controverſiam edito nuper Florentiæ opere non inerudito componere tentavit Marcus Antonius de Mozzi, in quo procul odio & invidia nudam veritatem ſe propinaſſe finemque tandem liti huic impoſuiſſe ſperat.

Idem propoſitum fuiſſe videtur Anonymo Gallo, qui quæ inter Germonium ex una, & Mabillonium, Ruinartum Italoſque nonnullos ſcriptores ex altera parte de Arte Diplomatica argute diſputata ſunt, in compendium redegit & Pariſiis ſub tit. *Hiſtoire des Conteſtations ſur la Diplomatique, avec l' Analyſe de cet Ouvrage, compoſé par le R. P. Dom JEAN MABILLON*, in 8 vulgavit.

Amſtelodami Novum Teſtamentum Græcum, ex recenſione Joannis Mill, a Ludolpho Kuſtero denuo multo ſtudio reviſum atque auctum, præmiſſa etiam a Jo. Clerico doctiſſima Epiſtola, hoc ipſo anno prodiit. Roterodami quoque lucem adſpexit eodem hoc anno liber elegantiſſimus & tempori imprimis accommodatus ſub tit. *Memoires ſur les dernieres Revolutions de la Pologne, ou on juſtifie le Retour du Roy AUGUSTE, par un Gentilhomme Polonois*, in 8.

Digitized by Google

ACTA ERUDITORUM,

publicata Lipſiæ

Calendis Februarii, Anno M D C C X.

J. HARDUINI E S. J. OPERA SELECTA.

Amſtelod. apud Jo. Ludov. de Lorme, 1709, fol. ch. aug. Alph. 10 pl. 8.

EN fœtum, quem dum nec parens tollere vult, nec patria, ſuſcipiunt exteri, hoc majori quidem aviditate, quo inſolens magis fuit, ſtatus ei controverſiam, antequam naſceretur, moveri. Harduini nempe hæc Opera fatum hoc ſubiiſſe, quis neſcit? cum ipſe Autor, ſe non agniturum hanc Editionem declaraverit, nihilominus autem impreſſam, ad ſe deferri Galli non patiantur. Nec profuit adeo multum Bibliopolæ cautio, qui, quo minus adverſam experiretur ſortem, Bignonii tutelæ, quem rei literariæ perhibent omnes in Gallia Tutanum, editionem ſuam tradiderat. Obfuit ei Jeſuitarum declaratio, qua non probare ſe ſocii ſui ſcripta, eorumque publicationem, aperte ſunt teſtati, cum contineantur ibi cum aliæ paradoxæ, tum illa maxime de ſuppoſitis autoribus antiquis opinio, quam ipſi Societati dolent a quodam tribui. Poſtquam vero Patrum horum Societas univerſa, longe ſe ab hac abeſſe ſententia demonſtraſſet, ipſe Harduinus, quicquid ei ornandæ vel dixerat, vel erat dicturus, confeſſus eſt eſſe falſum, nec ullo modo ſe tueri. Utramque, tum Patrum, tum Harduini, declarationem exhibent *Bernardus* atque *Basnagius*, ille in *Republ. Litter.* A. 1709 M. Jan. pag. 95, ſq. hic in *Hiſtoria Actor. Erudit.* Anno 1709 Menſ. Mart. pag. 118, ſeqv.

Hæc Libri hujus Hiſtoria. Jam quod ad ipſam ejus collectionem attinet, conquiſivit *Dn. de Lorme* ſcripta, tum quæ jam olim viderunt lucem, tum quæ edita nunquam fuerunt, illis tamen etiam novo velut habitu prodeuntibus, cum auctiora multo & emendatiora curis ipſius Harduini ſecundis ea ſit ſortitus. Comparent primo loco *Numi Populorum & Urbium illuſtrati*, qui prodiere jam A. 1684, nobis anni ſequentis menſe Junio p. 279 memorati. Ex hoc Tractatu, quem tantam habiturum utilitatem ſperabat Harduinus, ut Errata Antiquariorum inſcribi potuiſſe cenſeret, reſecuit quædam, plura tamen addidit, tum paucis contenta verbis, tum integris Diſſertationibus, ſatis tamen quandoque brevibus. Tales ſunt, *de Fortuna Antiochiæ & Tyri ſub Auguſtis, de Bithyniæ Regibus, de numis Regum Cappadociæ, de bello Judaico ſub Adriano, de Regibus Mauritaniæ, de numis, qui in epigraphe habent nomen Narbonis, de menſibus Paphiorum, de numis Regum Ponti, de antiquis Siciliæ Regibus, & de quibusdam veterum numorum ſymbolis.* Hæ ipſæ additiones & emendationes fuerunt in cauſa, quo minus *Antirrheticus Harduini adverſus Vaillantium* olim editus (v. Act. Erud. Supplem. T. I p. 475) ſubjungeretur, mutatis nunc & ſuppletis, quibus id fieri debebat locis, parum utilis. Sequitur adeo de *Baptiſmo quæſtio triplex*, itidem jam ante publicata A 1687, ut liquet ex Actis noſtris ejusdem anni p. 303. Auctus dicitur in Præfatione hic Tractatus nova diſſertatione ad 1 Cor. XV, 29, quem locum etſi jam olim quoque explicaverit, mutavit tamen nunc plane ſuam de eo priorem ſententiam Harduinus, ut infra videbimus. *Epiſtolæ Chryſoſtomi ad Cæſarium*, quam A. 1689 primum edidit, (conf. Suppl. T. I p. 495) jam adjunxit Diſſertationem *de myſterio fidei in conſecratione calicis*, & *Defenſionem contra Bibliothecæ Univerſalis Autorem*, qui contenderat, non favere Chryſoſtomum Transſubſtantiationi, pariter jam A. 1690 ſeparatim vulgatam, cui reſpondit Bibliothecæ Scriptor T. XIX pag. 527. Comparet quarto loco liber *de Numis Herodiadum*, auctus, ut dicitur in Præfatione, numis animadverſionibusque permultis. Additur & *Epiſtola Gallica*, qua ſyſtema ſuum de

de Herodibus, contra celeberrimam *Baſnagii Hiſtoriam Judæorum* defendit. Anno 1693 hic de Herodiadum numis tractatus lucem primum aſpexit, a nobis Supplem. T. II p. 375 eſt recenſitus. Tractatui *de ſupremo Chriſti Paſchate* A. 1693 edito, & a nobis Supplem. T. II p. 395 prolixe ſatis enucleato, adjunctæ ſunt hic *duæ Defenſiones* Gallicæ ſeparatim antea emiſſæ, contra *Diarium Eruditorum Pariſienſe* & *Lamium* directæ, altera ſub *Dialogi*, ſub *Epiſtolæ Euſebii ad Irenæum* forma altera. Quinto loco comparent *ſeculi Conſtantiniani Numiſmata*, ex priori editione A. 1696 hic repetita, auctiusque multo & emendatius, Diſſertationibus ad finem (præter ipſius contextus augmenta) quibusdam adjectis. Sequitur *Chronologia V. T.* A. 1697 & 1699 edita, noſtrisque laboribus A. 1700 p. 180 perluſtrata, quæ additionibus pariter ac emendationibus novum propemodum opus facta dicitur. Hanc excipiunt *Epiſtolæ, quædam Tetrici, Diocletiani, Maxentii numiſmata illuſtrantes*, editæ olim Luxemb. 1700, quibus nunc acceſſere duæ, defendendo Harduino inſervientes. Octavum locum occupat liber plane novus, *Hiſtoria Auguſta ex numis antiquis Græcis Latinisque reſtituta*, cujus infra dabimus conſpectum. Claudunt agmen Diſſertationes variæ: *1 de LXX hebdomadibus contra Bern. Lamy; 2 ad Act. VI, 9 de Synagoga Libertinorum; 3 ad numum Ludov. XII Galliæ Regis, cujus eſt inſcriptio: PERDAM BABYLONIS NOMEN; 4 ad Philippi Auguſti quendam numum; 5 ad numum quendam rariſſimum Juſtiniani; 6 Interpretatio Pſalmi LXVII* (LXVIII ſec. Hebr.) *7 Explicatio ſubſcriptionis Veronicæ, ſ. veræ iconis Chriſti; 8 Diſſertatio, qua Cepham a Paulo reprehenſum Petrum non fuiſſe oſtenditur.* Hæc primum editur, reliquæ ex Eruditorum in Gallia Diariis Epiſtolisque quibusdam Harduini ſunt excerptæ. Jam aſpiciamus age penitius hoc opus, & ſpeciminis loco quædam depromamus, ita tamen, ut eorum tantum habeatur ratio, quæ vel plane nova, vel a nobis nondum recenſita fuere.

In *Numis Populorum & Urbium* non contemnendæ ſunt additiones, quas huic Editioni videas acceſſiſſe. Multæ ad pag. 4.

ſtabiliendum Harduini *ſyſtema* de *νοθεία* plurimorum ex antiquis Autorum faciunt. Earum exempla quædam nunc dabimus. In Abydenorum numo, cujus inſcriptio: ΗΡΩ ΛΗΑΝΔΡΟΣ ΑΒΥΔΗΝΩΝ, Hero & Leander fabulis Poetarum noti fruſtra, ut Noſter putat, quæruntur, cum potius ex falſa hujus Epigraphes lectione nata ſit fabula tantopere decantata, *Ἀήανδρον* nempe monſtrum eſſe, cum Leander apud Græcos *Λέανδρος* dicatur. Legendum igitur ΗΡΩΜΗ ΑΝΔΡΟΣ, *robur viri*, cum deſignent Abydeni fretum turres ſuas alluens a viris poſſe tranando ſuperari, quod nautis ejus civitatis fuerit familiare. Contrahi ſcilicet ſæpe duas literas in Inſcriptionibus, ut adeo ex Η ΡΩΜΗ, ΗΡΩ *Ληανδρος* fuerit fa-
p. 12. ctum ab impoſtoribus. Halicarnaſſenſium numum unicum, ubi *Μητρόπολις* vocatur Halicarnaſſus, eo quod unicus ſit, interpolatum cenſet Noſter ex alio, in quo legitur: ΑΡΧ. ΣΤΡΑ-
19. ΤΟΚΛΕΟΥΣ, unde factum ſit ΜΗΤΡΟΠΟΛΕΩΣ. Caracallam (vel ut ipſe ſemper vocat, Antoninum Severi F.) & Getam primos in numis *Dominos noſtros* vocari obſervat.
20 ſq. *De Antiochia in Syria ſub Auguſtis fortuna* differens, in tres claſſes numos ejus urbis diſpertitur, 1 percuſſos a Latinis ibi negotiantibus, vel totos Latinos, vel Græco Latinoque mixtos, omiſſo utrobique *Αντιοχέων* nomine, cum literis S. C. in averſa; 2 Græce tantum inſcriptos ab indigenis; 3 Auguſti nomen Latinum habentes, Græcum civitatis. *Catalogum a Latinis percuſſorum* pertexit usque ad M. Antoninum: M. Aurelii, Commodi, Severi ſimiles ſe non vidiſſe fatetur. Attamen in his quoque notat, inde a Trajani temporibus Auguſti nomen Græce, ſervatis tamen S. C. Latinis literis, ſcribi ſolitum, quo teſtati ſint, origine ſe Romanos, idiomate jam, poſt tot generationes ab Auguſto repetendas, Græcos eſſe factos. Ex *altero nummorum genere*, Græce ſcilicet omnino percuſſorum ab indigenis, usque ad Trajani ſuprema tempora, obſervat Harduinus ſequentia. Eos ad illam usque periodum obnoxios Romanis neutiquam fuiſſe, ſed fœderatos quidem, attamen liberos.

Fœ-

Digitized by Google

Fœdus primum pactum ſub Auguſto A. V. C. 723. Imperatorem usque ad dictum Trajani tempus ab iis non ἀυτοκράτορα ſed Σέβαςον, i. e. Venerandum dici. Fœdus hoc quotannis renovatum, rei memoriam per numos conſervatam, addito æræ Auguſtanæ anno, quæ in Aſia ab A. V. C. 723 incipiat, ſæpe nec Auguſti, nec magiſtratus cujusdam in illis mentionem fieri, ubi tamen fiat, (quod non inveniatur ante 25 ab icto fœdere annum,) magiſtratum intelligi talem, quo ſequeſtro & intermedio fœdus ſit renovatum, qui nunquam ab iis vocati ſint ἡγεμόνες: neque enim fuiſſe aliquos Syriæ Antiochiæ præſides, quicquid Joſephus, Vellejus, Tacitus & antiquorum alii narrent, nec Auguſtum illis ἀυτοκράτορα, ſed Auguſtum tantummodo, & quibus annis voluerint Antiocheni, ἀρχιερέα fuiſſe, quem ipſi honorem primum detulerint A. 25 æræ Auguſtanæ. Tiberii vultum & nomen eos inſculpſiſſe numis, non tamen conceſſa poteſtate ſuprema. Sub Claudio poſtea *tertium nummorum genus* invaluiſſe, Latine ſcripto Auguſti nomine, Græce magiſtratum expreſſum annumque additum fœderis cum M. Antonio avo Claudii materno & C. Cæſare initi. Hanc autem linguarum diverſitatem ab deſignandam populorum concordiam uſurpari. Sub Hadriano dein & Antonino Pio receptam veterem conſuetudinem anni duntaxat ſignandi æræ Antonianæ & Cæſarianæ, omiſſo Auguſtorum & magiſtratuum nomine. Poſt Antoninum ſolo æquatam a Parthis Antiochiam autumat, cum nulli ſub M. Aurelio, nulli ſub Commodo & Severo ejus numi compareant, ſub Caracalla autem colonia dicatur Antiochia, quæ deduci niſi in vacuum indigenis ſolum nequeat. Inde jam Αυτοκράτορας Antiochiæ factos Imperatores Romanos, & in numis occurrere literas Δ. Ε. & S. C. illud notare δημȣ̃ ἐυχῆ, ex Antiocheni populi voto vel eo flagitante, Senatus vero Romani conſulto renovatum fœdus. *Bithyniæ Reges* quinque fuiſſe conjicit, hac ſerie ſibi ſuccedentes. 1 Pruſias, qui Regis nomen in numis non habet; 2 Pruſias Βαϛιλέυς; 3 Βαϛιλευς Nicomedes; 4 Βαϛιλευς Pruſias; 5 Βαϛιλευς Ni- p. 34.

comedes Epiphanes. Quæ *de Cappadociæ Regibus* habet, conſulto præterimus, cum vix ſatis queant contrahi. *Bellum Judaicum* ſub *Adriano* nullum fuiſſe, contra Dionem alioſque ex antiquis aſſerit, Gruteri Inſcriptiones malæ fidei accuſat, Occonis denique numum, in quo Judaicæ expeditionis fiebat mentio, dicit adulterinum. *Mauritaniæ Regum numos* expendens, refert aliquem Jubæ junioris, qui clavam Herculis exhibet Mauritaniæ inferioris ſymbolum, angulis clavæ adduntur hæ literæ E T ſuperius (ſitus enim clavæ eſt oblongus) M E inferius. Has ita explicat Harduinus Ἕνωσις Μαυρεϊανίας τῆς ἑκατέρας, cum Juba hic utriusque Mauretaniæ primus Rex fuerit. Jubam apud Mauros Deum poſt obitum factum negat, quippe qui Regum ἀποθεώσει non aſſueverint, & ſic Lactantii, Minutii Felicis, Tertulliani, Cypriani negligit autoritatem. Ceterum Jubæ pariter ac Ptolemæi filii numos Latinos, in quibus remiſſi vectigalis fiat mentio, Narbonæ à mercatoribus in Mauretania habentibus negotia cuſos affirmat. In Gallia Narbonenſi quoque pleroſque Latinos veterum Imperatorum, Auguſtorum, Cæſarum numos fuiſſe cuſos exiſtimat Noſter, quam in rem addidit prolixam ſatis Diſſertationem *de Numis ejusmodi*, quam poſt urbem *Narbo* inſeruit. Sic in Cæſaris quodam numo, cujus inſcriptio: CAESAR, DICT. IN PERPETUO, invenit: *Ceſar Dictator primus Narbone perpetuo*; unde concludit Dictaturam fuiſſe magiſtratum urbis, non orbis, in Narbonenſi ſolum civitate hanc poteſtatem habuiſſe Cæſarem, Dictaturam inferiorem etiam Conſulatu fuiſſe dicit, quod ei in numis poſtponatur. Præ aliis (quos multos affert, ubicunque enim N poſitum videt integrum vocabulum deſignans, Narbonem invenit) huc referendum arbitratur numum, qui inſcribitur: GENIO ANTIOCHENI APOLLONI SANCTO, primis duabus vocibus anticæ, quæ mulierem turrito capite exhibet, appoſitis, poſterioribus averſæ, quam ornat Apollo cum lyra & patera. Ingenio autem miro hanc inſcriptionem ſic explicat: *Genio primæ Narbonenſis*, *Tutatori Imperii*, *odio Chriſtianorum*

p. 75.
102 ſeq.
112.
114.

norum etiam nobis imto, Apolloni ſancto. Quinque hujus generis numos vidiſſe ſe dicit Harduinus, variantibus literis in ima area, quandoque poni SMNS, vel SMNB, quod ſit *Societas Mercatorum Narbonenſium ſecundum*, quandoque vero SMAH, quod explicat, *Societas Mercatorum adjacens Hiſpaniæ*, &c. Hanc ſuam criſin per aliquot deinde paginas probat; an autem ſerio hic & alibi rem agat, aliorum eſto judicium. Non minus abundant ingenio, quæ *de Paphiorum* p. 133.
menſibus ſuppeditat, quorum laterculum exhibet, ita ut monſtret quomodo traxerint illi ſuam originem ex Latina quadam ſententia, tam ad Julium Cæſarem, quam ad Augnſtum accommodata. Optime, ſi inſpiciamus ipſum, poterit de re judicari; en igitur inventum:

1.	Αφροδίσιος	Veneris
2.	Απογονικὸς	Soboles fuit
3.	Αινικὸς	Aeneas
4.	Ιȣ̃λος	& Julius
5.	Καισάριος	Cæſar
6.	Σέβαςος	Auguſtus
7.	Αυτοκρατορικὸς	Imperator
8.	Δημαρχεξȣ́σιος	Tribuniciæ poteſtatis
9.	Πληθύπατος	Conſul ſæpiſſime
10.	Αρχιερεύς	Pontifex Maximus
11.	Ἑςιών	ex familia
12.	Ρωμαῖος	Romana fuit.

De *Ponti Paphlagonici* Regibus eorumque numis quæ diſputat, non tangimus, niſi quod obiter perluſtrando obſervavimus, Rhœmetalcis numum, ad Thraciæ Reges relatum ab Ill. Spanhemio p. 499, eum Ponti hujus Regibus tribuere, ut & Cotym, Rheſcuporidem aliosque. Eadem eorum ſit ratio, 139.
quæ *de Siciliæ Regibus* habet, ubi Hieronymum Regem ultimum non Hieronis ſed Agathoclis filium facit, eo quod 153.
uterque fulmen in numis cudi curaverit. Abſoluto denique toto opere, *de quibusdam veterum numorum ſymbolis* 183.
appen-

appendicis loco diſpicit. Diſtinguit ea in *vocalia*, ſeu ex nominibus familiarum petita, quæ *Armes parlantes* Galli vocant, & *fabuloſa*, vel potius ænigmatica. Inter illa notari tanquam ſingulare meretur, quod *Petroniæ Turpilianæ* gentis inſigne virum nudum usque ad femora faciat, quaſi *turpia* habentem *ilia*, qualis comparet in Auguſti quodam numo, pedibus, alis & cauda avium inſignis, ac fiſtulam inflans, pro Sirene habitus ab intiquariis. Iſta namque avis ſonoræ inſignia ad prænomen *Petronii* ſpectare, ex Pſ. CIII, 12 deducit: *Super ea VOLUCRES cæli habitabunt, de*
p. 184. *medio PETRARUM dabunt voces.* Inter *fabuloſa* ſeligit ſibi tantum ſeptem, Pegaſum, Gryphum, Sphingem, Chimæram, Centaurum, Minotaurum & Capricornum, oſtendit tamen, non fabuloſa hæc eſſe, ſed ænigmatica, fabulas vero ex male intellectis numis confictas. Sic *Gryphum* deſignare incolarum aquilinam velocitatem & leoninam fortitudinem; Apollinem Grypho inſidentem, has dotes cum politiorum Muſarum uſu conjunctas ſignificantem, occaſionem feciſſe fingendi Gryphos Apollini ſervos. Pegaſum & Bellerophontem Corinthios neſciviſſe, ſed pernicitatem equorum ſuorum, ſolertiamque in iis domandis commonſtraſſe.

237. *Quæſtiones tres de Baptiſmo* ponuntur prius integræ, quales ſunt in Editione prima, ſubjungitur autem Epiſtola quædam Harduini, qua ſententiam ſuam de *Baptiſmo pro mortuis* plane mutat. En novam: *Baptizari* hic eſſe dicit variis immergi miſeriis atque ærumnis, quemadmodum accipiatur Luc. XII, 50, Marc. X, 38, coll. Pſ. CXXIII, 4, 5; *mortuos* autem ſignificare convertendos incredulos. Quibus præſtructis, locum 1 Cor. XV, 29 ſic παραφράζει. *Quid facient, aut qua ſpe ducuntur ii, qui immiſſis ab adverſariis fidei Chriſtianæ moleſtiis ærumnisque, iis veluti quadam aquarum mole perfunduntur, merguntur, obruuntur, pro incredulis, pro convertendis ad Deum Chriſtumque gentibus ac Judæis, qui hac veritatis luce deſtituti vere pro mortuis habendi ſunt?* An autem ita hypotheſi mutata, mutaverit & olim a ſe conſtitutum hermeneuticum Canonem, non eſſe a ſenſu nativo & maxime

pro-

proprio diſcedendum, nec declinandum, vel ubi nihil cogat, ad μεταφορικὸν verborum ſenſum confugiendum, non indicavit Harduinus.

De iis, quæ ad *Chryſoſtomi Epiſtolam* ſpectant, nihil nos curamus niſi *Embolum tertium de MYSTERIO FIDEI in conſecratione calicis.* Scilicet hæc conſecrandi formula: *Hic eſt enim calix ſanguinis mei, novi & æterni Teſtamenti, MYSTERIUM FIDEI.* Hanc appellationem cum in Evangeliſtarum nullo reperias, nec rituum Eccleſiaſticorum ſcriptores indicent, a quo ſit addita, ipſum addidiſſe Chriſtum autumat. Sic autem appellari dicit calicem, quod ſanguis Chriſti totum fidei noſtræ ſit arcanum; arcanum quidem, quod diu latuit, nec niſi a Chriſto fuit revelatum; arcanum fidei, quod totius Chriſtianæ religionis ſummam contineat ſanguis Chriſti. Facere huc ipſi imprimis videtur locus 1 Petr. I, 19, 20. Ne quis tamen de autore hujus additionis objiciat, non comparere eam in Chriſti inſtitutione, reſpondet per πρόληψιν; non neceſſe tum fuiſſe, illud addere, quoniam doceret Chriſtus tantummodo, quid facturi eſſent ſacerdotes, poſt reſurrectionem vero fuiſſe neceſſarium dici myſterium fidei, ut ſcirent, quo fructu ſint illud facturi, & integra adeo de ſanguine doctrina traderetur. Ea quæ defenſionem Harduini contra Bibliothecæ Univerſalis Autorem reſpiciunt, non attingimus, tum quod non nunc primum eduntur, tum quod ipſa etiam Bibliotheca Univerſalis paſſim proſtat, ex qua ea, quæ huc ſpectant, peti facile poterunt. p. 308. 309.

Proluſionem de Herodiadum numis l. c. ſatis accurate dedimus enucleatam, indicatis etiam, quibus obviam iri poſſe Harduino credebamus, argumentis. Nunc mutatus in multis nobis ſe ſiſtit iſte Tractatus, ſublatis & additis pluribus, in ipſo quidem numorum Catalogo ab initio ſtatim quædam ſuſtulit (& poſtea quoque in reliquis) ab A. 723 non 718, ut antea, jam incipiens, ectypos quoque aliquot numorum, ærarumque plurium commemorationem addidit. In Notis vero ad hanc numorum ſeriem non prætermittenda inſignis circa

p. 351. Syſtema ipſius Genealogicum mutatio. Dabimus utramque, ſicut & olim ab eo fuit conſignata, & nunc corrigitur.

Genealogia Herodum prioris Editionis.

HERODES, Ethnarcha primum Judææ atque Samariæ, deinde Rex.

- *Archelaus* Rex Judææ ac Samariæ, Matth. II, 22, ubi *regnaſſe* dicitur *in Judæa pro patre ſuo*, h. e. Regnum obtinuiſſe paternum cum Regio titulo.
- *Philippus* Tetrarcha Ituræ & Trachonitidis, uxor Herodias.
  - *Agrippa* Magnus Rex Galilææ & Ituræ cum Trachonitide, cujus ætate capta ſunt Hieroſolyma. — Uxor Berenice, Actor. XXV.
    - *Julius Agrippa*, Rex, vice Cæſaris præfectus rei militari in Judæa & Palæſtina, usque ad ſuprema fere Domitiani tempora.
      - *Julia Berenice*, Regina Magna.
- *Herodes* Tetrarcha primum Galilææ, deinde Magnus Rex, adjecta Ituræa & Trachonitide.

Genealogia Herodum hujus Editionis.

N.

- *Herodes* Ethnarcha Judææ ac partis Samariæ.
  - *Archelaus* Rex Judææ & Samariæ, Matth. II, 22, ubi *regnaſſe* dicitur *in Judæa pro patre ſuo*, h. e. regnum obtinuiſſe paternum integrum.
- *Zenodorus* Tetrarcha Galilææ & Ituræ.
  - *Philippus* Tetrarcha Ituræ & Trachonitidis, Uxor Herodias.
    - *Agrippa* Magnus Rex Galilææ & Ituræ cum Trachonitide, cujus ætate capta Hieroſolyma.
      - *Berenice*.
      - *Agrippa* Rex vice Cæſaris Præfectus rei militaris in Judæa & Palæſtina, usque ad ſuprema fere Domitiani tempora.
  - *Herodes*, Tetrarcha primū Galilææ, deinde Rex.

Ad

Digitized by Google

Ad hanc igitur Genealogiam, qualis ſcilicet nunc ab Har- p. 334.
duino repræſentatur, accomodatæ ſunt etiam ejus Annotatio-
nes. Herodem igitur priorem jam fratrem facit Zenodori Eth-
narchæ, Philippum & Herodem poſteriorem non affines, ut
antea, ſed filios ejusdem. Inſcriptionem Sponianam, quam olim 340.
Herodi Tetrarchæ poſitam exiſtimaverat, nunc ſpuriam, ut ple-
rasque e Gracia, indicat, quod Herodis Regis in illa dicatur
filius. Pari modo, quæ difficulter ſe tuebatur, ut olim mon- 350.
ſtravimus, ſententiam de Herodum ex Athenis origine deſerit,
cum indignum cenſeat niti eam lapide, cujus generis moni-
menta nunc omnia dicit ſpuria, nullam forte aliam ob ratio-
nem, quam quod cum Autoribus, & qui maximus ipſi eſt nu-
gator, cum Joſepho conſentiant. Elevat igitur inſcriptionis
olim a ſe probatæ fidem, eo potiſſimum argumento, quod
τῆς βȣλῆς τῆς ἐξ Αρείȣ πάγȣ faciat mentionem, cum talis
ſenatus nusquam fuerit; (conf. p. 634) quæ quidem omnia eo
tendere quis non videt, ut neutiquam credendum vetuſtis ſcri-
ptoribus perſuadeat? Herodem vero utrumque cum ſua fami-
lia ex Syria Palæſtina nunc accerſit. Jam facile quis divinet, 351.
cur capita, *de gemino Agrippa*, *de Julii prænomine*, *de patria
Herodis*, prætermittat, cum ſubruto lapide, illa quoque cadere
neceſſe fuerit. De *ditione Herodis* horum loco aliqua inſe-
rit, quæ nihil novi continent, *Berenicen* vero Act. XXV eum
jam ſororem Agrippæ credere, patet ex tabula Genealogica.
Hæc notare conſultum putavimus ex iſta proluſione, præter-
mittentes alia, vel addita, vel mutata, *de æris quibusdam*, *de nu-
mis Cæſareæ Palæſtinæ*, *ejusdemque anno Natali*, *de Antigono non
Judææ, ſed Macedoniæ Rege*, &c. cum *ὡς ἐν παρόδῳ* tantum a
Noſtro tangantur. Quæ Basnagio reſponderit, qui velit, ex ipſo
hauriat, illud tamen non obſervare non poſſumus, *Dionem*, ad
cujus conſenſum cum Joſepho provocat Basnagius, ab Har-
duino exiſtimari *deſcripſiſſe Joſephum*.

Dum de *ſupremo Chriſti Paſchate* diſpiceremus, nihil inve-
nimus mutatum, niſi quod in Harmonia Evangeliſtarum ad
Matth. XVII, 23 didrachmum putet fuiſſe *modum tributi ſive* 400.
cenſus in capita Herodi pendendi, cum exiſtimaſſet prius, pre-

tium fuiſſe agni paſchalis, ſingulis in Galilæa conferentibus didrachmum in commune ad coemendos iſtiusmodi agnos.

Seculi Conſtantiniani Numiſmata, cum primum ederentur, ad nos non pervenerunt, nec ulla hinc illorum a nobis usquam facta mentio. Nemo non videt, quantum hic expectare debeat ab Autore, cui non niſi pauciſſimi ſcriptores & hi quidem omnes Conſtantiniano ſeculo longe anteriores ſunt
p. 428. genuini. Diſerte tamen, ne quid hic diſſimulemus, ipſe profitetur, nihil ſe moliri adverſus autores antiquos, quorum nullus ſit a ſe repudiandus, niſi quem conſtet labefactatum ire fidem per traditionem ab Apoſtolis, Epiſcopis Eccleſiaque Catholica dimanantem. In Conſtantinorum familia turbat cuncta, bonam nactus occaſionem plures ex una fingendi perſonas, cum diverſas in numis ejusdem viri facies obſervet. Ex Valeriorum quoque, Juliorum, Claudiorumque cognominibus in tres iſtas gentes adoptionis jure tranſiiſſe Flavios concludit. Quin & omiſſa prænomina quandoque in numis, alias adjecta, multiplicant ipſi perſonas, nec eadem linea recta ſibi ſubordinandos in gente Julia cenſet eos, qui Julii, Valerii,
429. Claudii ſint vocati. Hinc duos habet Fl. Jul. Conſtantios, quorum neuter tamen Conſtantini M. filius. Plures item Conſtantinos ex uno Conſtantino M. illum nempe, qui filius Auguſtorum (FIL. AUGG.) & pater Auguſtorum (PT. AUGG.) in numiſmatibus pariter vocatur, nullis vel Flavii vel Valerii additis prænominibus. Hinc inter Valerios tres habet Fl. Val. Conſtantios, cum unus tantum ad hæc tempora fuerit cognitus, tres rurſus ex Conſtantino M. Conſtantinos, ex illo quoque peculiarem faciens, quod Fl. Conſtantinus Max. Aug. in
430. numis quandoque dicatur. Hinc denique in Flaviorum Claudiorum ſtemmate pergit ſimul & deſinit fabricare Conſtantinos. Magnum enim, qui vulgo dicitur, in duos rurſus dividit, quorum alter in numis inſcribitur: CONSTANTINUS AUG. in averſa BONO REIP. NATUS, alter autem VICTORIS nomine inſignitur. Juniorem vero Fl. Cl. Conſtantinum facit duplicem, quoniam & *Fl. Cl. Conſtantinus Jun.* & *Conſtantinus* etiam ſimpliciter vocatur in numis. Un-

Unde tamen *Flavium Cl. Conſtantium Cæſarem Juliani Apoſtatæ* & *Fl. Cl. Conſtantini Jun.* fratrem (ita enim eos componit tanquam Conſtantini filios) exſculpat, neſcire nos fatemur. Ceterum & *Fl. Victorem*, tanquam *Conſtantini junioris* filium, in iſto ſtemmate connumerat. Ita quidem iſta colligimus ex triplici generationum tabula, quam ipſe tamen diſcurſu quoque ſuo illuſtrat, ubi obiter monet ad Valeriam p. 431.
antiquam ſane gentem & nobilem referendum eſſe *Valentem* etiam *Auguſtum*, quod *Maximus* is appellatur, nomine Valeriis conſueto, contra fidem Hiſtoricorum, qui non nimis εὐγενῆ 432.
eum perhibent. Diverſam porro familiarum trium religionem notat, & aliquas poſtea, capitibus certis incluſas, de hoc argumento ſubjungit obſervationes: 1 *de votis quinquennalibus*, &c. quæ cum in Antonini Pii numis comparere primum 432.
certum ſit, non prius etiam concipi ſolita ſuſpicatur; 2 *de genere numorum ſeculi Conſtantiniani*; 3 *de Indictione in numis* 433. 434.
quibusdam conſignata. Indictionum autem originem altius quam a Conſtantino repetit, in Aureliani jam numis ejus inveniens veſtigia. Hinc numeros, quorum incognitam ſibi ſignificationem faſſi ſunt huc usque Viri eruditi, explicat, v. g. XXI. P. *Viceſima prima primum tributum*, III. XX. I. *Tertia viceſima indictio*, &c. Per tributum hoc ævo intelligit honorarium, & ſacculum certo numorum numero plenum a civitatibus Principi oblatum, ſicut in Gallia ſunt *les bourſes des jettons*. Alio modo Heraclii numum explicat, cujus aver- 435.
ſa habet notatam INDICTIONEM ϛIII (quæ *nona* eſt ipſi, rectius dixiſſet *octavam*, cum ϛ ſit V barbarum) infra XX *Chriſtianos* exponit. 4 *De Topographia numiſmatum ſeculi Conſtantiniani* agens, circa locos, quibus cuſi ſunt numi, quibusque adeo a S P Q R miſſi ſint Rectores, quos Auguſtos appellarint, argutatur ſimilem fere in modum, quo Antiochenorum numiſma vidimus expoſitum. Exempli loco ſit nobis, quod aliquoties in numis occurrit CONOB (de quo peculiarem etiam inſtituit diſceptationem p. 425) quodque plerumque alias *Conſtantinopoli obſignata* exponitur. Hoc ille vertit: *Civitates omnes Narbonenſes obtulerunt*, vel cum

ſcriptum eſt KONOB, *Korporati omnes* &c. Tacemus merito hujus farinæ alia, ne nimis obtundamus Lectores. His
p. 441. abſolutis, *ſeculi Flaviani*, vel Conſtantiniani conſpectum ponit ob oculos, ei, quam de variis Flaviorum familiis tuetur, hypotheſi omnino reſpondentem. Satis jam ſuperque cognitum
442. habebit, qui iſta legit, inſtitutum Harduini: quapropter mittimus Chronologiam hujus ſeculi, quæ numos Imperatorum
493. ſecundum annorum ſeriem diſpoſitos recenſet. Hinc peculiarem rurſus operam de numis CPoleos nomen præferentibus ſubjungit, quales non dari, magnis auſibus aſſerit, novam penitus Hiſtoriam urbis iſtius procudens, & ad Narbonem & Lugdunum numos, quos diximus, referens, addictiſſimas quippe Flaviis Claudiis civitates. Mittimus & alia, quæ de *Deſpotis Byzantinis, de Regibus Romaniæ minoris, de Regibus Theſſalonicæ* commentatur. Quantum ad additiones cum quibus nunc ſcriptum illud prodiit; *Albareti Epiſtola* nil continet, præter nuncium de inventis numiſmatibus ſeculi Flaviani no-
503. vis. Ad *numum Gratiani*, cujus ſub initium jam operis recenſiti fecerat mentionem plura nunc commentatur. Inſcriptionem: D. N. GRATIANUS AUG G AUG. va-
504. lere putat idem quod *Auguſti gener Auguſtus*, (forte & diceres, quod *Auguſtorum filius Auguſtus*, filii namque vox ſæpius omittitur) ipſum Gratianum ex Peſcennia gente fuiſſe ſuſpicatur. Ex averſa, GLORIA NOVI SECULI inſcripta, æræ Chriſtianæ (cujus jam tum uſum fuiſſe cenſet)
506. annum 401 colligit. Circa numos porro antiquos hæc Harduino eſt ſententia, *cuſos eos in memoriam tantum Principis*
507. *fuiſſe, non uſui monetæ publicæ*. Quam in rem dum argumenta colligit, fallitur Vir doctiſſimus, dum aſſerit, *nullam Imperatoris Romani effigiem habere monetam, niſi quæ cudatur in Regno Hungarico.* Subiiſſe tamen concedit quandoque monetæ publicæ vicem, licet non per ſe, tamen Principis permiſſu,
507. vel Senatus. *De numis, in quibus legitur vox* R E S T. judicat, primo quidem majorum vultus a Principibus in numis ejusmodi expreſſos, poſt vero, cum in Auguſtæ familiæ locum Flavia Julia pulſo Nerone ſuccederet, nullis majoribus nobilis, inſi-

inſignium virorum exhibitos vultus, quorum virtutes Augu-ſti *reſtituiſſe* dicantur, ut Auguſti virtutes varias Titus pariter & Domitianus.

In *Chronologia Veteris Teſtamenti* tantum quas- p. 517.
dam præcipuarum tum mutationum, tum additionum annotemus, ex quibus de reliquis fiat judicium. Inſertum de opere creationis ſecundæ diei phraſique Gen. I frequenti וירא אלהים כי־טב invenias diſcurſum, quam non niſi de rebus adhiberi contendit, quarum ad hominem utilitas redundare poterat. Diluvii univerſalitatem multis pro- 519 ſq.
bat, illud etiam obſervans ſingulare, quod nubes ante diluvi- 520.
um aut imbres nunquam fuerint. Paulo tamen ante p. 518 dixerat, ſuum hoc opus eſſe, docuiſſe Deum, quod inſolito, veris ſcilicet tempore pluerit. Si vero nulli fuerunt imbres, omni tempore debuerunt eſſe inſolentes. Plura dein ibidem de variis Bibliorum phraſibus, ut, *cataractis cœli*, *abyſſo rupta* &c. differit. Veremur tamen ne properans nimis aſſeruerit, phraſin *aperiri cœlum* de ſolito imbre nunquam occurrere, cum admittat tamen, in ſiccitate, (quæ ex defectu ſolitorum imbrium venit) *cœlum* appellari *clauſum*. Nec occurrit forte locus Mal. III, 10, diſerte Harduino contrarius.
Vaticinium Jacobi, quod poſt Archelaum in provinciam redacta 523.
Judæa credidit alias impletum fuiſſe, ita nunc παραφράζει: *Erunt ex Juda Reges, Principes, Duces, nec defuturi ſunt ex ea Regum ſtirpe primogeniti, maſculi, ex maſculis ejusdem familiæ nati, qui ſint propterea hæreditario jure, etſi non ſemper facto, ut JCti loquuntur, Reges ac Duces populi, donec veniat appareatque is, qui mittendus eſt.* &c. Initium nempe Regum in tribu Juda petendum a Davide, poſt quem ab ipſius familia non ſit ablatum ſceptrum, ſeu jus ad ſceptrum, usque ad Joſephum Chriſti patrem, cum maſculi ſemper a maſculis ejusdem familiæ geniti fuerint hæreditario jure gaudentes. Joſepho hærede poſtremo mortuo, transmiſſum jure ſponſaliorum jus etiam hæreditatis paternæ ad Chriſtum ibi manifeſtandum, cum agnoſcerent jam Judæi, deficere poſt Joſephum maſculos Davidici Regni hæredes. *De nominibus Ægyptiorum Regum,*

ex

ex quibus olim ſententiam Chriſto convenientem exſculpebat, pariter ut *de nominibus Aſſyriorum Regum*, quæ ſimiliter explicabat, omittit olim dicta, *nugas eſſe* profeſſus, *ſed alienas tamen non ſuas, a ſe modo detectas*, i. e. quærendas in autoribus, quos rejiciendos ſuadet, qui omiſſis Regibus in Scriptura ſacra, Herodoto, Plinio commemoratis, quippe non apta nomina fingendæ ſententiæ habentibus, novos procuderint.
p. 527. Ægyptios ante Chriſtum circumciſionem adhibuiſſe negat, id
528. ipſum etiam ex Jerem. IX, 26 eruens. Joſuam *Nave* dici cenſet, non quod Ναῦν pro נון ediderint Helleniſtæ, ex quo ſit
532. corruptum Ναυῆ, ſed quod fuerit נביא Propheta. De Isboſethi ætate, quem quadragenarium facit Scriptura, cum regnare cœpiſſet, 2 Reg. II, 10, ſtatuit, hos annos numerari ab initio judicii Samuelis, cum illa tum æra inter Judæos obtinuerit.
566. Dum ex *Æſchylo* ſeriem Regum Perſarum contexit, laudat eum tanquam Poetam *optimum* & *vetuſtiſſimum*, quales dicit eſſe alios multos, *Homerum*, *Heſiodum*, *Euripidem*, *Sophoclem*, *Pindarum*, *Ariſtophanem*, *Theocritum*, *Callimachum*, quos nunquam ipſe ſcriptores eſſe ſuppoſitios ſuſpicatus ſit, ſed ad veram texendam hiſtoriam nihil propemodum argu-
572. menti ſuppeditare dixerit. Thucydidem olim νοθείας propterea inſimularat, quod & Gallicismos uſurparet, & diceret *εισ χεῖρας ἐλθεῖν*, *venir aux mains*. Jam cum Xenophon opponeretur eodem modo loquens, & eum errare contendit, & phraſin omnino non eſſe Græcam. Sed torquet ſe in Æſchylo, cujus phraſin ἐλθεῖν τινὶ ἐς χεῖρας exponit, *bellum alicui inferre;* ſed ipſam manuum conſertionem hic intelligi, nexus loci totius manifeſte ſuadet. Quid dicet autem, ſi ſimili ratione verbum ἔρχεσθαι ab Herodoto monſtremus acceptum, VII, 9 οὐκ ἦλθον ἐς τοῦτον λόγον ὡς μάχεσθαι? Quid, ſi Ciceronem advocemus, qui *rem ad manus venire*
576. dixit? Inſignis eſt acceſſio Diſſertationis, ad quam excurrit, *de Ægypti Regibus poſt Alexandrum*, quorum varios ex variis exhibet laterculos, ipſe ſuam poſtmodum Genealogiam ex Scriptura, numis, Plinio, Theocritoque ſubjungens, quam apud ipſum

ipſum videri malumus. Obſervat autem, θεὸν Regum Syriæ & Ægypti nullum fuiſſe dictum, niſi qui ex quatuor ortus Re- p. 577.
gibus ipſe Rex eſſet, ſimilemque rationem in θεὰ quoque, Reginarum appellatione, obtinere, nec adeo vocis iſtius uſum ex ſola Principum voluntate petendum. Aliam vocum iſtarum 578.
apud Romanos ſignificationem eſſe, nunc enim notare *Deum* vel *Deam*, cum poſtponatur, nunc *inter Divos relatum*, cum præponatur nominibus. Explicaturus, cur in numis Cleopa- 588.
tra jungatur cum Antonio, non amoris iſtud ſignum dicit, ſed fœderis (ut eſt fœderum locuples) nomine Romanorum ab Antonio cum Cleopatra initi. Danielis caput XI dum per- 586.
petua paraphraſi illuſtrat, ad v. 45 notat, אפרנו nomen ænigmaticum eſſe Antiochi Epiphanis, contractum vel ex אפעד־ו־ער־נו *Regulus ad Ægyptum*, vel ex אף־ער־נו *furor ad Ægyptum*, ut vaſtatorem adeo Ægypti denotet. Ad 559.
annum æræ Græcorum, quo contigiſſe dicit Hieroſolymorum per Antiochum Epiphanem devaſtationem, Dan. caput VIII fuſe παραφράζει. Εὐεργέτης in Syriæ Regum nominibus & Luc. 600.
XXII, 25 dicit ſignificare, quod Gallis eſt *Seigneurs de leurs vaſſaux*, vel tales, *qui beneficiario jure alteri aliquid concedunt.* De numis Samaritanis, (quorum tantum texit indicem) & de 682-608.
Hebræorum moneta per aliquot paginas diſſerit, ſingula loca, quæ quidem monetæ faciunt mentionem, explicans, & ad Gallicæ pecuniæ valorem reducens. Sufficiat hic attuliſſe 607.
explicationem Ezech. XLV, 12, ubi minam Propheta conſtituendam ait, *viginti, & viginti quinque, & quindecim ſiclorum.* Iſtas nempe ſummas non in unam colligi vult Harduinus, ſed ſeparatim accipi pro vario diverſarum regionum pondere (eſt illi ſcilicet mina hoc loco pondus) ut in Judæa 20, in Samaria 25, in Galilæa 15 ſiclos appendat mina. Ἐπιφανὴς in 609.
Syrorum numis idem ipſi valet, quod θεὸς valere ſupra notavimus. Imo & in numis Sidoniorum, quando ΣΙΔΩΝΟΣ 612.
ΘΕΑΣ occurrit, exponitur ab eo, *Sidonis prænobilis & antiquæ.* Sicut & θεὰν Συρίαν numen nullum fuiſſe credit. Hierapolin potius ita nominari, unde impoſtor quidam Luciani

p. 612. tractatum de Dea Syria efformaverit. *Venerem Genitricem* in numis non amplius per *Deos geniales* explicat, ſed illos eam habere dictos aſſerit, qui haberent innatam urbanitatem, hu-
614. manitatem, comitatem. Brutum & Caſſium Cæſaris interfectores negat, cum ſicariis illud non viris nobilibus conveniat, Plinius autem eos non nominet, & cum Bruti numis E I D. M A R. *Idus Martias* inſcriptas reperit, ſignum hoc familiæ Brutorum eſſe dicit, ob Reges Idibus Martiis expulſos. Non facile crediderit Romanus eorum temporum, ſicarium fieri nobilem virum quemcunque in Tyrannicidio, nec Plinius rem omnem ſemper ſe narrare profiteatur tuto, nec temporis denique notam in familiarum inſigne tranſiiſſe credendum, cum præſertim non Idibus Martiis, ſed eo tempore ſint expulſi Reges, quo quatuor duntaxat menſes ad finem anni ſupererant. Sed hæc a Dionyſio dicuntur falſo, ut Noſter cenſet, & ſuppoſititio. Reliquus tamen eſt Cicero, qui quidem diſertis verbis in Phi-
618. lipp. II Harduino contradicit. De Cyrenio, cujus Luc. II fit mentio, occaſione numi, in quo ϛρα̃ηγὸς vocatur, diſſerit, qui cum ſit Raphaneotarum, ipſi videtur monſtrare, Syriam De-
619. capolitanam intelligendam apud ſacrum Scriptorem. In Genealogia Chriſti illuſtranda βίβλȣ γενέσεως fieri putat mentionem quod non ſint iſta Matthæi, ſed ex Codice genealogiarum, in Templo qui ſit ſervatus, deprompta. Plures ſunt aliæ mutationes, transpoſitiones, additiones, quas Lectori permittimus inquirendas ulterius.

Sequitur *Hiſtoria Auguſta* ex numis antiquis reſtituta, ex Epiſtolis ordine ſuo diſpoſitis collecta, ad ſeculum usque Conſtantinianum pertingens. Quid agatur hoc opere, ex peculiari ad illud Typographi Præfatione poteſt hauriri. Scilicet nullius fere numiſmatis non nova eſt explicatio, quot fere numis, tot argumentis labefactatur Romana profanorum ſcriptorum Hiſtoria. Chronologia vero & Genealogia uniuscujusque Auguſti usque ad Diocletianum ab Auguſto deducitur, resque geſtæ ab Augu-
682. ſtis, quas nemo adhuc intellexit, explicantur. In Epiſtola I, quæ præfationis eſt loco, ſupponuntur duæ regulæ Chronologicæ, quarum prima: *In numis Græcis annos Auguſtorum ſemper incipere a Se-*

Digitized by Google

a Septembri conſequente Natalem Urbis, quo Tribunitia poteſtas conceſſa fuit Auguſto vel prorogata, exceptis his, qui ſint inſcripti ΕΤΟΥΣ ΝΕΟΥ ΙΕΡΟΥ. Secunda: *In numis Latinis annos Tribunitiæ poteſtatis ſemper ducere initium a die Natali Urbis, ſeu XI Cal. Maj. exceptis Antonino Pio & Marco, quorum anni Tr. P. ab ipſis Cal. Januarii incipiant.* Auguſtos usque ad liberos Conſtantini perpetuos nullos fuiſſe aſſerit, definito ſingulis per Senatum tempore gerendæ poteſtatis, nec nepotibus etiam per legem licuiſſe ſtatim poſt patrem & avum ſuccedere. Cæſares inter p. 683.
ſe omnes cognatione fuiſſe junctos, non eſſe enim *Cæſaris* appellationem merum dignitatis titulum, ſed familiæ. Hoc ut ſtabiliat, de nominibus ſententiam ſuam declarat; nempe ea quæ in *ius* deſinunt, eſſe nomina propria gentium vel familiarum, quæ in *anus*, translata primum ab uxoribus ad maritos, & ſoli poſtmodum primogenito impoſita: neminem Cæſarem, niſi vel natum ex Cæſare, vel Cæſaris filiæ per matrimonium junctum, ut neminem Pium niſi Pio genitum. Simili modo Auguſti quoque nomen eſſe proprium atque hæreditarium. Quando 684.
plura in numis nomina conjungantur, non niſi a patre hæc eſſe, vel matre, vel conjuge, ut vero quodque ſit nobiliſſimum vel clariſſimum, ita maxime ceteris præponi, addi tamen plerumque cognomen, vel proprium, vel paternum, quod ſolum quandoque ſcribatur. Filium neminem dici niſi qui partu vel adoptione ſit filius, nepotem neminem, niſi cujus parens alteruter ab eo ſit genitus, cujus dicatur nepos. In Germanico 685.
tamen has appellationes καλάχρησιν quandam pati agnoſcit.
Epiſtola 2 præmittit Metellæ, Pompejæque, familiarum numos 686.
& γένεσιν, a quibus *Pios* derivat, cum Pompejus ipſe propterea dictus ſit Pius, quod ex Metellis uxorem duceret, cujus familiæ nomen iſtud fuerit proprium. Sed videat Harduinus, an non Pianus ita fuerit appellandus, ut Maximianus a Maxima. Inde jam ipſum opus aggreditur, Chronologice diſponens numos, & ſtemmata Auguſtorum ſingulorum præmittens. Quod autem ad unum communem ſtipitem referri hos omnes velit, inde dicit fieri, quod *Æternitas Aug.* vel *Augg.* in plurimis numis prædicetur, nomen etiam Cæſaris collocetur ita, ut ad

familiam non dignitatem pertinere appareat. Specialiora qui voluerit, ipſum aggrediatur, ſatis eſt nobis indicaſſe, quid promittere hinc ſibi quis queat, inventurus tamen plura, quam ſperare poterat, παράδοξα. Ex *Diſſertationibus*, quæ claudunt hoc volumen, perluſtrabimus ultimam ſolum, quippe quæ nunc primum editur, cum reliquæ jam ante fuerint divulgatæ. In ea Harduinus, Eccleſiæ ſuæ honori conſulturus, demonſtrandum ſibi ſumſit, *Cepham, quem* Gal. II, 11 *reprehenſum a ſe ſcribit Paulus, neutiquam eſſe Petrum.* Probationem ejus, quan-
p. 921. tum aſſequimur, ita videmus procedere. Paulus anno 14 poſt
922. ſuam converſionem aſcendit Hieroſolyma ex revelatione, hic fœdus cum eo jungunt Jacobus, Cephas & Johannes, ipſi Judæis prædicaturi, Paulo Gentilium curam committentes. Paulo poſt Antiochiam abit Cephas, ubi cum paucis menſibus fuiſſet, veniunt Judæi a Jacobo, (Gal. II, 12) quorum metu Gentium conſuetudini ſe ſubducunt Cephas & Barnabas, quo tempore Cephæ in faciem reſiſtit Paulus, ob eam quoque altercationem Hieroſolyma miſſus cum Barnaba, manente interim Cepha Antiochiæ, Petrum autem Hieroſolymis adhuc invenit, ſibi etiam
924. plane ſuffragantem. Neque vero Petrum intelligi poſſe putat, niſi hæreſeos & ipſe fiat reus, & Scripturæ autoritas reddatur dubia, ſiquidem tantus vir ita titubare potuerit.
925. Nominis quoque poſitu Gal. II, 9 Cepham a Petro fieri diverſum. Quis enim, inquit, concilii aut collegii princeps medio
926. ſolet loco appellari? Porro Cephas Antiochiam eo veniebat conſilio, ut ad Galatas inde Corinthioſque pergeret, unde ad utroſque de Cepha ſcribit Paulus, Petri nullam faciens mentionem, qui nec Galatas vidit, nec Corinthios. Barnabas autem in ὑπόκρισιν abreptus, non Cephæ autoritate, ſed Judæorum. Ergo Cephas non fuit Petrus, quin ipſe Barnabas Cepha fuit potior (Petro autem non poterat) ut ex emphaſi ſermonis v. 13 ὥστε καὶ Βαρνάβας &c. patet. Si Cephas fuiſſet Petrus, peccaſſet Paulus, qui neglecto Chriſti præcepto Matth. XVIII, 15, reprehendiſſet eum publice, niſi hoc ex ſuperiori quadam dignitate, quippe qui a Chriſto accepiſſet Apoſtolatum, facere poſſet; ipſe vero primatum ſuum nonnunquam

com-

Digitized by Google

commemorat. Judæum vocat Paulus Cepham, Petrus autem p. 927.
fuit Galilæus. Iſtum igitur ſcopum eſſe præfixum dicit Paulo, ut tota hac Epiſtola, ſua potius, quam Cephæ ſententia, qui tum quoque Ἰουδαΐζειν volebat Gentes, ſtarent Galatæ. Eo igitur tendere cuncta, quæ de ſe C. 1 & 2 Paulus loquatur, ut Cepham inferiorem ſe demonſtret. Propterea 1 Cor. I, 12, III, 22 Paulum ſe primo nominare loco, IV, 15 patrem ipſorum ſe ſolum dicere, cum Petrus tamen fuerit pater Chriſtianorum omnium, 1 Cor. IX, 5. Cepham fratribus Domini pariter ac ceteris Apoſtolis contradiſtingui. Non poſſe probari, Cepham 1 Cor. XV, 5 potius eſſe Simonem Luc. XXIV, 34, quam Cleophæ ſocium, Joh. I, 42. Synonyma quidem eſſe Cephas & Petrus, Chriſtum tamen nihil aliud indicare, quam vocatum iri eum hoc vel altero nomine pro regionum varietate. Jam vero a ſacris Scriptoribus ceteris nunquam vocari Cepham, cur igitur ita appelletur a Paulo ſolo? Hinc non Petrum Cepham eſſe, ſed unum e LXX diſcipulis tandem concludit.

Habes igitur L. B. conſpectum Operum Harduinianorum ſatis amplum, in quo luſus agnoſcas multos, nec vulgarem eruditionem. Gratulare tandem nobiſcum Viro doctiſſimo laborem in edendis Conciliis ſuſceptum, & ut in illo publicando propediem deſiderio noſtro ſatisfaciat, ut & in communicandis, quorum ſpem ſubinde facit, Commentariis in N. T. ab illo contende.

VINDICIÆ VETERUM SCRIPTORUM, contra JOHANNEM HARDUINUM, S. J. P.

Roterodami, apud Regnerum Leers, 1708, 12. ch. aug. Plag. 13.

SErius forte, quem debebamus, haſce Vindicias exponimus Lectori, ſed commodiore loco inſeri non poterant, quam quo nunc poſt ipſa Harduini Opera comparent. Quod A. 1707 contra Harduinum pariter ac Germonium in Diſſertationibus Gallicis (*Diſſertations Hiſtoriques ſur divers ſujets*) Rotero-

dami ἀνονύμως editis, Tomo I diſputare inceperat Dn. *La Croze*, Potentiſſimo Boruſſiæ Regi a Bibliotheca, id hiſce Vindiciis Harduino potiſſimum oppoſitis nititur abſolvere. Illa ſcilicet Viro clariſſimo ſedet ſententia, moliri παρακεκινδυνευμένον aliquid, antiquitatis nempe & literarum ruinam, traditionum vero excitationem, Jeſuitas, Societatem tamen loco ſibi adhuc caviſſe poſt principia, donec videret, quales effectus Harduini machinæ ſint daturæ. Et ne quis ſuſpicari eum credat tantummodo, confirmare idem nititur quod dicit, ex priſtino Turriani atque Higueræ Jeſuitarum ſtudio nova pro antiquis ſupponendi, & ex approbatione trium ex iſta Societate Theologorum Chronologiæ V.T. Harduinianæ præmiſſa. Quin imo acerbe ſatis illis exprobrat, omnia Jeſuitas, ut barbaries litteris inducatur, moliri. Aſt conſulto plura de his prætermittimus, ea inſpecturi, quibus cominus Harduinum petit, quem, quæcunque ſcribat, Societatis ſuæ conſilio ſcribere, affirmat. In Proluſione de Numis Herodiadum primum, poſt tabulam tamen latens Harduinus, ſuam de fictis Autoribus plerisque ſententiam, ſub aliena ab inanibus conjecturis, ut ipſe vocat, perſona, propoſuerat, quam ſibi quoque animo ſedere in Chronologia V.T. poſtea demonſtravit. Autoritatem vero antiquorum nulli, præter Ciceronem, Plinium, Maronis Georgica, Flaccii Sermones & Epiſtolas, Herodotum item atque Homerum reliquerat. Ceteros omnes Seculo XIII in Gallia confictos a cœtu hominum, quorum ætas & officina probe ſibi ſit nota, quique ducem ſuum & præſidem Severum Archontium appellaverint, quod nominis apud Vopiſcum eſt illi, qui Firmi Tyranni nu-
p. 19. mos protulit. Hæc eſt illa, quam religioni tantopere reique literariæ minari deprehendit Cl. La Croze, opinio, cum jamjam
22. forte ſupponendis olim MStis illaborent Jeſuitæ. Severum autem Archontium, fraudis tam inſignis architectum, non alium eſſe Harduino quam Fridericum II Imperatorem, in quem characteres, quos ſuppeditat, ænigmatici quadrent optime, ni-
23. titur demonſtrare. Fraudis hujus eum finem fuiſſe prodit Harduinus, ut religionis Chriſtianæ capita per traditionem ab Apoſtolis usque ad nos propagata ruerent, ex quo clariſſime

patere

patere cenſet La Croze, cum hæc, ut Traditionibus conciliet
autoritatem, fingere. Propoſita ſic opinione ad refellendam p. 29.
eam accingitur, quæ ita eſt comparata, ut vix ipſe Harduinus
ſerio videri poſſit affirmare, ſeculo, quo ad interitum maxime
ſpectabant elegantiores litteræ, Scholaſticis ingruentibus, tam
diverſa librorum argumenta, tantam ſeculorum diſcrepantiam,
tam vario ſcribendi genere, paucorum annorum ſpatio ex una
falſariorum aliquot officina venire potuiſſe. Cumque Tho-
mas aliique cohortis ejus patrum ſententias pro vetuſtis citent,
illos æquales impoſtoribus vel participes fraudis, vel turpiter
faſcinatos fuiſſe ſtatuendum eſt, quod viris bonis pariter atque
ſagacibus parcius objiciendum, ne Jeſuitæ quidem diſſuadeant.
Cumque MStorum Codicum varietas in literis pariter & emen- 32.
data ſcribendi ratione, quæ ſeculi unius figmentum haud præ
ſe ferant, Harduino ſociiſque maxime obſtiterit, ſubmiſſum
fuiſſe Germonium, qui, dum diplomatum antiquorum fidem
neget, & ad XII ſequensque ſeculum referat omnia, manifeſtas
inſidias MStis etiam ſtruere Noſtro creditur, quicquid ipſe ad de-
clinandam hanc invidiam ſcribat. Hinc Autor per maximam Tra-
ctatus hujus partem varios Harduini errores, ex quibus detri-
mentum Reſpublica litteraria capere queat, obſervat, Joſephum
maxime, juxtaque cum hoc alios etiam autores defendit. Sic cum 54.
Μέγαν Agrippam a Joſepho vocari falſo & per Gallicismum,
quo *le grand Agrippa* pro majori natu dicatur, quod manife-
ſtum ficti in Gallia Joſephi, qui Græce adeo neſciat, ſit indi-
cium, dixiſſet Harduinus, ſignificatum hunc ex Homero & Ci-
cerone Jeſuitæ non ſuſpectis firmat, quorum ille *μέγας τῷ
νηπίῳ* opponit, hic expreſſe Κικέρων ὁ μικρὸς pro juniore di-
cat. Ei, ne quid hic excipiat, addit Scripturæ locum Marc. V,
40, ubi Ἰακώβου τοῦ μικροῦ fit mentio. De vulgatæ quoque Bib- 66 ſq.
liorum verſionis, τῶν LXX, Hebræi & Samaritani Codicis au-
toritate contra eum diſſerit. De Sibyllinorum porro quodam 71 ſq.
oraculo ænigmatico, Saxonicæ Copticæque linguarum, quam
negaverat, antiquitate, cum eo contendit. Euſebium Cæſa- 101.
rienſem, cujus ſub Aſidæi nomine (a חסיד Ebræorum quod

εὐσε-

Digitized by Google

εὐσεβῆ notat) fidem elevaverat, ab iniquo cenſore vindicat.
Dionyſium Halicarnaſſeum Jonica dialecto non uſum miratur
Harduinus, id vero factum propterea dicit La Croze, quod inde
p. 120. ab Alexandri bellis Attica vel communis dialectus ceteras omnes
133. obſcuraverit, paucis admodum aliter ſcribentibus. Thucydi-
dem, Galllciſmorum accuſatum, damnandum propterea mini-
me monſtrat, cum Herodotus, qui tantopere probatur Hardui-
146. no, ejuſdem criminis reus ſit futurus. Plinii patriam Romam
fuiſſe, vult Harduinus, Veronenſem monſtrat La Croze. Hoc
modo ſuſcepto labore defungitur Autor clariſſimus, qui finem
tamen dicendi facere non poteſt, antequam iteratis querelis ti-
morem ſuum declaraſſet, ne audeant quando pejora Jeſuitæ,
falſa ſupponentes MSta, quibus paradoxæ Harduini opiniones
confirmentur, quod in Hiſpania quidam jam olim, Dextri Chro-
nicon & Luitprandi aliqua ſupponendo, auſi fuere. Paræne-
ſin tandem ad Harduinum univerſamque Societatem (quam
non nimis lenibus in hoc ſcripto verbis ſæpius excipit) ad-
jecit, ut metum hunc bonis omnibus eximere publica contra-
rii profeſſione laborent. Subjuncta legitur huic Tractatui E-
piſtola Chronologica adverſus Harduinum Viri doctiſſimi A.
Des-Vignoles, Verbi divini Miniſtri Dorotheopolitæ. In
hac digniſſima lectu Syſtema Harduini refellitur, (1) ex Aſtro-
nomicis obſervationibus, quales Sec. 13 ineunte fingi per Eu-
ropam ob defectum tabularum non poterant, quas tamen paſ-
ſim exponunt antiqui Scriptores; (2) ex Faſtis marmoreis
conſularibus, qui Sec. 16 demum detecti melius cum libris
conveniunt ſæpe, quam cum Faſtis aliis, quos diutius habui-
mus; (3) ex Catalogis Archontum Athenienſium, qui paſſim
apud Hiſtoricos texuntur, quos fictos omnes nemini perſuaſe-
rit Harduinus, cum præſertim magnam partem cum inſigni
apud Oxonienſes marmore conſentiant; (4) ex menſibus Atti-
cis Sec. 13 ignotis, & vix patrum memoria redactis in ordinem;
(5) de Olympiadum denique Epocha, quam Harduinus 12 an-
nis altius repetit, quam ſolent, cum eo diſputat, vulgarem hy-
potheſin ex ipſo Plinio, quo nitebatur Harduinus, demon-
ſtrans.

EXCERPTA E LITERIS CHRISTFRIDI WÆCHTLERI, JC. ad J. B. M.

CErtum eſt, Juris Romani elegantiam & gravitatem etiam medio in foro nos non deſerere, animumque forenſi opera feſſum oblectari & refici, cum his blanditiis murmura fori commutantur. Atque hæc ipſa, quæ Vir illuſtris, Cornelius van Bynkershoek, JC. & Senator, in præfatione laudatiſſimi operis Obſervationum magno nunc & teſtimonio comprobavit & exemplo, calcar addent decoris ingeniis, & ad curas ulteriores excitabunt. Dicent enim, acutam utique eſſe lectionem L. 3 pr. ff. ad exhib. Actor in hac actione omnia *diſcere* debet argumenta rei, de qua agitur, τὰ γνωρίσματα τῦ πράγματος, indicia rei. Ergo nec noſſe debere actorem omnia, ſed *noſcere. Livius III, 31:* miſſi legati Athenas, juſſique Græciæ inſtituta, mores, juraque *noſcere.* Baſilica tamen, ὀφείλει λέγειν, dicere debet. Chevalloniana autem, quæ nunc ſuccurrit, *noſcere.* Et plura congeſſit in noſtros uſus Jo. Fred. Gronovius *de Pecun. Vet. Lib. 4 c. 3 p. 601 ſeqq.* Porro contendent, Decemviros utique nihil retuliſſe in LL. XII de capitali ſupplicio debitorum. Verba enim illa: *tertiis nundinis capite pœnas dabant*, non eſſe Legis, ſed Gellii, orta ex ſiniſtra interpretatione eorum, quæ ſequuntur: *tertiis nundinis partes ſecanto.* Mutilum autem eſſe fragmentum hoc Legis vetuſtiſſimæ. Neque tamen dubitandum, quin ibi dictum aliquid de licita venditione debitoris trans Tiberim. Et hunc morem ab Athenienſibus jam ante receperant Romani, οἱ μὲν αὐτῦ δȣλεύοντες, οἱ δ' ἐπὶ τῇ ξένῃ πιπρασκόμενοι, -- καὶ τὴν πόλιν φεύγειν, apud Plutarchum, in Solone. Quod ſi Solonis legem ſequi voluiſſent hic Romani, cum Legatos in Græciam legum cauſa mitterent, vetandum erat, ἐπὶ τοῖς σώμασι μηδένα δανείζειν, *ne quis fœneraret deinceps in corpus*, καθ' ȣδένα τρόπον, addit Diodorus Siculus. Romani contra retinuere etiam tunc adhuc quædam priſtina majorum inſtituta, & ex non ſcriptis fecere ſcripta, *v. Dionyſ. Halicarnaſſ. Lib. 10.*

K Tota

Tota ergo Lex Decemviralis, quæ incipit, *æris confeſſi — plus dato*, contraria hic eſt legi Solonis: contraria etiam intentioni Servii Tullii, Regis, apud eundem, Lib. 2. Uterque enim edixerat, ne quis fœnerator in corpora libera jus habeat. Gellius autem, cum videret verba fragmenti ultima eſſe abrupta: *tertiis nundinis partes ſecanto*, novum erravit errorem, quo nihil immanius eſſe ipſe profitetur. Nam ſi ne Græcis quidem ante Solonem jus creditorum ad ſupplicium capitis extendendum videbatur, quomodo id venire in mentem Romanis poterat, qui ad meliorem Solonis diſciplinam correxiſſe omnia percupiebant judicari apud populum? Repugnat etiam tota illorum praxis temporum. Et ſola ea ſeditio, quæ Marco Manlio exitium attulit, exprobratura hanc Decemviralis Legis abſurditatem utique fuerat, ſi etiam ad capitis pœnam detorſiſſent illam tunc fœneratores. Is vero homines prope CCCC produxiſſe dicebatur, *quibus ſine fœnore expenſas pecunias tuliſſet, quorum bona venire, quos Duci addictos prohibuiſſet*, Liv. VI, 20. Sed & victum, poſt annos non ita multos, ingens illud vinculum fidei, ait Livius, lex inquam illa XII Tabb. cautumque impoſterum, ne necterentur, niſi qui noxam meruiſſent. Hactenus ergo una cum bonis debitoris corpus quidem obnoxium fœneratori, non vita, Lib. VIII, 28. Nec pugnabo, ſi legat aliquis apud Gellium: capite pœnas dabant, *&* trans Tiberim peregre venum ibant. Atqui ille, diſſecandos debitores in fruſta, menti legis convenire perpetim opinabatur. Pertinet huc alter locus Livii, æque notabilis: In Veliternos veteres Cives Romanos, quod toties rebellaſſent, graviter ſævitum—juſſique *trans Tiberim* habitare: ut ejus, qui cis Tiberim deprehenſus eſſet, usque ad mille pondo clarigatio eſſet, nec prius quam ære perſoluto, is qui cepiſſet, extra vincula captum haberet, Lib. VIII, 14. Si ſtante adhuc Lege noſtra XII Tabb. ne quidem in rebelles Veliternos captos jus necis capientibus permiſſum, quomodo civi in civem debitorem? Rectius Cicero, in fragmentis libri VI de Republica: Noſtræ contra XII Tabulæ perpaucas res capite cum ſanxiſſent, in his hanc quoque ſanciendam putaverunt: *ſi quis occentaviſſet* &c.

Præ-

Digitized by Google

Præſtabat, reor, meminiſſe debitorum, qui toties Romanis turbas cum diſcrimine totius Reipublicæ dederant, niſi alia mens Ciceroni ſediſſet. Bene etiam Salmaſius: *non moveor auctoritate Quintiliani*, *nec Tertulliani*. Vid. Obſervat. ad Jus Att. & Rom. c. XI. Quintilianus enim Ciceronis judicio multum inferior, videturque idem illud vocabulum captaſſe, quod vicinus ætati ipſius Gellius, *partes ſecanto*. Ergone in XII Tabb. dictum fuit, corpus debitoris inter creditores dividi licere, an eum potius ſenſum habuit, pretium venditi trans Tiberim debitoris in partes ſecandum? *Lib. III c. 8* non 6. Hos Duces cum ante ſe inveniſſet Tertullianus, cauſam Chriſtianorum adverſus Gentiles Romanos gravius adſtruere non potuit, Apolog. c. 4, cum dixit, ſi lex veſtra prohibet eſſe Chriſtianos, utique erravit; neque enim de cœlo ruit. Nonne vos totam illam veterem ſylvam legum novis Reſcriptorum ſecuribus truncatis & cæditis? Nonne leges erant, *quas vos dicitis*, judicatos in partes ſecari a creditoribus? Conſenſu tamen publico crudelitas poſtea eraſa eſt, & capitis pœna in pudoris notam converſa. Sufficere ergo in hac diſputatione Tertulliano potuit, ad ſolum provocaſſe Quintilianum & Gellium. Nam & ipſe idem illud vocabulum de partibus ſecandis, quod apud utrumque repererat, retinuit, neque alio telo contra eos habuit opus. Cumque ad hiſtoriam præterea Romanam remittat Tertullianus, totidem verba Quintiliani iterum in eum retorſit. Eam legem, ait ille, mos publicus repudiavit. Noſter: Lex iſta conſenſu publico poſtea eraſa eſt; digito tantum non ad Hiſtoriam Livii intento. Atqui in omni hiſtoria illorum retro temporum nullum veſtigium de licita olim crudelitate iſta fundendi ſanguinis obæratorum Civium Romanorum inter Cives Romanos. Par ratio eſt Civium Athenienſium, de quibus Demoſthenis locum adverſus SC. Ariſtocratis, atque ſimul vim & notionem τȣ̃ ἀγωγίμȣ, i. e. abducti debitoris tantopere urget Salmaſius. Verum eſt, apud Diodorum Siculum & Plutarchum abductos debitores ſæpius vocari ἀγωγίμȣς, etiam ubi de legibus Solonis ſermo eſt. Sed Demoſthenes

nes duobus poſt Solonem ſeculis novam vocabulo ſignificationem minime impoſuit, quaſi omnis is, qui ex quacunque cauſa ſit *ἀγώγιμος*, i. e. qui prehenditur, vi vocis ſit morti jure obnoxius, ad arbitrium ejus, qui eum prehendi & abduci juſſit. Nam totus nervus Demoſthenis eo pertinet. SCtum Ariſtocratis de prehendendo eo, ſi quis occidiſſet Charidemum, & deducendo Athenas, ceu capite plectendo, eſſe conceptum nimis generaliter, quod dicimus, abſque clauſula. Ac videri adeo in ea latitudine includi & permitti ea omnia, quæ alias lex ipſa prohibeat, *πανθ' ὅσα ἀπείρηκεν ὁ νόμος*, quod repugnat. Nemo ergo hinc concludat, ex mente Demoſthenis omnem *ἀγώγιμον* vi vocis ab eo, a quo ducitur, impune interfici, ac proinde etiam obæratum civem a creditore ſuo, multoque minus ex Lege Solonis ob hoc, quia eadem vox ibi occurrat. Satis pro tuenda laude Legis noſtræ, quam inquinarunt Jacobus Rævardus, Paulus Merula, alii. Junius Rabirius *de origine Haſtarum & auctionum*, a Grævio nobis ſervatus, indivulſa ſerie ſcripſit textum eo modo: *Si volet, plus dato. Tertiis nundinis parteis ſecanto;* omiſſis reliquis omnibus. Idem principio, *confeſſis æris;* ſed fragmentum meliores agnovere ac plurimi, atque retinendum etiam putabant, *æris confeſſi debitique jure judicatis XXX dies juſti ſunto*, i. e. debitori condemnato æris ab ipſomet confeſſi & debiti adeo liquidi. Sed neutram tamen harum lectionum morabimur. Joannes Schefferus in Agrippa, ſive Diſſert. de Novis Tabulis, c. 3 ex Livii verbis L. VI c. 37 *fœnore trucidari plebem*, elici poſſe autumabat, creditoribus licuiſſe aut membris mutilare, aut capitis etiam ſupplicio afficere concives ſuos. Si figurata hæc admittuntur, poterat *ſupplicia* captare potius ibidem, *corpus in nervum ac ſupplicia dare*, c. 36. Acuta oppido eſt etiam obſervatio de Mannichæo, *ad L. 4 pr. C. de Hæret. & Manich.* Juvatque eam non parum conjectura Jacobi Gothofredi, hanc & ceteras de Manichæis Honorii leges haud alium quam Auguſtinum ſuaſorem habuiſſe, *ad L. 35 L. 38 C. Theod. eod.* Hoc enim ſi verum eſt, facile potuit ab Auguſtino mentio duplicis etiam illius

appel-

appellationis, quam diximus, in aula Cæſaris fieri, atque ſanctioni huic publicæ inſeri. Attamen dici poſſit contra, verba Auguſtini *de hæreſ.* §. *46* non iſtud velle, quod diſcipuli Manichæi ipſum promiſcue Mannichæum (Pancirollus ait, *Mannem*, Theſ. Var. Lect. II, 175) appellarint, ſed in Græcia tantum uſos hac velut replica adverſus Orthodoxos, quoties ipſis derivatio ἀπὸ τȣ̃ μαίνεσθαι opponeretur: quaſi dicerent, ſi derivationibus atque alluſionibus Græcis certandum ſit, ſe quoque ſimiles in promptu habere ad declinandam invidiam. Et ſtante hac interpretatione verborum Auguſtini mirum non eſt, eum in epiſtolis ejusdem ætatis, in quibus tamen aliquando liberius loquimur, nullibi pungere Manichæos ſive hoc ſive alio aculeo derivationis vel ſcriptionis grammaticæ. Abeſt ſane illud *Manichæas* a Codice Theodoſiano in L. 40 eod. Sic autem peribit etiam altera ſcriptio, *Mannichæas*. Aſt ſufficit nobis, L. 7 C. Theod. eod. unice de Manichæis conceptam eſſe, & ibi ita legi: *Si qui Manichæus Manichæave.* De utroque ſexu hic loqui Theodoſium M. monſtrant, quæ ſequuntur: *his tantum filiis paternorum vel maternorum ſucceſſio deferatur, qui — tali immunes a crimine.* Eo autem tempore, anno 381, Auguſtinus erat ipſe adhuc Manichæus. Ac nondum oſtenſum fuit, in Græcia jam tunc certatum eſſe iſtis derivationibus, quas vidimus. Neque adeo neceſſarium erat in L. 40 C. Theod. denuo ſcribi: *præcipue Manichæos Manichæasve.* Quia contra Donatiſtas etiam, & Phrygas & Priſcillianiſtas ſcripta eſt, adeoque in toto illo textu duplex ſexus unius ſectæ commode non potuit diſtingui, quod factum in L. 7. Poteratque Tribonianus in *L. 4* tuto omittere, *ſeu Manichæas*. Nam cum Donatiſtas ex L. 54 C. Theod. tranſpoſuerit in L. 4 Juſtiniani, vidit utique, Honorium in illa L. 54 *damna patrimonii imponere viris, mulieribus, perſonis ſingulis.* Quod ergo de ſolis Donatiſtis dictum fuerat hic, & ſupra de ſolis Manichæis in L. 7, id jam ad utrumque ſexum hæreticæ illius pravitatis, ſive Manichæi ſint, ſive Donatiſtæ, ſive ex amplo illo cenſu L. 5 deſumpti, ipſo jure extenditur. Fuit hoc in L. 19 h. pr. *uterque parens i. e. pater & mater, — ceteris liberis, qui paternam*

 vel

vel maternam impiam affectionem ſecuti. Et in Authent. *Gazaros* (Καθαρὺς) *& omnes hæreticos utriusque ſexus.* Vides, quomodo factum ſit, ut Græci in eadem hac L. 4 & Theodoſium M. ſequerentur, & Juſtinianum, *τὺς Μανιχαίυς καὶ τὰς Μανιχαίας, καὶ τὺς λεγομένυς Δονατιςάς.* Vides, quare retinuerint ex Codice Theod. aſcendentes & deſcendentes, ſine ſexus diſcrimine: & jam facile etiam intelligimus totam Nov. 109. Omnia hæc occaſione unius Perſæ, qui cum Cubricus amplius vocari nollet, Μάνης maluit: ut Perſarum indole dialecticus alicujus nominis eſſe videretur, *Cyrillus Hieroſol. catech. 6 fol. 57.* Auguſtinum vero, qui ex Cubrico fecit Urbicum, excuſavit Petavius, *de Incarnat. Lib I c. 4 n. 12*, exemplo Latinorum illius ſectæ.

C. W. RESPONSIO AD EPISTOLAM VIRI Clariſſimi JOHANNIS KEILL, A. M. ex Æde Chriſti in Academia Oxonienſi & Reg. Societ. Socii, Actis Menſis Januarii p. 11 inſertam.

IN Elementis Aerometriæ, quæ in gratiam tyronum Matheſeos, ad Phyſicam experimentalem applicationem noſſe deſiderantium, fugiente calamo in chartam conjeci, tuam Vir Cl. de vacuo demonſtrationem obiter notavi, adeoque argumentum quoddam ad hominem protuliſſe tum mihi ſuffecit. Quoniam vero Tibi in Actis hujus anni menſe Januario ad objectionem meam reſpondere tuamque demonſtrationem uberius confirmare libuit; ut meam quoque ea de re ſententiam plenius exponam, neceſſarium videtur. Tenendum itaque, me materiam diſtinguere in *cohærentem*, quæ ſingulis corporibus propria, & *interlabentem*, quæ poros eorum libere permeat. Illam nomine *maſſæ* in Elementis meis indigitavi, ut ex definitione nona intelligitur, quæ ita habet: Maſſa eſt quantitas materiæ cohærentis, hoc eſt, ejus quæ ad corpus quodlibet in eſſe ſuo conſtituendum concurrit. Materiam vero interlaben-

Digitized by Google

bentem a maſſa ſejungo, propterea quod in mutuo corporum inter ſe conflictu nulla ejus habenda eſt ratio: non tamen prorſus negligendam cenſeo, cum ex ejus cum materia corporum cohærente conflictu multorum phænomenorum reddenda ſit ratio. Gravitates corporum maſſis, hoc eſt, quantitati materiæ cohærentis, nequaquam vero aggregato ex cohærente & interlabente proportionales affirmo in *ſchol. 2 ax. 3 p. 16.* Nec profecto aliud evincunt experimenta Viri ſummi *Newtoni:* nec Tua etiam demonſtratio, qua gravitates quantitati materiæ corporum proportionales confirmas, aliud probat, quam illas materiæ cohærenti proportionales eſſe: uti mox oſtendam. Atque hinc etiam a me admitti & commendari potuit. Jam cum theorema, de materia cohærente tantummodo intelligendum, ad interlabentem quoque transferas, dum aſſerui, Te id facientem paralogiſmum committere, minime aberratum eſſe arbitror. Etenim committi paralogiſmum, dum, quod inferri non debebat, infertur, nemo dubitat. Ut vero tanto evidentius appareret, ad materiam interlabentem theorema illud applicari non poſſe, argumento ad hominem uſus poſui, ſed non conceſſi, materiam interlabentem eſſe gravem, atque inde per principia Archimedea deduxi, eandem pondus corporum ad bilancem examinandum augere non poſſe. Neque ullam adhuc video rationem, cur argumentum iſtud deſeram, etiamſi ad caſum æqualis corporum deſcenſus, quem prolixe inculcas, reſpiciam. Theorema enim Tuum ſecundum non locum habet, niſi gravitas ſpecifica fluidi ponderi corporis per illud deſcendentis multum detrahat, ut in allato a Te exemplo gravitas aquæ ponderi plumbi. Quoniam vero materia interlabens tenuior eſſe debet aere communi, cum hujus gravitas ſpecifica ne quidem tantum ponderi corporum detrahat, ut in experimentis pendulorum decrementum ſatis ſenſibile notari queat, multo minus illa, etiamſi gravis ponatur, decrementum ponderis in iſtis perceptibile cauſabitur. Sed hæc in præſenti non urgeo: quin potius ſecundum rei veritatem reſpondeo. Scilicet gravitatem eſſe vim primitivam, nemo affirmabit, niſi qui qualitates occultas in Phyſicam poſtliminio retroducere aut

cum

Digitized by Google

cum vulgo ad nutum Dei immediatum provocare ſuſtinuerit, ubi cauſæ phænomenorum a ſenſu remotæ. Etenim ex Metaphyſicis ſatis ſuperque notum eſt, nihil eſſe poſſibile, cujus non aliqua detur ratio, cur poſſibile ſit. Quare cum certa materiæ quantitas ad punctum aliquod continuo nitatur, & niſi impediatur, actu deſcendat; hujus conatus, h. e. gravitatis, aliqua detur cauſa neceſſe eſt. Ex motibus igitur naſcitur gravitas, adeoque datur aliqua materia gravifica, quæ cum gravitatem efficiat, ipſa gravis eſſe nequit, & cum gravitas non corporum ſuperficiebus, ſed maſſis proportionalis deprehendatur, poros eorundem libere pervadere intelligitur. Et hæc ipſa materia, quia deſcenſum gravium efficit, quantitati materiæ motæ utpote movens annumerari nequit, nec deſcenſui eorum reſiſtere valet. Vides itaque, Vir doctiſſime, demonſtrationem tuam tantum valere, ſi theorema de maſſa corporum ſeu quantitate materiæ cohærentis accipiatur. Quodſi ad interlabentem idem extendis, in ejus demonſtratione paralogiſmum committis, dum theorema de viribus maſſæ corporum æquali velocitate motorum proportionalibus ultra ſuos limites extendis. Me adeo ubi convincere volueris, materiæ vim primitivam eſſe gravitatem, demonſtres neceſſe eſt: alias enim tuæ demonſtrationes non impoſſibilitatem materiæ interlabentis perſuadebunt, ſed fortius confirmabunt, materiam interlabentem, cujus exiſtentiam (præter alia phænomena bene multa) gravitas requirit, ſi ex motibus naſcatur, nec ponderare cum corpore, nec impetum cum eodem facere.

Commodam hanc occaſionem nactus ſubjungo

MONITUM CIRCA EXPERIMENTUM DE CIRCULatione Aeris per poros ligni, ex Elementis Aerometriæ in Acta A. 1709 Menſ. Jan. p. 28 translatum.

Dixi in *coroll. prop. 79 Element. Aerometr.* me ſæpius iterato experimento nullo modo efficere potuiſſe, ut campana lignea vel leviter cum catino ad antliam firmato cohæreret. Tenendum vero, me tunc temporis aerem evacuaſſe ope antliæ non

non admodum capacis atque embolum eduxiſſe epiſtomio reſpectu campanæ aperto. Sed cum poſtea antliam multo majorem mihi comparaſſem, idem experimentum ſæpius in præſentia multorum diverſis temporibus iteravi & epiſtomium non aperui, niſi embolo educto. Animadvertimus autem campanam ex abiete paratam, cujus diameter erat fere 4, altitudo circiter 5 digitorum Rhenanorum, craſſities ¼ unius digiti, epiſtomio aperto adhæſiſſe catino. Sed cum aurem eidem propius admoveremus, ſuſurrus quidam percipiebatur, qualis fere ab aqua ebulliente excitari ſolet. Quam primum vero is rurſus ceſſabat, adhæſio ſublata erat. Ceterum cum ex incuria bibliopolæ, me abſente, partim typothetæ, partim correctoris vitio in libellum innumera fere ſphalmata (quod doleo) irrepſerint, ea & ſi qua forte alia fugienti calamo tribuenda occurrant, Lector pro dexteritate ſua corriget.

CAROLI NICOLAI LANGII, LUCERNENSIS, Helvet. Phil. & Med. Acad. Cæſ. Leopold. Societ. Reg. Pruſſiæ, & Phyſico-Crit. Senenſ. Tractatus de Origine Lapidum Figuratorum.

Lucernæ, ſumptibus Autoris, 1709, 4.
Conſt. 11 plag.

Lapidum figuratorum originem tradituros rerum naturalium ſcrutatores in duas abire partes videmus. Sunt enim, qui eos pro diluvii univerſalis reliquiis ad montes translatis & tractu temporis petrificatis habent; alii viciſſim ſuſpicantur, minima conchyliorum ſemina per ſubterraneos meatus e mari in altiſſimos diffundi montes, & cum materia lapideſcente commixta in hujusmodi corpora lapidea conchis marinis ſimillima excreſcere. Utriusque opinionis rationes & argumenta ſedulo expendit Clariſſimus Langius in præſenti Tractatu, poſtquam *Hiſtoriam Lapidum Figuratorum Helvetiæ* a nobis Anno ſuperiore, menſe Januario, pag. 17 commendatam luci publicæ expoſuerat. Quod munus ut idem rite exequatur, in duos Libros hunc diſpeſcit Tractatum, in quorum primo in

X capita diviſo varias tam Veterum quam Recentiorum circa ortum Lapidum figuratorum opiniones proponit, hiſtoriam diluvii univerſalis tam ex Moſe, quam Burneto & Woodwardio deſcribit, ultimosque refutat, tandemque opinionem diluvianam de ortu Lapidum figuratorum corpora marina referentium, qui in montibus occurrunt, cum rationibus & fundamentis adducit. In II vero, XI capitibus circumſcripto, tradita de generatione viventium in genere & in ſpecie Teſtaceorum, horumque nutritione & accretione, ſubſtantiaque doctrina, opinionem de Lapidibus figuratis corpora marina referentibus a ſeminibus ortis cum rationibus & fundamentis expendit, diluvianorumque objectiones ſolvit. Speciminis loco utriusque hypotheſeos rationes cum B. L. breviter jam communicabimus.

Quod Diluvianorum hypotheſin attinet, dicunt hi, in univerſali Terræ diluvio arenulas maris una cum teſtaceis aut aliis corporibus marinis a fluctuantibus undis & horrendis procellis, quibus tunc mare agitabatur, hinc inde tam in ſuperficie terræ, quam in ejus cavernis ſubterraneis in vaſtum acervum congeſtas fuiſſe, tractuque temporis debito ſale lapidifico irrigatas ſimul cum contentis teſtaceis aliisque corporibus marinis in ſubſtantiam lapideam induruiſſe, a quo potiorem montium lapidumque figuratorum, qui in iis reperiuntur, originem deducunt. Quemadmodum autem Lapides figurati duplici modo inveniuntur in montibus; vel enim materia lapidea ad teſtaceam ſubſtantiam accedente obducti ſunt, vel e puro lapide arenaceo, ſiliceo, aut marcaſitaceo conſtant; ita primos volunt eſſe ipſas conchas, per ſimplicem petrificationem una cum materia contenta in hujusmodi lapides figuratos converſas, reliquos vero, ſubſtantia teſtacea prorſus deſtitutos & ſpoliatos, putant eſſe materiam ſeu nucleum aut calculum intra conchas contentum, & tractu temporis petrificatum, conſumptaque teſta, cujus tanquam alicujus moduli vel formæ figuram acquirit, & retinet, adhuc ſuperſtitem. Argumenta, quæ pro confirmanda ſua ſententia allegant, ad tria capita reducuntur. Primum contra adverſarios dirigitur, dum negant

hujus-

hujuſmodi lapides in terra generari poſſe. Probant hoc 1, quia propter infinitos terræ meatus & diverſiſſimam materiam heterogeneam ſeminium illud ſine minima ſubſtantiæ jactura vel illibatum ad tantam terræ altitudinem penetrare non poſſet. 2 Si vel maxime illuc penetraret, non debitam matricem, nec legitimum nutrimentum illic inveniret. 3 Generatio hæc deberet fieri vel illico, vel ſucceſſive; neutrum autem dici poteſt; non primo modo, quia ſemina viventium omnium ſucceſſive tantum accreſcere ſolent; nec ſecundo, quia materia, ex qua talis figura formari debet, illico petrificatur, nec admittit moram, ſemelque indurata motui principii interni non amplius auſcultat. Dein deberent hujuſmodi corpora indiſcriminatim in omnibus quibuscunque ſaxis & mineralibus occurrere, & non in acervos congeſta, prout in mari inveniri ſolent. 4 Sequeretur, quod e ſemine integri animalis neglecto reliquo corpore unica tantum pars animalis poſſet produci, e. g. teſta tantum, dens, ſpina, vertebra, ramus, folium, &c. quod tamen rationi & experientiæ eſt contrarium. 5 Inſuperabilis quaſi naturæ difficultas videtur in producendis corporibus tam artificioſe elaboratis e materia lapideſcente intra montes & ſaxa, niſi aliqua externa forma figuram lapideæ ſubſtantiæ determinans accederet, hæc autem neceſſario in iis teſtaceis conſiſtere debet, quorum imaginem lapides figurati præ ſe ferunt. 6 Figuræ ſalium non ſemper eundem angulum, eandem magnitudinem, eundem ſitum habent; quando majores & plures notandi eſſent defectus in corporibus figuram multo magis compoſitam habentibus, e. g. in partibus animalium. 7 Si echinus e. g. mediante ſemine e materia lapideſcente generaretur, tum hæc tantum in corticem, corpus globoſum echino ſimile efformantem, deberet expandi; hoc autem impoſſibile eſt, ſine piſce poſſe fieri. 8 Deberent lapides figurati etiamnum generari, & inter de novo genitos & longævos aliquod diſcrimen deprehendi. Alterum argumentum eſt, quod omnes hujuſmodi lapides figurati quoad figuram ſuam totaliter conveniant cum figura corporum marinorum, quæ repræſentant. Probatur hoc ipſum 1, quod omnia cochlitarum genera cum

Digitized by Google

cochleis terreſtribus & marinis quoad figuram, orbes, eorumque gyros, ora, ſtrias atque tubercula conveniant; 2 nec echinitæ eorumque partes, quæ ſunt ſcutula & radioli, ab echinis marinis eorumque partibus differant; 3 nullum concharum marinarum vel fluviatilium genus detur, quod non in conchitis deprehendatur, & utraque inter ſe maxime conveniant; 4 tubulitæ cujuscunque generis tubulis marinis prorſus aſſimilentur; 5 eadem ſimilitudo in iis lapidibus figuratis obſervetur, qui partes animalium marinorum tantum præ ſe ferunt; 6 corallia in altiſſimis montibus reperta in omnibus corallia marina referant. Tertium argumentum reſpicit convenientiam multorum lapidum figuratorum cum corporibus marinis, non ſolum quoad figuram, ſed etiam ſtructuram & ipſam materiam, teſtaceam nimirum in ſuas laminas diviſam, qua communiter conchæ marinæ conſtare ſolent. Hoc probant, 1 quia lapides figurati, qui conchas, cochleas, vel tubulos marinos exhibent, verum adhuc corticem teſtaceum continent, vel nudo vel armato oculo cognoſcendum; 2 quia foſſilibus & marinis eadem eſt gravitas & ſubſtantia, quam examen chymicum detexit; 3 quia echinites aqua maceratus partis corticalis echini marini ſtructuram & interne cellulas & concamerationes exhibet, quibus piſcis ad functiones vitales obeundas utitur; 4 plures conchitæ non minus per laminas teſtaceas ſibi invicem expoſitas & quarum ſuperior ſemper minor eſt inferiore, conflari videntur, ac ipſæ conchæ marinæ; 5 in cavitate terebratulæ obſervatus eſt piſcis petrificatus; 6 plures gloſſopetræ & ipſa pars lapidea maxillæ tantum in ſuperficie ſua ſunt petrificatæ, & induratæ, interna eorum ſubſtantia ſpongioſa remanente; 7 in corallitis aliquando adhuc levis apparet rubedo. His addunt alias rationes a ſitu petitas: ſcilicet quod omnes echinitæ oblique ſiti a mole terræ vel arenularum incumbente fuerint compreſſi, illæſis illis, qui perpendiculariter jacebant; quod in pluribus locis quamplurimi lapides figurati in uno loco inveniantur coacervati, in aliis vero ne unicus occurrat, idque vorticibus adſcribunt aquæ ſubſidentis, copioſe quisquilias marinas ingurgitantibus; &

quod

Digitized by Google

quod intra echinitas nullum reperiatur corpus majus foraminibus in echinis marinis occurrentibus. Supereſt ratio moralis: Deum ipſum nobis tam evidentia univerſi hujus ſupplicii veſtigia relinquere voluiſſe, ut nos impoſterum per ejus memoriam ab improba vita abſterreat, ſanctumque & conſtantem ſui amorem ac timorem in nobis eliciat.

Sed ad alteram opinionem accedimus, quæ vult, Lapides figuratos corpora marina referentes e ſeminibus per terram diffuſis generari. Hypotheſis talis eſt: Semen ſenſibile & formatum viventium marinorum cum parvum ſit & leve, vel etiam inſenſibile & non formatum in partibus corporum demortuorum adhuc relictum, aut in ipſa mucedine partium jam putrefactarum ſuperſtes, hinc inde mediante aere, vaporibus, & aqua levi negotio elevatur, & per apertos terræ poros diffunditur, in ſubterraneis vero partim mediante ipſo calore ſubterraneo, partim halitibus ab aqua ſubterranea, aliisque latentibus ſuccis, fluoribusque excitatis e mari aliisque locis, in quibus deliteſcit, attollitur, & per hiantes ſubterraneos terræ meatus, ſaxorum fiſſuras, ſtratorumque pervia foramina diſtribuitur, usque dum in aliquam congruam matricem incidat, cui ob innatum magnetiſmum intime unitur, firmiterque adhæret, donec accedente calore ſubterraneo latens ſeminis vis plaſtica excitetur, materiamque fluidam proportionatam mediante ſpiritu lapidifico cum aura ſeminali quaſi identificato taliter efformet, atque in tale corpus lapideum figat, quale in mari e materia teſtacea produxiſſet. Rationes quibus ſtabilitur hæc hypotheſis ſunt ſequentes: Scilicet facilius intelligi poteſt, minutiſſima ſemina integra & illibata, quam jam formata & tenera, e. g. cornua Ammonis ad tantam montium altitudinem deferri poſſe; ad hæc inveniuntur integra ſaxa, lapides arenacei &c. minimis referti conchyrulis, conchitas minutiſſimos intra ſe continentibus, quæ fœturæ in ſuo primordio viſcida tantum materia agglutinatæ & inter ſe cohærentes, ſine ſeparatione per impetuoſas aquarum marinarum procellas ad altiſſimos montes deferri non potuerunt. Huc facit cornu Ammonis incompletum ſeu accreſcens & revera ſtatum adhuc em-

bryonatum præ ſe ferens repertum; item aliud, cujus ſubſtantia interna innumeris conchytulis referta fuit, quæ omnino in illo creverunt; ut & conchitæ membranaceæ e laminis tenuiſſimis conſtantes, qui vel in mari non creverunt, vel absque ſuæ ſubſtantiæ jactura ad montes deferri non potuerunt; denique terebratulæ oblongæ compreſſæ, lapides figurati monſtroſi vel complicati. Porro ſubſtantia horum foſſilium per totum ſuum corpus æqualis & a ſubſtantia illius corporis, quod repræſentat, prorſus aliena eſt; deinde lapides conchas, quarum valvæ arctisſime ſunt conjunctæ, præ ſe ferentes, eadem materia, ex qua matrix conſtat, impleti ſunt. Armatura huc facit, quæ non a matrice, ſed ex peculiari ſeminio ortum ducit; item externa ſubſtantia internæ ſimilis, ſpicula cryſtallina intra lapides contenta &c. Favet etiam huic hypotheſi infinitus Lapidum figuratorum numerus, & quod plerumque conchas pelagianas præ ſe ferant, quibus adde columnas terrigenas ſeu aſtroitos quosdam novæ figuræ, juncturis ſcilicet clauſis, concavis, & non radiatis in Hybernia viſos. Quemadmodum autem Clarisſimus Langius huic ultimæ ſententiæ adhæret, ita quæ opinionem diluvianam in dubium vocant, proponit, & quo modo objectiones contra ſuam hypotheſin ſolvi queant, allegat. In dubium ſcilicet revocat opinionem diluvianam ſyſtema Woodwardianum, utpote S. Scripturæ, rationi & experientiæ contrarium, ſine quo tamen profundus lapidum figuratorum ſitus non poteſt concipi; adde quod animalium terreſtrium partes petrificatæ non ſimul reperiantur, & quod lapides non in omnibus terrarum locis inveniantur, cum tamen diluvium fuerit univerſale. Ad objectiones ſupra allegatas regerit Noſter: & quidem ad 1, quod ſeminium concharum omnino e mari intra montes ſine principii intrinſeci diſſipatione æque ac ſemen plantarum, inſectorum &c. ab aere transportari queat; ad 2, quod congrua matrix pro fœcundatione & expanſione ſeminum detur, imprimis cum ſubſtantia concharum lapideæ ſubſtantiæ ſit æqualis; ad 3, quod generatio fiat illico, quia ſufficiens adeſt materiæ quantitas; ad 4, quod ex integro ſemine animalis unica tantum vel plures partes posſint generari; ad

5, quod

5, quod naturæ non difficilius negotium faceſſat, producere corpus aliquod naturale intra terram ac in ipſo mari, modo omnia requiſita naturalia adſint; ad 6, quod magna ſit diſparitas inter productionem cryſtallorum, marcaſitarum &c. & lapidum figuratorum, ſiquidem illæ a ſalibus tantum dependeant caſu quodam tantum concurrentibus, hi vero ſemper a ſeminio interno producantur; ad 7 quod ſi materia ſufficiens adſit, non neceſſe eſt, ut tantum in corticem, corpus globoſum echino ſimile efformantem, expandatur, ſed interna ſubſtantia lapidea repleatur; ad 8, quod detur differentia inter de novo generatos lapides figuratos & longævos, ſiquidem illi ſemper adhuc ſuos præ ſe ferunt fluores, iſti nequaquam. Reliqua Diluvianorum argumenta pro ſua militare ſententia addit, exiſtimans, ſubſtantiam teſtaceam in foſſilibus nunquam apparere; piſciculum in rupta terebratula productum eſſe a ſeminio illius terebratulæ, quod ſub terra in ſua matrice etiam materiam proportionatam ad piſciculum ipſum cum conchula formandum invenit. Et echinitos oblique ſitos a mole terræ longo tempore poſt eorum ortum in aliquo terræ motu compresſos fuiſſe.

FOEDERA, CONVENTIONES, LITERÆ ET CUjuscunque generis Acta Publica Anglicana; curante THOMA RYMER, Sereniſſ. Reginæ Hiſtoriographo. *Tomus II.*

Londini, per A. & J. Churchill, 1705, fol. Alphab. 12.

CUjus Operis ſpecimen menſe Decembri A. 1709 dedimus, ejus nunc Tomum ſecundum perluſtratum, excerptis inde quibusdam notatu dignis repræſentamus. Eduardi I regnum per ſeptem luſtra rerum inſignium ſatis capax totus complectitur, resque geſtas ab A. 1272 usque ad 1307 deſignat, ex quibus pro more noſtro quædam delibabimus.

Henricus I Navarræ Rex Comitem Palatinum Campaniæ & Briæ ſe appellat. Comites enim Campaniæ, ad quos tum p. 18.

Na-

Navarræ Regnum pertinebat, jam olim ab Henrico III Imperatore, Regnum Arelatenſe recuperante, titulum hunc erant conſecuti. A. 1278 Brabantiæ Dux Lotharingiæ quoque Ducatum
p. 97. in titulo exhibet, confuſis nempe duobus ejusdem provinciæ nominibus, cum olim Brabanticus pagus Lotharingia inferiore contineretur; quod *Blondellus in Aſſert. Geneal. Franc. p. 270* jam obſervavit, notans ſcriptorum iſtius ævi negligentiam, mutatis & transpoſitis ſæpiſſime titulis, id quod in ipſius Ducis ad Regem literis & ab hoc ad illum viciſſim datis paſſim obſerves. In unica tamen Regis ad Johannem II A. 1297 data Epiſtola *Comes Lotricheriæ* (quæ eſt Lotharingia) non *Dux*, ut alias conſuetum, appellatur, quod quare factum ſit, aliis diſcutiendum relinquimus. Cum Interregno finito Rudolphus Habsburgicus fieret Imperator, Alphonſus X Caſtellæ Rex neglectam
46, 47. hucusque dignitatem capeſſere cupiebat, cui ſua contra Rudolphum auxilia pollicetur Eduardus. Paulo poſt vero, ſponte ab inceptis deſiſtente Alphonſo, non amicitiæ ſolum, ſed & affini-
70, 110. tatis vinculum Angliæ Rex cum Rudolpho contraxit, Hartmanno ejus filio Johannam filiam locans in matrimonium, ea conditione, ut ſi Rudolphum ipſum Imperiali diademate cingi contingeret, huic Hartmanno Alemannicum (h. e. Germanicum) juxta
161. cum Arelatenſi Regno procuraret. Alemannicis mercatoribus, qui per Richardum Regem Romanorum Londini domum impetraverant, tutelam privilegiorumque conſervationem Eduar-
168. dus confirmat. Lupos ex Anglia tum nondum fuiſſe extirpatos, mandatum Regis docet, quo *lupos, cum hominibus, canibus, & ingeniis ſuis* (qua voce retia procul dubio intelliguntur) capi & deſtrui omnibus modis poſtulat. De Provinciæ Comitatu valde contenderunt Gallici ſcriptores, ab Imperio neutiquam illum pendere. Diſputavit contra eos egregie Conringius, cujus teſtimoniis aliquod addemus non proletarium. Scilicet, dum probat fiduciario jure ipſam familiam Galliæ Regum Comitatum hunc a Rudolpho Habsburgico tenuiſſe, cum Ludovici IX uxor ultimi Comitis fuerit filia, ſolam Nicolai III Papæ Epiſtolam
159. hanc in rem adducit. Nos vero jungemus huic Eduardi ad Galliæ Reginam literas, (cum enim contra Carolum Siculum,

qui

qui totam ſibi Provinciam vindicaverat, vocarat in auxilium) ubi diſerte, homagium ipſam Alemanniæ Regi pro hac Provinciæ portione præſtitiſſe, teſtatur. Veſperæ tum temporis in Sicilia Gallis adeo funeſtæ bello implicabant Petrum Arragoniæ Regem, qui ſibi vindicabat Siciliam adverſus Carolum Andegavenſem ejus uſurpatorem. Convenit tum inter eos duello de ſumma rei p. 226 ſqq.
decernere, centenis ab utraque parte militibus inter ſe commiſſis Burdegalæ in Vaſconia, quæ Anglis tum parebat, cui certamini uterque ſub hypotheca bonorum ſuorum ſe obligabat. Sed impediviſſe videtur Papa, interdicens judicis munus & arbitri Eduardo; 242.
quin eo contra Petrum progrediebatur, ut Regnum ejus tanquam vacuum cuidam ex Gallici Regis filiis offerret. Ceterum in dictis de duello conventionibus diverſa ſupputandorum annorum ratio tenetur, Carolo, *ſecundum Romanæ Eccleſiæ totiusque fere Italiæ conſuetudinem*, 1283, a nativitate ſc. Domini, Petro, *ex Aragoniæ pluriumque partium ultramontanarum more*, 1282 ab incarnatione, numerantibus. Ubi Caroli Salernitani Principis, qui Caroli Andegavenſis erat filius, captivi apud Arragones negotio liberaturus immiſcuit ſe Eduardus, ſupplicantibus ejus filiis, qui captivo patre *correlativæ* 317.
oppoſitionis ſequeſtratum reſpectum, ſolo filiorum nomine relicto, ſcribunt, operam huic negotio dedit tantam, ut cum conditiones omnes a Carolo ſtatim impleri non poſſent, ipſe de ſuis Arragonum Regi daret obſides, quæ cum reliquis ad iſtam hi- 371 ſqq.
ſtoriæ partem pertinentibus facili negotio quamplurimorum documentorum ſubſidio deduceremus, niſi brevitati ſtudere lex nobis eſſet. Sabaudiæ Comes Philippus, ſine liberis deceſ- 290, 312.
ſurus, poteſtatem Eduardo, matrique ejus facit, nominandi ſibi ex agnatis ſuis ſucceſſorem, teſtamentum etiam exequendi. Hinc ſimul patet, vixiſſe Philippum adhuc A. 1285, paulo poſt 325.
tamen mortuum, cum A. 1286 Amadeus ſucceſſor ejus memoretur. Perperam igitur ab aliis in annum 1279 mors ejus incidiſſe perhibetur. Ex duobus Honorii IV Pontificis Bul- 295, 297.
lis ulterius eluceſcit id, quod nuper harum rerum peritiſſimus Haineccius probavit ex Innocentii III Epiſtolis; Bullas nempe Paparum, ante conſecrationem eorundem datas, ſignari quidem

Digitized by Google

appenſo plumbo, cujus tamen illa pars, quæ nomen Pontificis
P. 427. habet inſcriptum, vacet. Quin imo poſt aliquantum exhibe-
tur Nicolai IV de Bullarum ejusmodi valore ſententia, quem
plenum illis, licet *defectiva* ſint (*dimidia* vocantur alias) vin-
327. dicat. Ericus Norwegiæ Rex mutuum 2000 Marcarum Ster-
lingorum ab Eduardo accipiens, obligat illi *ſe, regnum ſuum,*
homines & mercatores regni ſui, ac omnia eorum bona, ſubjiciens
ea voluntati Regis Angliæ, ſi defecerit ſolutio; obligat item *ſe ac*
heredes ſuos cohercioni (quæ vox fruſtra quæritur apud Ducan-
gium, & ſine dubio coercitionem notat) *Domini Papæ, ac omni*
cenſura Eccleſiaſticæ, ſub pœna excommunicationis & interdicti.
388. In obligatione quadam Carolus Salernitanus, qui proprium ſibi
ſigillum poſt liberationem e carcere fieri nondum curaverat,
annuli ſui tres facies inſculptas habentis ſignum appoſuit, ad-
dita propria manu voce *credatis.* In eadem vero omnibus Ju-
ris Canonici Civilisque ſubſidiis legitur renunciaſſe. Cum
poſt exceſſum Alexandri III Scotiæ Regis, ejus nepti Marga-
rethæ, ad quam ſucceſſio devolvebatur, filium ſuum matrimo-
nii vinculo jungere cuperet Eduardus, promiſit Scotis, Regnum
482. iſtud *remanſurum ſeparatum & diviſum & liberum in ſe, ſine*
ſubjectione, a Regno Angliæ. Cum tamen hoc αὐτονομίαν Sco-
torum tantum reſpiceret, finiumque confuſioni prohibendæ,
ſalvo item jure Regis Angliæ, eſſet conceſſum, non impedivit,
quo minus ſupremum in Scotiam dominium Eduardus retine-
529. ret. Agnoſcunt id, mortua, priusquam nuberet, Margaretha,
Regni competitores, & ipſum adeo litis arbitrum conſtituunt.
539. Agnoſcunt & Scotiæ magnates, qui concedunt præterea Regi-
bus Angliæ jus, de rebus ad Scotiam pertinentibus in Anglia
558. judicandi, homagiumque ipſi, dum lis de ſucceſſione penderet
559 ſqq. adhuc, præſtent. Idem firmatur variis antiquorum Chronico-
rum, Chartarum & Bullarum excerptis, ubi multa huc facien-
tia non ſine fructu legas. Neque minus ſcitu digna ſunt ea,
quæ in diſceptatione de Regno coram Eduardo, ſecundum leges
Scotiæ inſtituta, per plures paginas, a 542 ad 601, acta inveni-
untur. Poſt quam cum Johannes demum Balliolus ſucceſſionis
591, 593. jus eſſet adeptus, homagium ille fecit Eduardo, poſtea quoque
tam-

Digitized by Google

quam ligius homo ad cauſam dicendam citatus Weſtmonaſte- p. 605 ſq.
rium. His tamen irritatus Johannes, fœdere cum Galliæ Rege
facto, *fidelitatem & homagium* Eduardo *reddit*, victus autem 707.
paulo poſt, Scotiæ terram gentemque totam cum homagiis ei- 710.
dem reſtituit. Pacata hoc modo Scotia, permittit Rex Epiſco- 732.
pis Scotiæ teſtamenti condendi jus, eadem cum Archiepiſcopis
& Epiſcopis Angliæ libertate. Cum vero non diuturna pax iſta
eſſet, bellumque ab Eduardo Scotiæ rurſus inferretur, Papa 844.
Bonifacius VIII ipſum ab hoc incœpto dehortatur, argumentis
inſigniter levibus contendens, ad Eccleſiam pertinere Regnum
Scotiæ, negans etiam, homagium Angliæ Regibus de iſto Re-
gno factum unquam fuiſſe. Reſpondent autem Angliæ pro- 873.
ceres in Parliamento congregati, inaudita eſſe, quæ Papa ſcri-
bat, quippe cui nulla temporalis poteſtas competat in Scotiam,
feudali jure ſemper Anglis ab antiquorum Brittonum tempori-
bus ſubjectam. Reſpondet & ipſe Rex, e fabuloſis etiam hi- 883.
ſtoriæ temporibus a Bruto Trojano uſque jus Anglorum in Sco-
tiam repetens. Inſulæ Euboniæ *(Man)* incolæ, dum protectioni 492.
ſe atque tutelæ Eduardi tradunt, omnibus non ſolum juris reme-
diis ſecularibus renunciant, ſi quidem perfidi deprehendantur,
ſed & gentium conſuetudines in ſe valere nolunt. In Bulla de 513.
generali Chriſtianorum ad Terram ſanctam paſſagio, qua ſimul
privilegia cruce ſignatorum recenſentur, *Chriſtianiſſimus Princeps*
a Papa dicitur Eduardus, quemadmodum & alias Catholicum
vocari videas. Eduardus poſtea citatus ad tribunal Gallicum 659.
Lutetiam, fœdus cum Adolpho Romanorum Rege pepigit,
ad recuperandas, (ut ſunt verba) *bona, poſſeſſiones & terras Impe-*
rii per Reges Franciæ occupatas. Ipſa quoque hic exhibetur ci- 617, 634.
tatio prima & repetita, cum ſecreto quodam tractatu, quo de- 620.
cepti fuerant Eduardus & frater ejus Edmundus, qui, ut res
amice componeretur, ad Philippum erat profectus, ita ut Va-
ſconiam univerſam ſine armis in poteſtatem ſuam Galliæ Rex
redigeret. Nec illud forte ſit obvium, Comitem Catti-Melibo- 663.
cenſem (Katzinlugbogin vocatur in documento) Eberhardum
A. 1294 ſacramentum fidelitatis præſtitiſſe Eduardo propter
caſtra de Hohenbergh & Steinheim, quæ tum a nemine tene-

 bat.

Digitized by Google

bat. Quanta contentione patrum memoria de clauſo mari & p. 688. libero ſit diſceptatum, nemo noſtrum ignorat. Clauſi vero maris indicia his Eduardi temporibus A. 1295 invenimus, qui Hollandis, Zeelandis & Friſonibus permittit piſcationem in *mari ſuo* prope Jernemuth (Garienis oſtium in Norfolcia) liberam. Hæc de ſecundo Tomo ſufficiant, propediem ad reliquos progreſſuris. Illud adhuc obſervamus, Gallicam ab hoc tempore linguam in his Actis frequenter uſurpatam, in negotiis maxime Galliam & Scotiam reſpicientibus.

FABULÆ ANTIQUÆ EX PHÆDRO FERE SERvatis ejus verbis deſumptæ & ſoluta oratione expoſitæ; accedunt Romuli Fabulæ Æſopiæ; omnes ex MSStis deprompta & adjectis Notis editæ ab JO. FREDERICO NILANT.

Lugd. Bat. apud Theodorum Haak, 1709, 12.
Plag. 14½.

Quando fabularum primarius ſcopus eſt, ut corrupti mortalium mores emendentur, & ad honeſtatis atque virtutis ſtudium a vitiorum obſcœnitate traducantur, monente Conrado Rittershuſio in Epiſtola præliminari ad Joachimum Camerarium de renovanda editione Fabularum Phædri, a Petro Pithæo tum primum repertarum: illi laude digni ſunt, qui, ut fabulæ vel dilucidius exponantur, vel ignotæ in lucem proferantur, curant. Utrumque præſtitit Autor clariſſimus, qui Phædri fabulas ſoluta oratione expoſuit & ignotas ejusdem autoris, nec non Romuli Fabulas Æſopias ex MStis eruit. In Præfatione ſe debere profitetur hunc libellum Avunculo ſuo, Jacobo Gronovio, & Senguerdio, in Academia Lugdunenſi Bibliothecæ præfecto, quorum alter ex MStis Iſaaci Voſſii, quæ Bibliothecæ publicæ pars ſunt, collegerit, alter ipſam membranarum copiam ſuppeditaverit. In his picturas vix potuiſſe cognoſci, teſtatur, niſi adjecta fabulæ narratio manifeſtaſſet; easdemque impleviſſe omne paginarum ſpatium, unde illa verſuum pariter & verborum confuſio, magna obſcuritatis cauſa. Videri

deri quingentorum annorum, nec primam hanc eſſe deſcriptionem, ex Fabulis L & LV cognoſci. Creberrimas lectiones luculento eſſe indicio, quanti a Chriſtianis Phædrus fuerit æſtimatus. In illis vero membranis comprehendi fabulas vel nunquam editas, vel ita editas, ut & ſtylus & fictio ſit mutata, quod fecerit Camerarius, quem Gudius MSti fidem ſecutum ſcribit, ipſo Camerario in Epiſtola ad Rudingerum generum ſuum diſſentiente. Exponit deinde ſollicitudinem obortam, quod ex Neveleto cognoviſſet, Rimicium quendam Fabulas has ſoluta oratione jam expoſuiſſe, qua tamen liberaſſet ipſum Petrus Burmannus, clariſſimi nominis in Ultrajectina Profeſſor, miſſo in eam rem Rimicio, quo inſpecto excitatus potius fuerit ad abſolvendum penſum. Hinc vero de Romulo & Rimicio attentius cogitans, notat, quod nunc Romulus, nunc Romulius, Romalius, Rimicius, Rimiccius, Remiccius, Rinucius, Rinuncius occurrat, quæ etiam nomina nunc uni, nunc duabus perſonis tribuantur, & examinatis omnibus, expromit ſententiam ſingulari modeſtia. Nimirum Rimicium Fabulas tantum e Græco in Latinum vertiſſe, non vero autorem ipſum extitiſſe, quod Neveletus & Gudius voluere, eundemque ante typographiam inventam, vel circa illud tempus vixiſſe. At Romuli Fabulas Æſopias quod concernit, quem autorem poetam fuiſſe, fabulasque carmine ad Tybertinum filium ſcripſiſſe, quidam volunt, Barthius vero Imperatoris cujusdam juſſu jocoſas fabulas contexuiſſe cenſet, Noſter quidem opinatur, Fabulas a quodam φιλομύθῳ antiquiore, eoque Chriſtiano, in unum corpusculum ex Phædro collectas inſerviiſſe cuidam Romulo: vel nomen illud plane fictitium eſſe cujusdam, qui earum præceptis filium ſuum inſtruere voluiſſet. In notis vero ad Romuli Fabulas pag. 65 inquit: intelligendus eſt Romulus ſive Momyllus Auguſtulus, ultimus Occidentis Imperator; de quo alii viderint.

ANTONINI ITER BRITANNIARUM, COMMENtariis illuſtratum THOMÆ GALE. Opus poſthumum

revidit, auxit, edidit R. G. Acceſſit Anonymi Ravennatis Britanniæ Chorographia.

Londini, impenſis M. Atkins, 1709, 4.
Alph. 1 cum fig. æneis inſertis.

LAborem haud inutilem ſuſcepit Vir celeberrimus *Thomas Gale*, qui, cum Antonini hoc opuſculum haud contemnendum præbeat uſum antiquitatum, in primis Britannicarum, ruſpatoribus, illud Commentario, dum viveret, luculentiſſimo illuſtravit. Revidit opus a Patre relictum doctiſſimus filius *Rogerus Gale*, eique ultimam manum impoſuit, ſiquidem cum variis a Noſtro commemoratis codd. MStis illud conferre, multa item reſecare, & plura adjicere habuit neceſſe; in quibus tamen omnibus ita ſe geſſit, ut veſtigiis, quæ ſeſe obtulerunt, preſſius ſemper inſiſtens, numquam vel de tramite deſignato declinaſſe ſe affirmet, vel aliquid Lectori obtruſiſſe, quod non Autoris menti maxime conſentaneum fuerit. De milliarium Romanorum & Anglicorum ratione nil dixit, quia Cl. E. Haleius proportionem, quam inter ſe tenent, in Tabula Chorographica libello, ut teſtatur Editor, præfixa accurate depinxit; quam quidem in illis, quæ hic nobis videre contigit, exemplis fruſtra quæſivimus. In Commentario autem ipſo ita procedit Autor, ut locorum ab Antonino indicatorum ſitum, nominumque etyma, & quomodo hodie vocentur, inquirat, quodque firmis non potuit argumentis, id conjecturis, probabilibus ſaltim, quodammodo evincat. Ex diverſis MStorum lectionibus, quænam ſit optima, haud raro oſtendit. Sæpius etiam inſcriptiones, licet nonnunquam inſigniter vetuſtate detritas, atque ob literarum compendia explicatu difficiles, aliaque remotiſſimæ antiquitatis lipſana, ſuis quælibet locis, ubi reperta fuere, ſubjicit. Sic pag. 1 incertum eſſe docet, cui ex Romanorum Auguſtis, an ulli ex his, qui nomen Antonini geſtarunt, Itinerarium hoc tribuendum ſit. Opus a diverſis conſutum Autori videtur, quod negari non poſſe putat, ſi vel minima pars ab aliquo Antoninorum Impp. deſcripta fuerit: quippe quorum ultimus longe ante CPolim, aliasque in eo commemoratas urbes fun-

Digitized by Google

fundatas vixerit. Inchoatum forſan ab Impp. iſtorum aliquo auxerunt alii, qui ſecuti ſunt, prout occaſio, vel ſtationes militares viſitandi, vel nova præſidia ad Barbaros reprimendos collocandi, poſtularet. Pag. 2 obſervat, quod Romani inſulam Britannorum & Britanniam, & Britannias vocaverint, etiam antequam illa in plures provincias divideretur, quarum antiquus ordo breviter hic repræſentatur. P. 19 ſqq. Eburacum jam *colonia* jam *municipium* vocatur, ex more veterum, qui idem ſæpe oppidum & coloniam & municipium appellarunt. Eburacum quoque Spartiano per excellentiam *civitas* audit, & inſulæ olim fuit metropolis, ſiquidem tempore Conſtantini M. tractus iſte, in quo ſedet Eburacum, *Britannia prima* dicta, & inter Britannorum Epiſcopos primus collocatur in ſubſcriptione Concilii Arelatenſis *Eborius Epiſcopus*. Ceterum varia adhuc ibi reſidua ſunt monimenta vetuſta, v. g. Bellonæ Templum, Prætorium, in quo Papinianus jus dixit, Severi Palatium, & inſcriptiones, e quibus quinque hic adducuntur. P. 33 ſq. Bellatucadrum Deum fluvium fuiſſe conjicit, vel unum potius ex fontibus Itunæ, qui in limite Weſtmariæ paulo ultra oppidum *Caber* oritur. Nuper etiam Æſicæ hæc fuit detecta inſcriptio: DEO MARTI BELATVCADRO RO. VR. RP. CAII ORVSII. M. Neque incongrue ex Noſtri ſententia Mars ita cognominatur. *Cad* enim *prælium*, *Cader caſtrum*, & *Cadr fortis* Britannice ſonant. P. 64, 66, 69 Londinum, cujus incunabula in ſtatione quadam Romana quærit Cl. Autor, jam Neronis tempore copia negotiatorum & commeatuum celebre fuit. De nominis etymo non conveniunt eruditi. Camdenus illud a *Llong* navis & *Dinas* civitas; Seldenus a *Llan Dien*, templum Dianæ; Somnerus a *Llawn* plenus & *Dyn* homo; & Noſter a *Lluyn* nemus ac *Dinas* deducit, nemoroſam hanc civitatem dictam exiſtimans. P. 113 de Cunobelinis numus occurrit, quem ab Harduino in Num. Urb. & Popul. minus memoratum obſervamus. Adverſa facies ſpicam ſiſtit & literas CAMV. ſeu *Camulodunum*; averſa exhibet equum, ex pingui iſtius regionis paſcua petulantem. Infra CVNO. id eſt, *Cunobelini*. P. 119 inſcriptio producitur, apud Rigodunum (*Riblechester*) effoſſa, ex qua conſtat, Alam Sar-

maticam hic olim conſediſſe, licet de eo altum ſit hiſtoricorum ſilentium. Exhibemus hic quoque illam, ut literarum in ea initialium explicationem ab Autore omiſſam ipſemet Lector tentare poſſit: DEO MARTI ET VICTORIAE DEC. ASIATIC. AL. SARMAT. SS. L. L. M. I. T. C. C. N. N. P. 122 ſq. cum lateres plurimi, ad Conovium reperti, LEG*ionem* X ſtativa aliquando hic habuiſſe evincant, de Julii vero Cæſaris legione decima nemo dixerit, eam huc usque penetraſſe; ſuſpicatur Autor, legionem iſtam fuiſſe decimam Antonianam, & ſub Oſtorio contra Silures & Ordevices meruiſſe, quæ tamen hiſce in oris diuturnam haud traxerit moram, cum quia plane de ea ſilent hiſtorici, tum quod illa ſub Veſpaſiano contra Judæos militavit, captisque Hieroſolymis præſidio ibi a Tito fuit relicta, ubi & eam invenit Theodoſius Junior. P. 129 eos, qui *Glevo*, ſeu *Glouceſter* a Claudio Cæſare *Claudioceſtriam* nominatam volunt, prorſus ineptire putat; potius vero cum Conſtantinus M. Britanniam in quatuor partes diviſit, atque ex his Flavia Cæſarienſis ad ripam Sabrinæ jacuit, *Flavius* autem Britannice *Gloui* ſonat, hinc urbem illam *Glouiceſtre*, quæ ut olim, ita hodie quoque eſt caput provinciæ, appellari probat.

Ceterum Antonino comitem dedit Noſter Anonymum Ravennatem, qui *Britanniæ Chorographiam* conſcripſit. Hanc, admodum mendoſe in lucem olim emiſſam, eo lubentius denuo typis curavit exſcribi, quoniam Cl. Hudſonus collationes e Bibl. Vaticana Autori obtulit, quas una cum tot locorum nominibus hodiernis, quot iis aliqua ratione aſſignari potuerint, & cum nonnullis Patris ſui conjecturis emendationibusque adjecit. Non omiſit etiam variantes lectiones, ex autographo Gallico a Picqueſio transmiſſas. Et hæc omnia eo ordine diſpoſuit, ut oculo Lectoris uno eodemque intuitu ſubjiciantur. Appoſuit inſuper in margine numeros editionis, qua uſus eſt, Pariſienſis. Horum ope loca, in Commentariis laudata, in Ravennate etiam inveſtigari facillime poſſunt. Denique duplex in fine Index cernitur, quorum primus ſtationes Itinerarii, alter vero loca, in Commentariis commemorata, exhibet.

Proſtat Supplem. Tomi IV Sectio IV & V.

Digitized by Google

ACTA ERUDITORUM,

publicata Lipſiæ

Calendis Martii, Anno M DCC X.

ARISTOPHANIS COMOEDIÆ UNDECIM, Græce & Latine, ex Codd. MSS. emendatæ: cum Scholiis antiquis & Notis Virorum Doctorum. Omnia collegit & recenſuit, Notasque in novem Comœdias & quatuor Indices in fine adjecit LUDOLPHUS KUSTERUS, J. U. D.

Amſtelodami, ſumptibus Th. Fritſch, Bibliop. Lipſ. 1710, fol. Alph. 11.

INter omnes, quotquot hodie celebrantur, veteris Græciæ ſcriptores, nullum facile venuſtate Atticæque elegantiæ cultu Ariſtophanem, Comicorum Principem, ſuperare, apud omnes in confeſſo eſt, graviſſimique & idonei harum rerum arbitri ac judices, nominatim *Jo. Chryſoſtomus* & *Theod. Gaza* exemplo ſuo & autoritate confirmant, quippe qui non modo ipſi Ariſtophanem in delitiis habuere, nec unquam fere e manu depoſuerunt, ſed & omnibus Græcam linguam diſcere cupientibus hunc veluti perfectiſſimum illius magiſtrum aſſidua verſandum manu commendarunt. Hujus igitur tam elegantis tamque venuſti Poetæ undecim Comœdias, quæ ex LIV pluribusve fabulis ſola feſtiviſſimi ingenii monimenta ſuperſunt, a doctiſſimo Kuſtero pro inſigni illa facultate, qua Suidam & Jamblichum ab eodem jam illuſtratos habemus, pulcerrime expolitas, ac longe ſplendidiſſimo ornatu indutas hac nova editione exhiberi, Muſis certe Græcis magnopere gratulamur. Equidem nec laude ſua defraudandæ ſunt, quæ hanc præceſſerunt, Ariſtophanis editiones, inprimis *Veneta* novem Comœdiarum, eademque omnium prima, quæ Aldi Manutii typis A. 1498 prodiit una cum

ſcholiis Græcis antiquis ex recenſione Marci Muſuri Græco textui ſubjunctis; *Florentina*, ad primæ illius exemplum ab hæredibus Philippi Juntæ A. 1525 perquam nitide excuſa, novisque ſcholiis ab Arſenio aucta; *Baſileenſis* undecim Comœdiarum, quæ iisdem ſcholiis & inſigni rerum in illis explicatarum indice ornata, ſtudio Sigiſmundi Gelenii & typis Hier. Frobenii A. 1547 vulgata eſt; tum vero maxime omnium, quæ adhuc prodiere, locupletiſſima pariter atque præſtantiſſima editio *Genevenſis* Græco Latina, quam Æmilius Portus A. 1607 procuravit. At enimvero licet pro illorum temporum, quibus ſingulæ lucem primum aſpexerunt, ratione ſatis bonæ exiſtimandæ ſint editiones modo memoratæ, non tamen, uti videri volunt, Ariſtophanem αὐτόπαλον exhibent, nec illum cultum atque nitorem referunt, qui dignus ſit ea, qua nunc fruimur, litterarum luce; ut adeo Cl. Kuſterus laudabili prorſus inſtituto Principem quondam Atticæ ſcenæ recentare, ac novo magisque convenienti ornatu illuſtriorem dare fuerit aggreſſus.

Ut igitur novæ hujus editionis rationem breviter exponamus, in *textu Græco* Ariſtophanis *recenſendo* Vir clariſſimus inprimis exemplari Aldino, haud paucis in locis veram germanamque lectionem, in poſterioribus Editionibus depravatam, ſuppeditante, tum & Florentina ceterisque editionibus antiquis uſus eſt; prætereaque Collationes Codd. MSS. Vaticanorum, Arundelliani, Bodlejani & Voſſiani beneficio ſummorum Virorum obtinuit, quibus inſtructus quamplurima loca partim vitio librariorum corrupta emendavit, partim mutila & hiantia ſupplevit integritatique ſuæ reddidit; ut ex notis, in quibus omnium harum aliarumque emendationum ratio uberius declaratur, luculenter patet. Quemadmodum autem ad Ariſtophanem rite explicandum magnum omnino adjumentum præbent *Scholia Græca*, quibus tam pervetuſti iidemque clariſſimi nominis Grammatici, *Apollonius*, *Didymus*, *Symmachus*, *Ariſtarchus*, ceterique, qui in ipſis Scholiis memorantur, quam recentiores, *Thomas Magiſter*, *Jo. Tzetzes* aliique forte illius ætatis Græculi ejusdem Comœdias explanarunt, quæque omnia ad Aldi Manutii preces ex variis codd. MSS. collegit & deſcripſit, tum etiam hinc & inde inter-

interpolavit *Marcus Muſurus* Cretenſis: ita optimo certe conſilio hi præſtantiſſimi, veramque & priſcam illam eruditionem ſapientes commentarii in hac nova editione ipſi ſtatim textui Græco ſubjecti ſunt, ſcholiisq; in novem priores Comœdias, ex Aldina editione expreſſis, ea, quæ in *Lyſiſtratam* adhuc inedita præbuere Codices, Voſſianus & Baroccianus, acceſſerunt. Quin etiam, ne quidquam ſcilicet omiſſum videretur, quod in prioribus editionibus extaret, Scholiis Græcis antiquis *recentiora* ſubjunxit Cl. Kuſterus, hincque adeo non modo quæ ab editionis Florentinæ curatore, *Arſenio*, hinc inde ad Muſurianam editionem ex Suida, Euſtathio aliisque vulgatis ſcriptoribus adjecta fuere, addidit, certisque ſignis a Muſurianis diſtinxit, verum etiam, quæ duo Galli, *Od. Biſetus* & *Æg. Bourdinus*, ille quidem in omnes Comœdias Ariſtophanis, hic autem in ſolas *Theſmophoriazuſas* conſcripſere ſcholia Græca, licet illa ex Suida itidem atque Euſtathio potiſſimum conſarcinata ſint, hæc vero nil niſi tritum & vulgare contineant, ex editione Genevenſi huc transferenda curavit.

Jam vero textui Græco, ſcholiis Græcis hoc modo ſtipato, e regione adjuncta eſt *verſio Latina*, quæ, quod ad priores quinque Comœdias, itemque tres alias, *Veſpas* nimirum, *Pacem* & *Lyſiſtratam* attinet, metrice conſcripta autores habet *Nic. Friſchlinum* & *Q. S. Florentem Chriſtianum*, atque ſic eadem eſt ac illa, quæ in editione Porti laudata exhibetur. Neque tamen ineptam illam *Divi Juſtinopolitani*, reliquis tribus fabulis a Porto additam, metaphraſin Latinam dignam judicavit Cl. Kuſterus, cui in hac editione ſua locum concederet, ideoque ejus loco *Eccleſiazuſarum* elegantem verſionem, a *Tanaquillo Fabro* jam ante ſeparatim editam, *Aviumque* novam interpretationem, Celeberrimi Amſtelodamenſium Profeſſoris, *Tib. Hemſterhuiſii*, opera concinnatam in eam recepit, ac denique *Theſmophoriazuſas* ipſe Latine convertit. Et ſane optandum fuiſſet, ut priorum quoque octo Comœdiarum novam verſionem Latinam confectam dare Cl. Editori per temporis anguſtiam licuiſſet, cum earundem metaphraſis poetica, licet ſatis docta ſit, eoque nomine omnino commendanda, obſcuritate tamen, communi omnium verſionum metricarum vitio, laboret, notamque paſſim mereatur.

Digitized by Google

Reſtat, ut de *Notis* doctorum Virorum in Ariſtophanis Comœdias *Latinis*, uno ſeparatoque volumine excuſis, exquiſitiorem paulo diſſerendi rationem inſtituamus, quo major illarum eſt præſtantia, majorque inde Kuſterianæ Editioni ſplendor accedere videtur. Neque vero hoc loco eas annotationes, quas vel editio Genevenſis etiam complectitur, vel quæ antea ſeorſim prodiere, (*Caroli* nimirum *Girardi* in *Plutum*; *Florentis Chriſtiani in Veſpas*, *Pacem & Lyſiſtratam*; & *Tanaq. Fabri* in *Eccleſiazuſas*) ediſſerere animus eſt; ac de Notis, quas ὁ πάνυ *Iſaacus Caſaubonus* in *Equites* ἀνεκδότȣς reliquit, quæque ex avtographo Bibliothecæ Regiæ Pariſienſis deſcriptæ nunc primum eduntur, cum Editore id unice monemus, non æque elaboratas illas eſſe ac alia, quæ habemus, eruditiſſimi illius Viri opera, plurima tamen in illis occurrere ex interioribus literis depromta, ſubtiliterque & ingenioſe excogitata, neque Autoris ſui nomine indigna. Duorum autem ſummorum Virorum, quos Orbis eruditus hodie inprimis colit & admiratur, Illuſtriſſ. *Ezechielis Spanhemii* & *Richardi Bentleji*, quæ huic editioni acceſſerunt, in priores Ariſtophanis Comœdias Obſervationes; itemque Notas, quibus ipſe Cl. Kuſterus omnes fabulas, duabus tantum, *Veſpis* & *Pace*, exceptis, illuſtravit, ita delineare nobis conſtitutum eſt, ut Lectori, quantum illis tribuendum ſit, quodammodo conſtare queat.

Quod igitur ad has, nempe doctiſſimi Editoris, Notas attinet, in illis Ariſtophanes, ejuſdemque interpretes Græci, inſigni exquiſitarum rerum apparatu, nec minus grata brevitate explanantur. Ac primo quidem, ut earum rationem diſtincte exponamus, cum textus atque ſcholia in nova hac editione ſubinde fuerint emaculata, *emendationes* illæ in Notis exhibentur, &, quibus præſidiis mendæ ſublatæ fuerint, ſimul declaratur. Sic verbi cauſa quando in *Pluto v.* 242 legitur:

Ἣν δ' ὡς παραπλῆγ' ἄνθρωπον εἰσελθὼν τύχω,

pro εἰς παραπλῆγ', ut priores editiones habent, autoritate MSS. Vaticani, Urbinatis & Arundelliani, ὡς repoſitum fuiſſe monetur, ratioque emendandi hæc additur, quod Græci nunquam dicere ſoleant εἰσελθεῖν εἰς ἄνθρωπόν τινα, pro *domum alicujus ingredi*, ſed vel εἰς ἀνθρώπȣ τινὸς, ſc. οἶκον, vel πρὸς (ſeu, quod Attice idem eſt, ὡς) ἄνθρωπόν τινα. Quodſi tamen nobis

bis quid de hac emendatione videatur, candide dicendum eſt, lectionem vulgatam tolerandam fuiſſe exiſtimamus, idque ex v. 237 proxime præcedente colligimus, ubi eadem loquendi ratione, & quidem conſentientibus omnibus editionibus pariter atque MSS. dicitur:

Ἦν μὲν γὰρ ᾽ΕΙϹ Φειδωλὸν εἰσελθὼν τύχω.

Quem ipſum vero locum Vir doctiſſimus, non alio certe nomine, quam quod obſervationi ſuæ de phraſi *εἰσελθεῖν εἰς ἄνθρωπόν τινα* tanquam minus Græca repugnaret, ſolicitat, hincque adeo legendum putat *εἰς Φειδωλοῦ* ſc. *οἶκον*. Sed enimvero recte ſeſe habet phraſis illa, quam Lyſias & Divus Lucas autoritate ſua Græcam eſſe confirmant. Sic enim Orator ille Atticus, in *Oratione pro Ariſtophanis bonis XVIII p.* 303 dicit: *εἰσελθὼν εἰς τὸν πατέρα τὸν ἐμόν· Cumque patrem meum domi adiiſſet.* Lucas autem, qui altera quoque illa phraſi *εἰσελθεῖν πρὸς ἄνθρωπόν τινα* frequenter, ut *Evang. I,28, Act. X,3, XI,3, XVII,3, XXVIII,8* utitur, in eadem *Hiſtoria Apoſt. XVI,40* de Paulo & Sila Philippis ex carcere liberatis ait: *εἰσῆλθον εἰς τὴν Λυδίαν, domum Lydiæ* (nimirum *πορφυροπώλιδος* illius antea converſæ) *ingreſſi ſunt.* Sed hæc obiter. Ac illæ quidem correctiones, quæ in ipſum textum receptæ hic enarrantur, omnes vel meliorum Codicum fide nituntur, vel adeo planæ ſunt, ut de earum veritate amplius dubitari haud queat. Quoniam vero quamplurima paſſim in Ariſtophane loca Cl. Kuſtero ſeſe obtulerunt librariorum vitio corrupta, ac inprimis metro luxato laborantes verſus haud pauci, ubi hæc præſidia ipſum deſtituerunt, textum quidem absque Codd. autoritate mutare religioni ſibi duxit, at in Notis idem magna ingenii ſolertia illorum mendas eluere, hisque puritatem ac metrum reſtituere aggreſſus eſt. Id vero qua felicitate quove ſucceſſu factum fuerit, vel ex unico exemplo intelligere juvat. In *Theſmophoriazuſis* v. 853. Mneſilochus introducitur, qui poſtquam Euripidem diu fruſtra præſtolatus fuiſſet, ita loqui incipit: *᾽Ιλλὸς γεγένημαι προσδοκῶν*, i. e. *Expectando ſtrabus* ſeu *cæcus factus ſum.* Locum hunc, quem omnes Editiones (nam Codices MSS. ad hanc Comœdiam Editori defuerunt) ſic repræſentant, commodo ſenſu deſtitui, adeoque

corruptum eſſe, quivis facile intelligit. Veram igitur priſtinamque ejus lectionem Vir doctiſſimus hanc fuiſſe putat: ἄυος γεγένημαι προσδοκῶν, i.e. *expectandi tædio pene enectus ſum;* ſimulque vocem ἄυος, a Lexicographis nondum enucleatam, explicat & huic loco egregie convenire oſtendit. Etenim ἄυος proprie quidem ſignificat *aridus;* ſed metaphorice ad plura alia transfertur. Sic *Lucianus* hominem bonis exhauſtum, & qui omnia ſua in meretrices effuderat, eleganter ἄυον i.e. *exſuccum* vocat, itemque illi, qui ſubito ſtupore vel metu pene exanimantur & exſangues fiunt, ab elegantiſſimo *Heliodoro* hoc vocabulo denotari ſolent. Pari modo de iis, qui diu aliquem expectaverant, vocem illam adhibuiſſe Græcos, clare teſtatur Scholiaſtes Ariſtoph. ad *Ran. v. 196*, ubi ait: Οἱ πολὺν χρόνον περιμείναντές τινας, εἰώθασι λέγειν· ΑΥΟC γέγονα ΠΕΡΙΜΕΝΩΝ. *Qui longo tempore aliquos expectarunt, dicere ſolent, expectando AYOC factus ſum.* Hinc igitur, quam pulcra emendatione vox ἄυος loco huic Ariſtophanis reſtituta fuerit, luculenter patet, videturque ipſa hæc ῥῆσις Ariſtophanica, ἄυος γέγονα προσδοκῶν, deinde in numerum proverbiorum Græcorum poſſe referri. Quamvis autem Vir doctiſſimus hac ratione Comico noſtro ejusdemque Scholiaſtæ haud paucis in locis nitorem puritatemque reddiderit; alicubi tamen, præcipue in ſcholiis, mendas tantum indicaſſe contentus, acutioribus ſanandas illas reliquit.

Verum miſſis jam emendationibus ad alia, quæ in Notis Kuſterianis egregia ſunt atque præclara, pergamus. Quippe ῥήσεις & loquendi rationes Ariſtophanicæ, quæ apud Atticos peculiarem & in Lexicis vulgatis haud facile obviam ſignificationem ſuſtinent, vel Comice confictæ, aut ſingulari modo ex ingenio Ariſtophanis explicandæ ſunt, magno in iisdem ſtudio evolvuntur, erroresque tam veterum quam recentiorum interpretum ea occaſione ſubinde caſtigantur. Sic verbi cauſa ad *Plut. v. 488* notatur, elegantiſſimam illam Atticorum phraſin, ἐνδιδόναι τινὶ μαλακόν τι, i.e. *molle quid & remiſſum alicui præbere*, cujus vim atque ſenſum haud expreſſit Friſchlinus, nec ullus Lexicographorum explanavit, Latine ſignificare, *cedere alicui;* ſimulq;

qua

qua ratione Græci τὸ ἐνδιδόναι vel ἐνδοῦναι, *præbere*, ſæpiſſime dicant pro *cedere*, (ut ἐνδοῦναι τῇ ἡδονῇ, vel, πρὸς ἡδονήν, *voluptati cedere*, vel *ſuccumbere*) nempe ut καθ᾽ ἔλλειψιν ſubintelligant μαλακόν τι, ex hoc aliisque locis, in quibus locutio integra occurrit, egregie declaratur. In *Nub. v. 416* τὰ ἀνόητα de amore libidinoſo nimioque Veneris appetitu dici, autoritate Etymologici M. Suidæ, veteriſque Scholiaſtæ, qui per τὰ ἀφροδίσια vocem hanc l. c. exponunt, confirmatur. Inter alia autem loca, in quibus eadem vocis ſignificatio occurrit, inprimis memoratur locus, qui eſt apud Philoſtratum in *Vita Apollon. l. VI c. 27*, ubi de Satyro, qui ante libidinoſiſſimus fuerat, dicitur: Πέπαυται γὰρ τῶν ἀνοήτων, i. e. *Deſiit enim amori libidinoſo indulgere.* Ita præclara ſunt, quæ de differentia vocum affinis ſignificationis, ὀρχεῖσθαι, σκιρτᾶν, χορεύειν, quas Ariſtophanes in *Pluto v. 761* conjunxit, vulgo ignota in medium afferuntur, itemque ea, quæ de verbis mutuæ notionis, πάσχειν & πράττειν, ad *Plut. v. 485* & *Nub. v. 234.* ac inprimis de vocabulis φθείρεσθαι, φθορὰ & συμφθείρεσθαι ad *Plut. Schol. v. 530* Cl. Kuſterus fuſius differit, ut multa alia nunc taceamus, quæ quidem omnia apud eruditos facile deſiderium excitabunt operis illius, quo idem ille Vir doctiſſimus, quantum Lexicis vulgatis deſit, accuratius aliquando ſe oſtenſurum pollicetur.

Præter illas peculiares vocum phraſiumque Atticarum ſignificationes, ulterius quoque in gratiam φιλαττικῶν, σχήματα, conſtructiones concinniores, elegans & minime vulgaris particularum uſus, & quæ ſunt aliæ veteris Atticiſmi elegantiæ, quibus Ariſtophanes & ſolus ferme ſcatet, in his Notis diligenter annotantur. Inter σχήματα illa uti primum facile locum tenet, Atticisque frequentiſſima eſt ἐναλλαγή, ita haud pauca ejus exempla paſſim hic indicari illuſtrarique videas, ubi ſcil. Nominativus ponitur pro Genitivo, ut *Plut. v. 277*; Accuſativus pro Nominativo, ut *Plut. v. 55* πυθοίμεθ᾽ ἂν τὸν χρησμὸν, ὅτι νοεῖ pro πυθοίμεθ᾽ ἂν, ὁ χρησμὸς ἡμῶν ὅ τι νοεῖ, &c. Præſens pro Futuro, ut *ib. v. 70* ἄπειμι pro ἀπελεύσομαι; ut alias ejusmodi non modo caſuum atque temporum, ſed & graduum, numerorum, modorum &c. permutationes, quæ ad purioris Atticiſmi

ciſmi indolem revocantur, nunc taceamus. Pari modo circa reliqua quoque σχήματα atque conſtructiones Atticas, quæ apud Ariſtophanem occurrunt, verſatus eſt Cl. Kuſterus; præ ceteris autem Ellipſeos accuratam cognitionem ad interiora Græcarum literarum pertinere ratus, hoc σχῆμα, orationis brevitati non minus quam elegantiæ egregie inſerviens, eamque ob cauſam in Ariſtophanis fabulis ubivis fere obvium, diligenter expoſuit, nec modo locutiones defectivas notavit, verum etiam, ex ipſo Ariſtophane aliisque ſcriptoribus Atticis, Græcis itidem Grammaticis ſæpiſſime in conſilium adhibitis, voces omiſſas ſupplendo, ad integram & juſtam ſtructuram illas referre conatus eſt. Ita in principio periodi *Plut. v. 326* paſſimque alibi ante ὅπως ſubintelligendum eſſe ὁρᾶτε vel φροντίζετε, ex *Equit.* v.685; itemque in medio orationis *Plut.* v. 468 poſt ἐὰν μὲν, ubi ἀπόδοσις deeſt, futurum παύσομαι vel ἡσυχάσω ſubaudiendum relinqui, ex Euſtathio obſervat. Ex particulis, quorum ſingularis & elegans uſus explicatur, eſt vox εἶτα, quæ in *Plut.* v.79 & apud alios interdum ſcriptores Atticos inſervit interrogationibus, quæ cum admiratione vel indignatione conjunctæ ſunt, & commode reddi poteſt per *itane vero*; quo modo etiam in Epiſtola ad Hebræos XII, 1 τὸ εἶτα exponi debere, jam olim docuit H. Stephanus in Diſſ. de ſtylo N. T. Græco.

Jam vero quod ad leges, ritus atque mores Athenienſium attinet, qui in Ariſtophanis Comœdiis ubivis tanguntur, & ſine quorum cognitione Comicus rite intelligi haud poteſt, hi quoque paſſim in Notis a Kuſtero illuſtrantur, & luculentius paulo, quam in ſcholiis Græcis vel ab alio quoquam adhuc factum fuit, explicantur, ut vel ex iis intelligere licet, quæ de pallore & ἀνυποδησία Philoſophorum ad *Nub.* v. 103, de coma eorundem prolixa ad *Nub.* v. 120, ac de feſto Steniorum, quod nec Meurſius in Græcia Fer. nec alius quiſquam recentiorum memoravit, ex Photii Lexico MS. ad *Theſmophoriazuſ.* v. 481 relata leguntur.

Ante vero, quam commemorationi huic finem imponamus, de ratione eorum, quæ ex Græcorum monimentis recentiorumque Criticorum ſcriptis deſumta Vir doctiſſimus Notis ſuis addidit, pauca quædam adhuc dicenda ſunt. Quandoquidem enim,

Digitized by Google

enim, quod ad ſcriptores Græcos attinet, eorum plurimi, ac inprimis Grammatici atque Lexicographi, nominatim *Pollux*, *Harpocratio*, *Heſychius*, *Suidas*, *Photius*, *Autor Etymologici M. Euſtathius* reliquiq; Poetarum enarratores, *Phrynichus* item & *Thomas Magiſter*, ad hunc veluti optimum Atticæ elegantiæ magiſtrum & luculentum antiquitatis interpretem reſpicientes, frequenter adeo Ariſtophanem citarunt, expoſuere, vel etiam, quod de Suida conſtat, ſcholia antiqua deſcripſerunt; tum vero Lucianus ceterique Atticiſtæ Comicorum venuſtiſſimum ſæpe multumque imitati ſunt: operæ pretium facturum ſe exiſtimavit Cl. Kuſterus, ſi, quæcunque demum Ariſtophanis loca hac ratione in Græcorum libris vel allegata vel illuſtrata inveniſſet, in Notis indicaret.

Recentiorum autem Criticorum Græcaque eruditione longe clariſſimorum Virorum ſcripta, inprimis quæ *Paulum Leopardum*, *Iſ. Caſaubonum*, *Jo. Meurſium*, *Sam. Petitum*, *Jo. Frid. Gronovium*, *Æg. Menagium*, *Ez. Spanhemium*, *Rich. Bentlejum*, ac illud Muſarum delicium, *Annam Fabri*, ut ceteros taceam, autores habent, & in quibus Ariſtophanes paſſim vel emendatur, vel ex antiquitate elegantiſſime explicatur, cum inde ab initio perlegere inſtituiſſet, ex illis emendationes, conjecturas, tum & meliores verborum ac rerum, quæ in hiſce fabulis occurrunt, expoſitiones excerpſit, & cum integris *Jac. Palmerii* in Ariſtophanem Exercitationibus in Notas ſuas congeſſit. Ubi tamen diſſimulandum haud eſt, loca quædam Kuſterum intacta reliquiſſe, quæ mendoſa Viri docti haud infeliciter correxerunt, vel obſcura luculenter explanarunt, ut adeo illorum ſcripta, quod in ejusmodi laboribus facile uſu venire ſolet, haud evolviſſe videatur. Id quod vel ex tribus locis cognoſcere juvabit. In *Eccleſiazuſis*, in qua fabula emendanda & interpretanda Tanaquillus Faber alias quidem egregiam operam præſtitit, mulier quædam, viri perſonam ſuſcipiens, accepta corona, verba facere aggreditur, mox autem, quod μὰ τὼ θεὼ, i. e. *per Caſtorem & Pollucem*, vel, uti Kuſterus rectius omnino vertit, *per Cererem & Proſerpinam* juraſſet, a Praxagora interpellatur, ut quæ muliebri jura-

mento adhibito viri perſonam bene effingere non noverit. Hæc igitur mulier (v. 163) ad Praxagoram, coronam auferentem:

Φέρε, inquit, τὸν στέφανον· ἐγὼ γὰρ αὖ λέξω πάλιν.

i. e. *Cedo coronam; nam rurſus dicam.* Quæ quidem verba etſi nulla emendatione opus habere videantur, nec Ariſtophani aliisque ſcriptoribus Atticis infrequens ſit, αὖ & πάλιν, quæ revera idem ſunt, conjungere; melioris tamen ſenſus cauſa Vir doctiſſimus, *Gilbertus Cuperus*, *Obſervationum L. II c. 13 p. 232* legendum cenſet: ἐγὼ γὰρ οὐ λέξω πάλιν; ut nimirum mulier reprehenſa a Praxagora, quod μὰ τὼ θεὼ juraſſet, ideoque ſilere juſſa, ſe illud non amplius dicturam, polliceri, & id quaſi pro ratione ad reddendam ſibi coronam allegare videatur. Eodem ſcilicet modo, quo mox v. 192 altera mulier, reprehenſa quod per Venerem juraſſet, reſpondet: Ἀλλ' οὐκ αὖ εἴπω. In eadem fabula, ubi vetula & juvencula convitiis ſe laceſſunt, hæc ait v. 906:

Αἶ, αἶ, τί ποτε πείσομαι; οὐχ' ἥκει μοι τ' οὖρος.

Eruditiſſimus ille Faber hic hærere ſe fatetur, aliosque de hoc loco diſpicere jubet, quem quidem laudatus Cuperus l. c. minima emendatione ita reſtituit:

Αἶ, αἶ τί ποτε πείσομαι οὖν; ἥκει μοι δ' οὖρος.

Nempe præ timore, quod ſola relicta eſſet, puella ita loquitur; eaque loquendi formula, illis temporibus uſitata, vulgo noſtro hodienum ſolemnis eſt. Sic quoque infra v. 1051 & ſeqq. adoleſcens præ timore id ſe facturum dicit, quod faciunt apud Phædrum canes, qui ad Jovem miſſi erant legati. Elegans denique eſt & arguta in *Lyſiſtrata* ſententia, qua notatur differentia vetulæ virginis & ſenis proci. v. 595, 596, 597:

Ὁ μὲν γὰρ ἥκων, κἂν ᾖ πολιός, ταχὺ παῖδα κόρην γεγάμηκεν.
Τῆς δὲ γυναικὸς μικρὸς ὁ καιρός. κἂν τούτου μὴ 'πιλάβηται,
Οὐδεὶς ἐθέλει γῆμαι ταύτην· ὀττευομένη δὲ κάθηται.

ubi ultima verba interpres vertit: *ſed amat ſedem & vaticinatur.* Verum ὁ πάνυ Salmaſius in epiſtola quadam ad Sarravium, quæ eſt inter Sarravianas CLXXXVII (p. 192 edit. Ultraject.) de hoc loco conſultus inter alia docet, ὀττεύεσθαι non eſſe

vati-

Digitized by Google

vaticinari, ſed *vates conſulere, auguriis & ominibus attendere*, & quod Græci dicunt κληδονίζεσθαι. Quippe hoc vetulæ virgines facere ſolebant, ut hariolos & ſortilegos conſulerent de nuptiis ſuis; quando nimirum nupturæ eſſent, quales maritos habituræ? *auguria* etiam de his rebus *captarent*, uti Vir ſummus l. c. oſtendit; cui Græcus Scholiaſtes, ex Cod. Voſſiano nunc primum editus, plane conſentit. Καὶ ταῦτα μὲν δὴ ταῦτα.

Quippe inſtituti noſtri ratio poſtulat, ut ad Notas, quas Vir ſummus, & tam ſplendido Regii Legati munere, quod inde a multis annis maxima omnium cum admiratione ſuſtinet, quam ſtupenda & incredibili omnis generis doctrina Illuſtriſſimus, *Ezechiel Spanhemius*, in tres priores Ariſtophanis Comœdias conſcripſit, nunc quidem commemorandas deveniamus. Ac in Epiſtola quidem, quam ad Cl. Kuſterum exaravit, quæque ipſis hiſce Obſervationibus præmittitur, uti ſuſceptæ ab illo novæ hujus Ariſtophanis editionis conſilium vehementer probat, ita graviores aliquot cauſas recenſet, quæ ſolicitum ſe aliquamdiu tenuerint, num & ipſe rogatus eam in rem ſymbolam ſuam conferret. In his nominari divini illius operis *de Præſtantia Veterum Nummorum* conſummandi ſtudium, quippe cujus altero Volumini edendo, quicquid multo potiores curæ relinquant temporis ſubſecivi, ſe impendere inſtituiſſe Perilluſtris Legatus teſtatur, tanquam rem, quæ communi Orbis eruditi voto unice deſideratur, hic obiter læto nuncio ſignificamus. Interim vero τύχῃ ἀγαθῇ accidit, ut Vir incomparabilis ad Ariſtophanem a ſe olim adnotata excerpere dilucidiusque explanare in animum induceret, licet pluribus de cauſis ad tres priores tantum Comici fabulas Notas ſuas concinnandi inſtituto ſibi acquieſcendum judicaverit, quas ipſas ſubitaria quadam opera contextas fuiſſe monet. Quo magis ſtupendum Viri ingenium miramur, qui Obſervationes tam copioſas, tantoque rerum exquiſitarum apparatu refertas, tam brevi tempore, & quidem in tanta negotiorum arduorum varietate & multitudine, conſcribere potuerit. Quanta enim quæſo eruditionis luce loca Comici obſcura & perplexa, vel quæ attentionem aliquam expoſcere videbantur, perfundit; quam copioſe mores atque ritus Græcorum explicat;

quo denique ſtudio Atticos lepores Grajamque elegantiam ex omni ſcriptorum genere declarare ac patefacere conatur. Ex his quædam excerpturi, illa potiſſimum loca ſeligemus, quæ dum Illuſtriſſimus Spanhemius exponit, ſacrum ſimul codicem elegantiſſime illuſtrat, ut, quantum hæc ſtudia ad diviniores illas literas ornamenti afferant, inde Lectori innoteſcat. In *Ranis* v. 457 ſeqq. memorabilis omnino locus eſt, qui de Initiatorum poſt hanc vitam ac in inferis, juxta Græcorum ſcita, felicitate agit:

Μόνοις γὰρ ἡμῖν Ἥλιος
Καὶ φέγγος ἱλαρόν ἐστιν,
Ὅσοι μεμυήμεθ', εὐ-
σεβῆ τε διήγομεν
Τρόπον, περί τε ξένους,
Καὶ τοὺς ἰδιώτας.

Nos ſoli, inquit Initiatorum in inferis chorus, *clariſſima multoque jucundiſſima Solis luce perpetuo hic fruimur, quicunque initiati pie ſeu benigne & juſte cum civibus exterisque viximus.* Hanc igitur Græcorum opinionem Vir illuſtriſſimus non modo ex Ariſtophane, tum etiam ex Sophocle, Platone aliisque Græcorum monimentis uberius explicat, ſed & eandem conſentaneam eſſe docet veterum Prophetarum & ipſi dein Chriſti Servatoris Theologiæ, juxta quam de beatis poſt hanc vitam dicitur ab *Eſaia LX, 30: Non occidet ultra Sol tuus, quia erit tibi Dominus Deus in lucem ſempiternam:* & *Matth. XIII, 43: Tunc juſti fulgebunt, ſicut Sol in regno Patris eorum.* Deinde, quod ad vocem εὐσεβὴς attinet, *miſericordem* illa h. l. denotari obſervat, quo ſenſu bis apud Æſchylum *Suppl. v. 423* & *v. 644* uſurpatur, atque huc refert illud, quod potiori utique jure a Servatore dictum *Matth. V, 7: Beati miſericordes, quoniam ipſi miſericordiam conſequentur.* Denique ἰδιῶται & ξένοι quinam ſint, & qua ratione ſibi invicem opponantur, oſtendit. De more veterum Athenienſium, quo unguenta pretioſa, purpureæque & variegatæ veſtes in nuptiis ac ſolemni ſponſarum domum deductarum pompa adhibebantur, quemque Ariſtophanes in *Pluto v. 529, 530* clare indicat, ex hiſtoria ſacra pariter atque profana fuſius diſſerit, ut ritum hunc apud gentes pleraſque omnes quondam

Digitized by Google

dam receptum fuiſſe, ac inde Chriſti ſponſæ, unguentis delibutæ, ejusdemque veſtium fragrantem odorem a ſponſo commendari, *Cantici Cantic. I,2 & IV, 10* demonſtraret. Inprimis autem ad hunc morem reſpexiſſe videtur Propheta *Ezechiel XVI., 9, 10,* ubi de Eccleſia Iſraelitarum, velut dilecta ſponſa ſua a ſe exornata, loquens inter alia dicit: Καὶ ἔχρισά σε ἐν ἐλαίῳ, καὶ ἐνέδυσά σε ποικίλα, *& unxi te oleo, ac indui te variegata veſte.* De juramento *per cœlum ac terram* Gentilibus olim ſolemni ad *Plut.* v. 129 obſervatis addit, id ipſum Judæis etiam familiare a ſummo Legislatore damnatum *Matth. V, 23;* ac inde etiam ab ejus diſcipulo Jacobo ſpeciatim Chriſtianis vetitum fuiſſe in Ep. V, 12. Neque vero minus egregie Vir illuſtriſſimus dictionis Ariſtophanicæ, cujus alias vim atque rationem ex optimis ſcriptoribus Græcæque linguæ magiſtris, (quos inter eſt Eumœris in libello de dictionibus Atticis adhuc inedito) diligentiſſime declarare ſolet, in Novo Fœdere uſum quandoque etiam exponit. Sic verbum ἀσπάζομαι, quo Ariſtophanes in *Pluto* v. 323 tanquam meliori ſalutatione, quam quæ cum voce χαίρειν fieri conſueverat, utitur, ſalutem quandam magis intimam & benevolam notaſſe, quam vulgatum illud χαίρειν, ex uſu veterum ſcriptorum confirmat, ut inde ſalutationis illius Apoſtolicæ, ἀσπάζομαι, ἀσπάσασθε, toties a D. Paulo, vel ultimo ad Romanos capite, repetitæ, ac a Divis quoque Petro ac Johanne adhibitæ, emphaſis intelligatur. In *Ranis* v. 465 dicitur γεῦσαι τῆς θύρας, i.e. *pulſa januam;* ubi ad exempla a Cl. Kuſtero jam adducta verbi hujus γεῦσαι pro *experiri, tentare*, addi poſſe monet illud Matthæi XVI, 28 γεύσωνται θανάτου; unde etiam Heſychius: γεύσει, ἀποπειράσει.

Illuſtre eſt *Richardi Bentleji* nomen, ob incomparabile judicium, & ſagacitatem, qua Vir ſupra captum ſæculi ſui doctus in veris Autorum ſive Græcorum ſive Latinorum ſenſibus indagandis pollet, prorſus eximiam. De Notis igitur ſeu Emendationibus in Ariſtophanis *Plutum* atque *Nubes*, ab eodem & quidem ex tempore ſcriptis, atque cum Cl. Kuſtero communicatis, quid aliud dicamus, quam eas tam inclyto Autore dignos eſſe, in iisque plurima Comici loca incredibili quadam εὐστοχίᾳ feliciſſime emaculari.

Digitized by Google

Inter ceteras autem Viri eruditiſſimi emendationes, teſte ipſo Cl. Editore in peculiari Nota, quam in fine addidit, maxime inſignis eſt ea, quam ſuggeſſit in locum hunc *Pluti*, jam inde a multis ſæculis in mendo cubantem, & ab ipſis Græcis Magiſtris fruſtra tentatum, v. 1012 Νιτάριον ἂν καὶ βάτιον ὑπεκορίζετο: ubi nempe ingenioſe admodum & acute reponendum eſſe monet, Νηττάριον ἂν καὶ φάττιον ὑπεκορίζετο. i.e. *Anaticulam & palumbulam me blande vocabat.* Anaticulas autem atque palumbulas, vel, quod idem eſt, columbulas inter ὑποκορίσματα ſeu blanditias amantium vel primum locum obtinere ex notiſſimo Plauti loco, *Aſinar. III, 3 Dic igitur me anaticulam, columbulam* &c. probat, cui Cl. Kuſterus in Nota illa opportune addit locum Apuleji Metamorphoſ. L. X p. 249: *Teneo te meum palumbulum.* Ceterum uti Vir illuſtris ſuarum in ceteras quoque Ariſtophanis fabulas emendationum ſpecimina quædam tam in eruditiſſimis ad Callimachi fragmenta Notis, quam in Epiſtola ad Jo. Millium, Malalæ Chronico annexa, & Diſſertatione de Epiſtolis Phalaridis, in qua inprimis locus in Veſpis v. 1472, 1481 egregie reſtituitur, obiter dedit, ita optamus fieri, ut iisdem in integrum Ariſtophanem οἱ Φιλαριστοφανεῖς aliquando frui queant.

Quod denique ad commendationem novæ hujus Editionis vel maxime pertinere videtur, non ſolum Prolegomena tam veterum quam recentiorum de Comœdia Græca ac ipſo Ariſtophane, ſingulisque fabulis argumenta & ex *Sam. Petiti* lib. I Miſcellaneorum quædam de tempore atque ſucceſſu dramatum præmittuntur, verum etiam IV in fine accedunt præſtantiſſimi Indices, ſingulari induſtria ab ipſo Editore concinnati, I *Vocum & phraſium Græcarum* in textum Ariſtophanis, qui Lexici Ariſtophanici titulo jure inſigniri poſſe videtur; II *Rerum* in Scholiaſtas veteres; III *Vocum* & *Gloſſarum*, quæ a Scholiaſtis obiter exponuntur; IV *Autorum* in ſcholiis veteribus laudatorum. Ipſum vero Notarum volumen neceſſariis indicibus deſtitui, omnino dolendum eſt. Et hæc quidem de ratione pariter atque præſtantia Kuſterianæ Ariſtophanis editionis dicta ſufficere arbitramur; quæ cum ob ſumtus in eam factos majoris ſit pretii, quam

Digitized by Google

quam ut ab omnibus Græcarum literarum ſtudioſis parari queat, Fritſchius noſter, ut intra breve tempus Ariſtophanes in forma minori, abſque Scholiis quidem Græcis, ſed nova octo priorum Comœdiarum interpretatione Latina, itemque Notis brevioribus & ad textum rite intelligendum inprimis accomodatis, opera & labore Græce doctiſſimi *Stephani Bergleri*, Tranſylvani, exornatus publicum Orbis eruditi theatrum ſubeat, pro laudabili ſuo in hiſce literis promovendis ſtudio curabit.

MENANDRI ET PHILEMONIS RELIQUIÆ, quotquot reperiri potuerunt; Græce & Latine, cum Notis HUGONIS GROTII & JOANNIS CLERICI.

Amſtelodami, apud Thomam Lombrail, 1709, 8.
Alph. 1 plag. 3½.

VEteris Græcorum Comœdiæ Principi en opportune ſuccedunt novæ Comœdiæ duo celeberrimi Poetæ, *Menander* atque *Philemon*, quippe quorum non integras quidem fabulas, ut quæ una cum ceterorum Comicorum, præter Ariſtophanem, omnium dramatis triſti fato perierunt, ſed reliquias tantum eodem fere tempore ac in eadem urbe Vir doctiſſimus, Joannes Clericus, novo ornatu conſpicuas in ſcenam produxit. Quamvis enim veterum Comicorum ſententias colligendi laborem jam olim ſuſceperint *Guil. Morellius*, *Jacobus Hertelius* & *Henricus Stephanus*; tum vero inprimis Vir incomparabilis omnique laude major, *Hugo Grotius*, Dramaticorum Græcorum Excerpta, ſumma cum diligentia induſtriaque ex priſcis monimentis conquiſita, nec minori felicitate locis innumeris reſtituta, parique elegantia Latio donata dederit: nondum tamen omni ex parte huic inſtituto ſatisfactum fuiſſe dudum eruditiſſimi Viri animadverterunt, quod & plurima prætermiſſa, nec pauca mendoſa relicta, ac præcipue ſcriptorum nomina & loca haud adjecta fuerint, unde ſingula fragmenta, tanquam e naufragio tabulæ ereptæ, collecta ſunt. Equidem & *Theodorus Canterus* magno ſtudio eorundem reliquias in unum congeſſiſſe fertur; & illud literatæ

teratæ Britanniæ decus, ſupra a nobis laudatus *Bentlejus*, jam pridem fragmenta omnium Poetarum Græcorum cum emendationibus & notis grande opus edere in animum induxit; ſed uti illius collectioni, qua ipſe Grotius uſus eſt, tam felici eſſe non licuit, ut lucem adſpiceret, ita eruditiſſimus Bentlejus mutato vitæ inſtituto priſtinum conſilium ſe abjeciſſe jamdudum in Epiſtola ad *Millium* Orbi erudito declaravit; quod eo gravius dolent harum literarum amantes, quo magis hic unus ei rei idoneus ab omnibus exiſtimatur. Quare nunc demum e reliquis præſtantiſſimorum Duumvirorum, Menandri atque Philemonis, fragmenta meliori ordine diſpoſita, tum & integriora haud parum atque ornatiora Cl. Clerici opera exhibentur; quod ut eo melius intelligatur, de nova hac editione pro inſtituti noſtri ratione pauca dicemus.

Primum igitur Vir doctiſſimus ex *Grotii* Excerptis atque *Stobæo* omnia eorum fragmenta huc transtulit, & ſingula in Comœdias ſuas, ſecundum ordinem literarum diſpoſitas, digeſſit; alia, quæ unde depromta eſſent haud conſtabat, ad finem rejecit. Hanc vero collectionem, jam ante factam, nova plurimorum fragmentorum undiquaque conquiſitorum acceſſione auxit; nec quidquam, quod ullo modo ad Comicos illos pertinere videbatur, ſibi prætermittendum ratus, etiam vocularum rationem habuit, easdemque vel ſuo loco, vel ſeorſim in Indice Græco collocavit. Has inter inprimis commemoratione dignas judicat voces & loca, a *Photio* in MS. Lexico, quod, quamvis mutilum paſſim & mancum, Oxonii extat, prolata, ac inde quondam a Cl. Collega noſtro deſcripta & cum Cl. Editore communicata. Inſignis maxime doctiſſimi Viri opera fuit in veterum ſcriptorum nominibus atque locis, e quibus ſingula fragmenta petita ſunt, quæque Grotius haud indicavit, adjiciendis; qua in re *Joannis Meurſii* Bibliotheca Attica magnum ipſi adjumentum præbuit. In textu Græco conſtituendo plerumque autoritatem *Grotii*, nempe in iis quæ ille habet, ſecutus eſt, quandoque tamen ab illo diſceſſit, alienasque aut ſuas conjecturas prætulit, ejusque rei rationem in Notis breviter explicavit. Quandoquidem autem Virum clariſſimum in textu ubivis emaculando & ad metri leges ſæpiſſime violatas revocando neceſſaria codicum MSS.

præ-

præſidia deſtituerunt, hinc factum eſt, ut quamplurima loca, quæ absque illorum ope ſanari poſſe haud videbantur, qualia ex-extabant, hoc eſt, hiulca atque mendoſa proferre fuerit coactus. Textui novam interpretationem proſa oratione a ſe adornatam addidit; tum vero eidem præter Notas Grotianas, quibus lectiones mutatæ potiſſimum declarantur, ſuas quoque ſubjecit, in quibus non ſolum textus recens emendati rationem reddit, verum etiam res atque locutiones præcipuas breviter exponit, ac inprimis occaſionem, ob quam fragmenta hæc a ſcriptoribus laudata invenit, diligenter indicat. Cum enim ab initio ſententias Comicorum, veluti totius Antiquitatis conſenſu, collectis undequaque ſimiliter dictis illuſtrare conſtituiſſet, poſtea hoc conſilium optime, uti quidem nobis videtur, mutavit, ac ea tantum, quæ fragmentis hiſce recte intelligendis neceſſaria exiſtimavit, in Notas ſuas congeſſit. Præter teſtimonia aliquot veterum ſcriptorum, icones quoque Menandri atque Philemonis, ex *Fulvio Urſino* & *Leone Auguſtino* expreſſæ, eorundem reliquiis præmittuntur; editionemque hanc claudunt duo præſtantiſſimi Indices, rerum unus, alter vocum atque locutionum Græcarum, quibus illæ etiam acceſſerunt, quæ absque nomine Comœdiæ apud Veteres, & in Photii Lexico MS. commemorantur, & in ipſa Collectione non exhibentur. Ceterum tantum abeſt, ut Clariſſimus Clericus hanc collectionem ſuam tanquam perfectam ac omnibus numeris abſolutam haberi velit, ut potius ad eam augendam, emendandam atque ornandam illos adhortetur, quicunque vel eximium quiddam invenerint, quod hic omiſſum ſit, vel emendarint felicius, quam adhuc factum eſt; quo nomine id uti ſecum communicent, eosdem ſimul obteſtatur.

Poſſemus quidem & ipſi nonnulla eam in rem hic addere, qui collectionem ſententiarum Menandri alphabeticam, ex Bibliothecæ Gudianæ Codice MS. deſcriptam, in qua pleraque monoſticha, quæ apud Grotium ſine nomine extant, ad Menandrum autorem referuntur, tum & alia quædam in hac editione neglecta habemus, nec pauca in Notis animadvertimus, quæ corrigenda videntur. Sic v. c. ubi ex Euſtathii Commentariis in Homerum p. 269.

merum p. LXVI, 32 locum Menandri Clericus profert: Εἰ μὲν δή τινα πόρον ἔχεις, εἰ δὲ μὴ νενόηκ' ἐγώ. recte quidem hæc verba, ut loquendi generis elliptici exemplum, Euſtathium adduxiſſe monet, ſed male poſt ἔχεις verbum λέγε ſubaudiri addit. Hic namque diſertis verbis in loco Homerico, ubi poſt εἰ μὲν, cui in poſteriori membro reſpondet εἰ δὲ, ἀπόδοσις omittitur, deeſſe dicit τὸ ἐφησυχάσω vel παύσομαι vel ſimile quid. Λείπει γὰρ, inquit, τὸ ἐφησυχάσω κ. τ. λ. Inter varia autem exempla, quibus uſum ellipſeos iſtius probat, tandem etiam Sophoclis locum affert: Εἰ μέν τις ὢν ἕξεισιν· εἰ δὲ μὴ, ΛΕΓΕ. Ut adeo Clericus ex his verbis, minus accurate expenſis, illud λέγε, quod apud Menandrum ſubaudiri notavit, deſumſiſſe videatur. Verum ea, quæ diximus, & forte multo plura, quæ librum hunc data opera perlecturi obſervabimus, alio tempore, aliaque occaſione cum Cl. Viro communicare nobis conſtitutum eſt.

OSSERVAZIONI DI FRANCESCO DE FIcoroni ſopra l' antichità di Roma, &c.

hoc eſt:

FRANCISCI FICORONI OBSERVATIONES ad Antiquitates Romanas, quas in Diario Italico, A. 1702 edito, deſcripſit D. BERNARDUS DE MONTFAUCON. In fine multa adjiciuntur ſingularia ſub ruina antiquitatis nuper detecta.

Romæ, ex typographia Antonii Roſſi, 1709, 4.

Plag. 9, cum fig. æneis inſertis.

Amicorum rogatu has obſervationes egregias edidit doctiſſimus Autor. In illis obſcure nonnunquam Montfauconio dicta paucis illuſtrat, & ubi in monimentorum veteris Romæ deſcriptionibus haud accuratum ſatis cautumq; ſe præbuit Cl. Scriptor Diarii Italici, aut ubi ſtatuas aliis, quam quos re vera exhibent iſtæ, adſcripſit, aut in certis capitibus antiquitatis, adſignandaque monimentorum ætate, inſcriptionum item & decurtatarum in iis literarum expoſitionibus, aut quocunque alio modo erravit, mode-

Digitized by Google

modeſte non minus ac ſolide monſtrat. Sic cum Montfauconius p. 21.
dicit, *initio ſexti ſaeculi non ſolere annos Chriſti, ſive incarnationis* 6.
annotari, hoc refutat Noſter ex MSto quodam Arabico, in cujus fine annus CCC poſt aſcenſionem Chriſti numeratur. Pag. 21 ſq. affert Montfauconius inſcriptionem ſepulcralem & inſignia Pagani Petræ Sanctæ, eamque variis argumentis ſuſpectam reddere conatur; at Ficoronius, refutatis primum ipſius rationibus, ipſum exhibet accurate æri inſculptum hoc monimentum, ex quo appa-
ret, nimium ab ectypo Montfauconium receſſiſſe, & inſignia quæ 8.
putat Pagani, altare tantum eſſe duarum columnarum ad modum tabernaculi, in cujus interioribus forma panis divini. Autor Diarii ſingularis raritatis judicavit *plumbo impreſſum ſigillum,* 71.
M. Aurelii ex una, & L. Veri vultum ex altera parte exhibens. Sed ejusmodi plumbea antiquitatis lipſana non adeo rara judicat No-
ſter, referens, quadringentos ſe adſervare parvos ex plumbo nu- 11.
mos cum Deorum, Heroum & Impp. capitibus, nec non animalibus ſymbolisq; refertos, qui haud dubie in celebratione feſtorum, ſpectaculorum, & in congiariis uſurpati fuerunt. Pag. 3 Montfauconius hanc inſcriptionem producit: AÑIA L. INGRATIVS HOMINE NVLLVM EST. & priores quinque literas per *Annia Liberta* interpretatur. Male, ex Ficoronii ſententia. Inſcri-
ptio enim iſta, recentioris omnino ætatis, ita ſe habet integra: 16.
Animal ingratius homine nullum eſt. Simili modo & aliæ Montfauconio commemoratæ inſcriptiones a Noſtro emendantur paſſim ac inſuper integræ repræſentantur. Affirmat Montfauconius: 152.
cinerarias urnas plerumq; non plus uno pede latas profundasq; eſſe. 32.
Contrarium probat Cl. Ficoronius, diverſas illarum magnitudines atque menſuras ex Montfauconio ipſo oſtendens. Idem pag. 173 arcum triumphalem Septimii Severi dicit a Caracalla ex aliorum ædificiorum ſpoliis maximam partem erectum. Utrumque fal-
ſum eſſe perhibet Noſter, quoniam inſcriptio hujus arcus S. P. Q. 39.
Rnum autores ejus diſerte nominat, eoque tempore minime defuerunt ſcalptores atque marmora. Montfauconius p. 223 vocem *Deana* a Græco *δέανα* i.e. *Deam* derivat, ibidemq; templum exhibet delineatum Veneris Salluſtiæ. Sic enim Venerem vocat, ex Montfauconii ſententia, hæc ſtatuæ ipſius ſubjecta inſcriptio: VE-

NERI FELICI SACRUM SALLUSTIA HELPIDUS DD. Sed
50. recte obſervat Cl. Ficoronius, quod *Deana* hic, ut in quamplu-
ribus aliis vetuſtatis reliquiis pro *Diana* occurrat, *Salluſtia* vero
non cognomen Dianæ ſit, ſed ipſa illa, quæ ſtatua dedicaverat Ve-
neri Felici, matrona. Ad inſcriptionem SEMONI, non SIMONI,
ut Montf. p. 268, SANCO DEO FIDIO annotat Noſter, quod
54. Herculem ita vocaverint Sabini, numique ipſius cum literis D.S.S.
Deo Semoni Sanco, & binis hiſce aliis TI. *Titurię* aut alteri fami-
liæ, ex Sabinis ortæ, poſſint adſcribi. Denique Montfauconius p. 451
inſignem urnam ſepulcralem dedit delineatam, eamque Philippus
a Turre in Epiſtola ad eundem poſt ſæculum Conſtantinianum
adornatam putat, ductus tam togis trabeisque transverſis, quibus
induti ipſi videntur duumviri urnæ appicti, quam figuris aliis in
operculo conſpicuis, lapſam, ut putat, ſculptoriam artem indican-
tibus. Nihilominus clariſſimus tamen Ficoronius majori, quam
57. Montfauconius, ἀκριβείᾳ denuo egregium hoc monimentum
æri curavit inſculpi, oſtenditque optimi illud eſſe ſæculi; cumque
58. in ejus deſcriptione hinc inde erraverit doctiſſimus Turrius, eum
emendat, & novam haud inelegantem figurarum operculi inter-
pretationem annectit, atque nonnullas inſuper lectu jucundas
60. obſervationes inſpergit. Telam vero incombuſtibilem in eadem
urna repertam hodie hinc adeo raram difficilemque inventu cen-
ſet Cl. Autor, quod barbaræ & auri cupidiſſimæ gentes ex ſepul-
cris olim protraxerint eam diſperſerintque. Hac etiam occa-
61. ſione Noſter refutat illos, qui putant, cadaverum combuſtionem
ſolummodo ad Antoninos usque duraſſe. Nam oſſa combuſta,
unaq; cum iis aureus numus Alexandri Severi, in urna marmorea
A. 1692 reperta, & averſus Valerianus Jun. rogum exhibens, ſa-
tis evincunt, quod etiam poſt Antoninorum tempora & ſequiori
etiam ætate Imperii mos iſte floruerit.

OEUVRES D' HORACE EN LATIN ET en Francois.

i. e.

HORATII OPERA, LATINE ET GALLICE

ex-

Digitized by Google

expreſſa, cum Animadverſionibus Criticis & Hiſtoricis; Autore ANDREA DACERIO, Bibliothecario Regio. Editio tertia reviſa, correcta & magnam partem ab Autore aucta.

Tomi X.

Pariſiis, apud J. B. Chriſtophorum Ballard, 1709, 12.
Alph. 10.

ETſi elegantiſſimi hujus operis, cum primum A. 1691 Pariſiis prodiiſſet, recenſum in Actis anni ſequentis p. 88 ſq. dedimus, tot tamen acceſſionibus nova hæc Editio gaudet, ut eam nequaquam prætermittere valeamus. Nam ut de his nihil dicamus, quæ in ſingulis paginis magno ſtudio ab Autore Cl. vel emendata vel aucta comparent, novas certe Diſſertationes doctiſſimas tum ipſi operi, de origine, progreſſu & charactere Poeſeos Lyricæ, tum ſpeciatim Satyris Horatianis, de Satyræ origine & conſtitutione, præmiſſas obſervamus, e quibus pauca decerpere lubet.

Poeſin Lyricam antiquiſſimam eſſe cenſet, Deorum quip- Tom. I.
pe & heroum laudibus (unde Tragœdia poſtea orta) deinde Præf.
& hominum vitiis perſtringendis (unde Comœdiæ origo) ad- p. 5.
hibitam. Et hymnos quidem magno ſemper in pretio fuiſſe, 7.
quibus Dii celebrabantur, at Satyram minus cultam & levioribus
ingeniis relictam fuiſſe docet. Sic ipſos quoque Hebræos in hy-
mnis & canticis eminuiſſe, quo refert ingenioſiſſimum canticum 9.
Moſis Exod. XXVII, quo Dei laudes poſt Pharaonem ſubmer-
ſum decantavit: neque enim poeſin Hebræam numero pedum
aut menſura, ſed ſola fere dictionis ſublimitate a proſa oratione
exiſtimat fuiſſe diſtinctam, & Platonem Tom. II p. 656, ubi Æ-
gyptios teſtatur ad præceptum legiſlatoris ſui, divini hominis, 14.
Poeſin & Muſicam rebus tantum divinis adhibuiſſe, Hebræos
diu in Ægypto commorantes, atque adeo ipſum Moſen indigitaſ-
ſe, non dubitat. Apud Græcos quidem circa Olymp. XXVII 17.
Alcmane potiſſimum Autore Lyricum carmen eminuit, quem
paulo poſt Steſichorus, Sappho, Alcæus, Simonides, Ibycus, Ana- 21.

creon, Pindarus & Bacchilides juſto ordine excepere, plerique pro Græcorum illorum ingenio voluptatibus potius, quam Deorum cultui ſtudentes; quo tempore Jambicum quoque carmen a Lyrico diſtinctum cultores ſuos habuit triumviros Quintiliano L. X Cap. 1 celebratos, Archilochum, Simonidem & Hipponactem. Cum vero antehac Odæ minus interruptæ eſſent, Pindarus pri-
33. mus dithyrambicorum & tragœdiarum ſcriptores imitatus eas in ſtrophen, antiſtrophen & epodum diſtinxit. Sed & mox Græ-
36 ci Lyrica faſtidire cœpere, maxime cum dramata invaluere, quæ Lyrici carminis reliquias quasdam in choro, quem dicunt, con-
37. ſervabant, unde factum, ut triginta Olympiadum ſpatio ultra centum Poetæ dramatici floruerint. Apud Romanos, ut de hymnis Saliorum, inconditisque carminibus, quibus olim heroum facta in epulis celebrabant, nihil dicamus, poſt ſeptingentos
48. fere annos primus & ſolus Lyricam poeſin Anacreontis & ſimi-
44. lium imitatione extulit Horatius: Catullum enim Jambicis potius quam Lyricis accenſendum, Noſter exiſtimat. Quodque poſt Horatium nemo fere hoc carminis genus apud Romanos ag-
54. greſſus ſit, difficultati carminis adſcribit. Gallos ante Ronſardum, qui A. 1524 natus, ipſum Odæ nomen ignoraſſe putat, quem tamen longe ſuperavit Malherba, qui ſi fuiſſet Philoſophia paulo melius excultus, & non minus ſuſtinere carminis majeſtatem quam extollere ſciviſſet, propius ad Horatii ac Pindari genium acceſſiſſet. Hinc ad Horatium redit Dacerius & adductis plurimis exemplis oſtendit, eum vix explicari a quoquam poſſe, qui non & Poeta, & Philoſophus, & Criticus ſit, veteresque Autores, Oratores imprimis & Poetas, aſſidua manu volutaverit. Qua occaſi-
88. one, chorum utique hodie quoque ad Tragœdiam requiri, contra Joannem Dryden, Anglum, tuetur, palamq; profitetur, Anglos, in Phyſicis, Medicis, Geometria ſatis felices, ea quidem, quæ ad Tragœdiam requirantur, minus perſpicere, verſumque addit:

Nam ſpirans tragicum nimis, infeliciter audet.

Hinc obſervationes de carmine Lyrico peringenioſas affert, ac poſtremo neminem docet recte in Poeſi ſapere, qui non veterum Poetarum Græcorum & Latinorum, qui ipſam naturam feliciſſime imitati ſunt, veſtigiis accurate inſiſtat, eosque ſalſe ridet, qui ſe

Digitized by Google

ſe proprii tantum ingenii felicitate veterum Poetarum gloriam
ſuperaturos, abſurde ſperant.

Deſcendimus ad alteram Præfationem, quam Tomo VI Sa- T. VI.
tyris Horatii nunc primum præfixit Cl. Autor. Satyræ nomen, Præf.
Caſaubonum ſecutus, cujus *de Satyrica Græcorum Poeſi & Ro-* p. 2.
manorum Satira librum magnopere commendat, a *ſaturo* de- 3.
ducit, quod & plenum & e variis rebus compoſitum notat, unde
Lanx ſatura, hoc eſt, plena, *Leges ſaturæ*, quæ varia capita & 5.
titulos continebant, ut Fulia, Papia, Popæa, quæ & *Miſcella* dicta,
hiſtoriæ ſaturæ, ſeu *per ſaturam* ſcriptæ, quales Peſcennius Fe- 6.
ſtus conſignavit. Cumque adeo Ennius, Lucilius, Horatius va-
rietati ſtuderent, eorum poemata *Satiræ* nomen accepiſſe procli-
ve eſt. Docet vero Noſter, jam dudum ante poematum quod-
dam genus ſatiras dici ſueviſſe; id quod Caſaubonus minus ob-
ſervavit. Nam cum Romani per quadringentos annos ſpecta- 7.
culorum expertes fuiſſent, orta ſunt forte inter illos Saturnina
& Feſcennina carmina, liberrima ac plena facetiis parum urbanis,
quibus tamen mox moderatius ludendi & pungendi genus ſuc-
ceſſit: quo ſpectat utique locus T. Livii Libro VII: *Vernaculis*
artificibus, quia Hiſter Tuſco verbo Ludio vocabatur, nomen Hi- 8.
ſtrionibus inditum, qui non ſicut ante Feſcennino verſu ſimilem,
compoſitum temere ac rudem, alternis jaciebant; ſed impletas
modis ſatiras, deſcripto jam ad tibicinem cantu, motuque con-
gruenti peragebant. Hinc cum Livius Andronicus dramata 9.
primus Romanis repræſentaret, neglecta eſt aliquandiu Satira,
mox tamen ad finem Comœdiarum ſub nomine *Exodiorum* ad- 10.
jecta. At Ennius Satiram a Comœdia rurſus ſeparavit, quem 14.
ſecutus Lucilius tanta elegantia Satiras compoſuit, ut primus in 15.
eo carmine Horatio & Quintiliano dicatur. Sed alteram quoque
illo fere tempore Satiræ ſpeciem, quam *Varronianam* ſeu *Me-* 19.
nippeam vocant, a Terentio Varrone, qui Menippum Cynicum
Philoſophum imitatus eſt, apud Romanos introductam, eamque
partim proſa oratione, partim verſu compoſitam fuiſſe, probat. Cu-
jus generis ſunt Senecæ Liber de morte Claudii, Boetius de conſola- 21.
tione Philoſophica, & Petronii Satyricon. Tranſit denique Noſter
ad Horatianas Satiras, eaſque Sileni ſtatuis comparat, quæ eminus

con-

conſpectæ nihil habebant ornamenti, ſed, cum propius accederes, pulcerrimæ deprehendebantur; neque adeo de vocibus tantum explicandis ſollicitum ſe fuiſſe teſtatur, quod eſt Grammatici officium, ſed ipſas potius res, quas deſcribit Poeta, penitius conſideraſſe, quod neminem ante ipſum præſtitiſſe, facile largimur.

NOUVEAU DICTIONNAIRE FRANCOIS, &c.

i. e.

NOVUM DICTIONARIUM GALLICUM, continens generatim verba omnia, obſoleta non minus, quam quæ hodie in uſu ſunt, una cum Obſervationibus ad linguam Gallicam; Autore PETRO RICHELET. Editio nova, Latinis Gallicisque vocibus, phraſibus item proverbialibus & exemplis plurimis aucta.

Tomi II.

Amſtelodami, apud Joannem Elzevir, 1709, fol. Alph. 6.

Digniſſimum nactus eſt ſucceſſorem Richeletus, quicunque is fuerit, qui ejus Dictionarium tanta cura revidit & inſigni adeo acceſſione auxit, editione hac noviſſima, non Amſtelodami quidem, ut titulus præfert, verum Lugduni potius in Gallia, ut accepimus, procurata. Præterquam enim quod accurate hic, quæ limam poſcerent, emendata ſunt, nihil fere in lingua Gallica intactum Noſter prætermiſit, imprimisque locutionum proverbialium, quarum nulla in prioribus editionibus mentio, rationem diligenter habuit, & ex Interpretibus, Oratoribus, Poetis Gallorum præſtantiſſimis exempla longe plurima adduxit. Præterea de horum ſcriptorum vita & ſcriptis, Gallico imprimis idiomate conſignatis, ut conſtaret Lectori, breviter nonnulla in præmiſſo operi ſyllabo expoſuit, e quibus nobis quoque hac occaſione quædam memorare placet. De *Nicolao Perrot d'Ablan-*

Digitized by Google

d'Ablancourt teſtatur, quod abjuraverit vigeſimo ætatis anno Proteſtantium ſacra, ad quæ tamen quinto poſt anno redierit, merito ob liberiores verſiones *audax* (hardy) cognominatus. *Academia Francica* decretum, quod A. 1637 de edendo Dictionario tulerat, A. 1694 demum exſecuta eſt. In eadem ut eloquentiæ pretium *Balſacius*, ita Poeſi *Clermontius de Tonnerre*, Epiſcopus Noviodunenſis, conſtituiſſe dicitur. *Antonius Arnaldus*, celeberrimus Pontificiorum promachus, die 6 Febr. A. 1612 natus, purpuram ſæpius oblatam continuo detrectavit, & annos fere 83 natus deceſſit die 8 Aug. A. 1694. *Dominicus Bouhours*, poſt editos nonnullos elegantes libellos, Novi Teſtamenti verſione juſtam Simonis cenſuram meruiſſe dicitur, defunctus Pariſiis die 27 Maji A. 1702. *Ludovicus Bourdaloue*, e S. J. natus die 20 Aug. 1632, & mortuus die 13 Maji A. 1704, præſtantiſſimus orator Eccleſiaſticus ab aula Gallicana exiſtimatus eſt, cujus conciones Bretonneu, ex eadem Soc. ſex Tomis edidit. Inter αὐτοδιδάκτους referendus *Bourſault*, qui etſi nunquam ſtudiis operam dederit, edidit tamen quædam haud vulgaria, in quibus ejus Æſopus eſt in pretio. *Guilielmus Colletet*, qui & edidit nonnulla, & molitus eſt Hiſtoriam Poetarum Gallorum, quam non abſolvit, ſecundis nuptiis ancillam ſuam, toties antea in ipſius poëmatibus ſub nomine *Claudine* celebratam, uxorem duxit; natus vero A. 1596 obiit die 19 Febr. A. 1659. *Carolus Cotinus*, e Sociis Academiæ Francicæ, deridendum ſe propinavit, editis Epiſtolis & Poematibus, neque minus Boileo paſſim ridetur, quam Molerio, qui eum in *Fœminis eruditis* ſub *Triſſotini* nomine traducit: deceſſit A. 1682. *Elias Dupinius*, qui anno ætatis trigeſimo Bibliothecam Eccleſiaſticam edere cœpit, quam feliciter deduxit ad finem, nunc in eo eſſe perhibetur, ut *de libertatibus Eccleſiæ Gallicanæ* juſtum opus componat. *Petrus du Ryer*, Hiſtoriographus Regius inter ſcriptores mercenarios refertur, ex quo factum Noſter putat, ut verſiones ejus ultimam limam haud expertæ fuerint. *Carolus San-Evremontius*, anno ætatis 16 militiam ingreſſus, non minus fortitudinis, quam ingenii ſpecimina multa dedit; at cum liberiorem de pace Pyrenæa Epiſtolam ad Crequium dediſſet, e Regno faceſſere juſſus, A. 1665 in Angliam conceſſit, ubi anno demum 1705

Digitized by Google

vivere deſiit. Abbatem *Barrin* autorem perhiberi verſionis Gallicæ Heroidum & Elegiarum Ovidii, in qua multa laſciviuſcula, Noſter teſtatur, quamvis ipſe Barrinus conſtanter id diffiteatur. Abbatem *Faydit* in eo eſſe nuntiat, ut cenſuram in opera *Jo. Clerici* edat, Socinianisque eum favere doceat. *Andreas Felibien*, qui multum amatus Colberto & Eruditis omnibus, natus A. 1619 & mortuus A. 1659, ſucceſſorem habuit in ſtudio literarum, quas ipſe coluit, filium ſecundo genitum, qui & ipſe Hiſtoriographi Regii Cuſtodisque Antiquitatum munus indeptus eſt. & Academiæ Inſcriptionum adſcriptus. *Claudium Fleury* adhuc tredecim Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ Tomos in 4 edidiſſe, & in eo totum eſſe, ut ad hæc usque tempora deducatur, ex Noſtro pariter diſcimus. *Joannes de la Fontaine*, qui immortalem famam Fabulis ſibi peperit, A. 1695, annos natus 76, pauper admodum fertur deceſſiſſe. Inſignem inter Poetas famam, parvis licet poematibus, conſecuti ſunt *Germanus* & *Philippus Habert*, fratres, quorum ille, qui & Abbas *de Ceriſis* vocari ſolet, *oculorum Phillidis in Aſtra Metamorphoſi* nobilis obiit A. 1656, hic vero, qui *Templum Mortis* elegantiſſimo poemate condidit, poſt abſolutum ſtudiorum curſum arma ſectatus & pyrotechnicæ præfectus in obſidione arcis Emerenſis, quæ inter Montes & Vallencenas interjacet, ſub mœnium ruina A. 1637 ſepultus eſt. *Bernardus Lamy*, Presbyter Oratorii, qui ab altero, Benedictino, probe diſtinguendus, proxime editurus creditur, quam dudum promiſit, *deſcriptionem Templi Hieroſolymitani.* Inter præcocis ingenii viros connumerandus *Paulus Fontanier Peliſſon*, qui natus A. 1624, anno ætatis decimo tertio in Cadurcenſi Academia ad primos honoris gradus admotus, anno decimo ſeptimo Paraphraſin Inſtitutionum Juſtiniani & biennio poſt Hiſtoriam Academiæ Francicæ edidit. In eam deinde Academiam receptus, Panegyricum in modernum Regem recitavit, qui in Hiſpanicam, Italicam, Anglicam, imo & Arabicam linguam translatus eſt. Juſſus & ejusdem Regis res geſtas deſcribere, ſed ſubito die 7 Jan. A. 1693 rebus mortalibus ereptus, cum pridem Reformatorum ſacra deſeruiſſet. Commendatur & P. *Poiſſon*, Presbyter Oratorii, qui juvenis Carteſium ſectatus, de methodo Philoſophiæ, de

Mu-

Digitized by Google

Muſica & Mechanica pulcre commentatus eſt, nec parùm ad Carteſii vitam, ab Adriano Bailleto editam, contulit, ſed magis ex eo Theologicis intentus, A. 1706 ſummas Conciliorum, duobus Voll. in fol. cum Notis ad canones difficiliores eruditiſſimis vulgavit. Itinerarium celebris Botanici *Tourneſortii*, quem Pariſiis A. 1708 ab equis currum trahentibus forte in via raptatum periiſſe accepimus, mox prodituꝛum, Noſter aſſerit. De *Claudio Fabro de Vaugelas* refertur, quod a Cardinali Richelio ipſi, ut Dictionario Academiæ Gallicanæ concinnando operam daret, conceſſa fuerit annua penſio mille librarum, unde cum gratiæ referendæ cauſa deinde conveniſſet Richelium, ita ſtatim hic eum compellaſſe dicitur: *non omittes ad minimum in Dictionario tuo penſionis vocabulum*, ad quæ ille: *nequaquam, multo minus vero gratitudinis*, reſpondit: pauperrimus tamen & alieno ære pene oppreſſus obiit A. 1649. De fœminis ſcriptis & poematibus illuſtribus, Deshulleria, de la Sabliere, de la Suze, de Ville Dieu, & virginibus, Scuderia, Carteſia, l'Heritier, Bonamy aliisque nihil addimus. Ceterum fallitur Noſter, ubi de *Samuele Baſnagio*, Miniſtro Eccleſiæ Gallicæ Zutphanienſis, agens, autorem eum credit Diarii Gallici *Hiſtoire des Ouvrages des Savans*, quod merito commendat; autorem enim ejus eſſe Henricum Baſnagium, cognomento *de Beauval*, Jacobi, qui Roterodami claret, Germanum, vel ex Bælio diſcere poterat, qui accurate in *Dict. Crit.* de Baſnagiorum familia egit.

ESSAIS DE TRADUCTION, OU REMARques ſur les Traductions Françoiſes du N. Teſtament.

h. e.

TENTAMEN VERSIONIS, SIVE OBSERvationes ad verſiones Gallicas N. T.

Pariſiis, apud Petrum Witte, 1709, 12 ch. aug.

Conſtat 6 plag.

Quamvis hactenus variæ N. T. verſiones Gallicæ lucem publicam adſpexerint, nihilominus plurima loca, quæ ſpon-

Digitized by Google

giam merentur, ſupereſſe, Viri docti monuerunt. Hos inter Anonymus noſter numerandus eſt, qui viginti tria N. T. loca nova & accuratiori interpretatione digna judicavit. Optime enim monuit, multas in verſione Vulgata occurrere voces & phraſes, ex idiotiſmo Hebrææ linguæ retentas, ſed ab interpretibus minus recte intellectas, & in alium ſenſum tractas, vulgarem Latinorum ſignificationem attendentibus. Hoc evidenter apparere exiſtimat ex Matthæi I, 1, ubi verba Vulgatæ: *Liber generationis Jeſu Chriſti*, Galli vertunt: *Genealogie de Jeſus Chriſt*, quam verſionem neque argumento libri, neque locis parallelis V. T. reſpondere dicit. Non argumento libri, quia Matthæus non tantum Genealogiam, ſed & reliqua ejus geſta deſcribere ſuſcepit. Neque locis parallelis V. T. quia Gen. VI, 9 *Generatio Noachi*, non tam ejus Genealogiam, quam potius hiſtoriam totius vitæ ejus ſignificat, quo etiam ſenſu Gen. XXXVII eadem vox legitur. Eandem ſignificationem, Judæis notam, Salvatorem Luc. XVI, 8 reſpexiſſe putat, dicentem: *Filii hujus mundi prudentiores ſunt in generationibus ſuis, quam filii lucis.* Hic enim generationes non de Genealogiis, ſed potius de geſtis filiorum Seculi accipiendæ ſunt, ut mens Salvatoris ſit: Filios mundi in geſtis & negotiis ſuis prudentiores eſſe filiis lucis. Hunc ſecutus eſt Paulus Act. XIII, 36, *Davidem in generatione ſua*, i. e. actionibus ſuis, *Deo ſerviſſe*, dicens. Deinde Obſervat. III ægre fert, quod Interpretes Galli Matth. I, 18, 19, 20 vocem vulgatæ *deſponſata*, verterint, *epouſée*; nam Deut. XXI, 7 *filia deſponſata* eſt filia ſponſo promiſſa, non vero in domum introducta. Conf. Deut. XXII, 23. Obſervatione IV in loco Matth. III, 15 *conveniens eſt nobis complere omnem juſtitiam*, obſervat vocem *omnis* Hebræis ſuperlativum, remque omni modo perfectam ſignificare, adeoque ſenſum eſſe, quod perfectiſſimus actus virtutis jam exercendus ſit. Obſervatione V explicat Matth. V, 19 vocem *κεραία* de litera י quæ literæ א apponitur, quia י non tantum literam, ſed & apicem literæ א conſtituit. Sed alii *κεραία* de corollis, quæ literis quondam impoſitæ ſunt, intelligere malunt. Hinc in ſequenti verſu 20 *præcepta minima* ipſi ſunt præcepta negativa, quibus לא *non* proponitur, ubi in litera א *κεραία*
ſive

Digitized by Google

ſive י minima litera conſpicitur. Salvatorem enim myſteria Judæorum ſub literis latentia cognoviſſe, ex Marc. XII, 28 evincere conatur. Interrogatus enim a Judaico Doctore, quodnam eſſet maximum præceptum? reſpondit: *Audi Iſrael, Dominus Deus noſter Dominus unus eſt*, Deut. VI, 4, ubi in prima voce in codice Hebræo majuſculum ע & in ultima majuſculum ד apparet, quibus Judæi maximum præceptum indicarunt. E contrario præcepta, quibus לא eſt præpoſitum, erunt minima, quia in litera א apex י minima litera ſcripta eſt. Chriſti itaque verbis: *neque jota, neque apex præteribit*, hunc ſenſum tribuit: neque ullum minimorum præceptorum præteribit; quæ ſententia tamen variis dubiis involuta eſt, & aliorum diſcuſſioni merito relinquitur. Denique verba v. 19 *minimus vocabitur in regno cœlorum*, ipſi ſignificat: peribit in æternum. Nam Eccleſiaſt. XXXII, 28 legitur, *qui confidit in Deo, non minorabitur* h. e. non peribit. Porro Obſervatione VI *panem ſuperſubſtantialem* Matth. VI, 11 ex Prov. XXX, 7 & 8 interpretatur, de victu aliisque rebus ad vitæ conſervationem neceſſariis. Ultimam petitionem: *& ne nos inducas in tentationem, ſed libera nos a malo*, explicat de tentationibus carnis, cum homo inhiat divitiis, ſenſumque ex adducto Proverb loco, & 1 ad Timoth. VI, 9 illuſtrat. Nec incommode Matth. VI, 34 *αὔριον craſtinum* cum Hebræis de futuro tempore interpretatur, ſenſu ex Gen. XXX, 33 deſumto. Obſervatione nona verba Matth. VIII, 17 *ille invalitudines noſtras accepit, & morbos portavit*, confert cum Joh. I, 29 *ecce agnus Dei, qui portat peccata mundi*, quia vox נשא Hebræis eſt peccata remittere, uti ex 1 Reg. XV, 25 & Pſ. CII, 2, 3 apparet. Obſervatione decima docet, quod numerus *ſeptenarius* Hebræis numerus indefinitus ſit, & tam quinque, vel ſex, quam decem, duodecim, imo legionem Marc. V, 9 denotare poſſit. Hinc Matthæi XII, 45 *ſeptem alii ſpiritus* ipſi ſignificant plurimos alios ſpiritus. Fundamenti loco ponit 1 Reg. II, 4, 5, ubi mater *ſeptem* filiorum, Hieronymo mater plurimorum filiorum eſt, quia Hanna ſex tantum liberos peperit. Eodem ſenſu Davidem *ſepties* in die Deum laudaſſe, juſtumque *ſepties* cadere, exiſtimat. Nec inepte Obſervatione XIII verba Salvatoris a Matthæo cap.

Digitized by Google

XVI, 28 adducta, de transfiguratione, capite ſequenti deſcripta, expoſuit, ut ſenſus ſit: adſtare quosdam, qui mortem non ſint guſtaturi, antequam filium hominis in gloria ſua apparentem viderint. Uti enim e Joh. IV, 2 *Chriſtum veniſſe in carne*, eſt, Chriſtum apparuiſſe in carne, & verum hominem eſſe natum, ſic h. l. *venire in regno* eſt apparere & eſſe in regno: quod convenit cum phraſi Marci IX, 1 *regnum Dei veniſſe cum potentia*, h. e. regnum Dei in ſua Majeſtate & gloria adeſſe. Ex his B. L. facile intelliget, plures ejusmodi explicationes ingenuis interpretibus gratas futuras, ſi Cl. Autor pari judicio & modeſtia grandius volumen in lucem edere conſtituiſſet.

B. D. POLYCARPI LYSERI P. QUONDAM Prot-Eccleſiaſtæ in aula Electorali Saxonica &c. Prælectiones Academicæ in Prophetas minores, e MS. erutæ opera & ſtudio Pronepotis, POLYCARPI LYSERI, S. Theol. D. Electori Brunsv. Luneb. a conſiliis Eccleſ. Capituli Wunſtorp. Præſulis & Eccleſiarum Ducatus Calenberg. Superint. Generalis, qui & de ſuo Commentationes in Haggæum addidit ac ſupplevit.

Lipſiæ & Goslariæ, ſumptibus Jo. Chriſtophori König / 1709, 4. Alph. 10.

NOvum pietatis officium perſolvit Proavo ſuo, Theologo poſt fata quoque meritis ac fama celeberrimo, eccleſiarum Ducatus Calenbergici Præſul ſumme Reverendus, editis ipſius in Prophetas minores commentariis, quæ, perinde uti cetera virorum veræ doctrinæ & pietatis laude inſignium ſcripta, merito ſuo *Sanctorum reliquiis* accenſenda ſunt, de quarum cultu cultusque abuſu in Epiſtola nuncupatoria ad Reverendiſſimum & illuſtrem Virum, Dn. Gerhardum, Abbatem Luccenſem, Celeberrimus Editor multa erudite diſſerit. Delituerant hæ Prælectiones, in Academia Wittebergenſi olim publice propoſitæ, in ſcriniis B. D. Jacobi Tenzelii, Eccleſiæ Arnſtadienſis & in aula Schwartz-

Schwarzburgica primarii Antiſtitis, & Diœceſeos illius Comitatus Ephori, qui B D. Wilhelmi Lyſeri, Theologi Vittebergenſis, Polycarpi Filii, diſcipulus, ac poſt ejus obitum factus gener, Exegemata illa tanti æſtimavit, ut ex iis *Enarrationem Sophoniæ Prophetæ* Arnſtadii 1683, 4 ſpeciminis quaſi loco in lucem publicam emitteret. A Tenzelio Patre opus MStum hæreditatis jure devolutum fuit ad filiorum primogenitum, Polyhiſtorem ac Philologum Clariſſimum, Guil. Erneſtum Tenzelium, Potentiſſimo Poloniarum Regi ac Electori Saxoniæ a Conſiliis & Hiſtoriographum, qui illud publica luce digniſſimum ratus, Lyſero noſtro benevole indulſit ac ſponte obtulit. Hic igitur pro ea, qua in B. Proavi ſui cineres fertur, pietate, de editione libri, quam plurimi eruditorum ſuaſerunt, ſolicitus, illum tandem typis excudendum tradidit, cumque fatorum iniquitate ac temporis injuria prælectiones in Haggæum perierint, ipſe, quo opus Commentationum in Prophetas minores reſtitueretur, ac lectorum oculis exponeretur integrum, Prophetiam Haggai proprio ſtudio explicatam addidit, ſuoque loco repoſuit. Quæ dum eruditiſſimus libri promus in præmiſſa præfatione exponit, collectis variis elogiis, quibus B. Proavum ſuum plures eruditorum eo tempore fuerunt proſecuti, quo B. D. Seeligmannus ad obeunda munera graviſſima, quæ olim in aula Electorali ipſe Lyſerus cum laude geſſerat, evocabatur, Apologiam quandam cenſuræ paulo ſeveriori modeſte opponit, qua Agnatus, Guilielmus Erneſtus Tenzelius in *Curioſæ Bibliothecæ Repoſit. III, Locul. VIII*, *Officium pietatis*, & *Syllogen Epiſtolarum* B. Proavi, triennio abhinc editam, perſtrinxerat. Id enim reprehenſione dignum exiſtimaverat, quod & in Sylloge iſta ea ſimul cum reliquis in lucem fuerint emiſſa, quæ forte rectius omitti potuiſſent, & ordo in diſponendis epiſtolis magis accuratus deſideretur; quibus ut reſponderet Lyſerus ſuamque cauſam ageret, epiſtolam quidem ad Tenzelium exaraverat, quæ tamen, cum interea diem ſuum obiiſſet ſupremum, tradi ipſi haud potuit. Ne quis vero cenſuris Tenzelianis permotus de Lyſeri noſtri laboribus minus benigne forte judicet, ipſas literas, Apologeticæ inſtar reſponſionis futuras, maxima ex parte hic repetit, in quibus partim

Digitized by Google

tim objectiones in præfationibus Officio pietatis atque Epiſtolis præfixis ſe ipſum prævidiſſe atque diluiſſe monet; partim vitio ſibi non vertendum eſſe contendit, ſi clarorum Virorum veſtigia ſecutus integras epiſtolas easdemque ſingulas, licet non argumenti æque ponderoſi & gravis, dare ſtuduerit; partim culpam omnem ἀταξίας & indicis defectum, perinde ac ingentem ſphalmatum typographicorum numerum, in Bibliopolam ſumtus erogantem devolvit, utpote cui epiſtolas in ordinem redigendi & indices epiſtolarum ac Epiſtolographorum, nec non rerum præcipuarum rite inſtruendi negotium dederit modumque præſcripſerit.

Hac ratione ſui ipſius vindicias contra Tenzelium illiusque animadverſiones ſcribit Lyſerus, qui tamen præterea operæ pretium ſe facturum credit, ſi in reliqua Præfationis parte B. Proavum ſuum quoque contra V. C. *Petrum Bælium* defenderet, qui in Dictionario ſuo ipſius mentionem faciens non tantum aliqua, quæ cum veritate hiſtorica non ſatis conveniunt & illuſtratione quadam indigent, in medium attulit, verum etiam haud pauca in pios tanti Viri manes iniquiora congeſſit. Ita vera quidem eſſe Noſter monet, quæ de Parente Proavi ſui Bælius referat, dum Paſtoris & Superintendentis Winendenſium munere eundem fuiſſe functum memoret, Nürtingenſium tamen deinceps Antiſtitem ipſum evaſiſſe, vel ex Calvini epiſtolis Bælio conſtare poterat. Idem cum ſcribat, Lyſerum primum ab Electore Saxoniæ D. Auguſto A. 1577. vocatum fuiſſe eccleſiæ Vittebergenſis miniſtrum, vix autem in illa eccleſia ſpecimen divinitus conceſſarum dotium dediſſe, cum in numerum Theologiæ Profeſſorum reciperetur, non in uno Bælium falli dicitur, cum Polycarpus quidem circa auſpicium A. 1577 Gœllersdorffio Vittebergam demum venerit, A. 1576 tamen M. Octobr. litteris Electoris & Antiſtes eccleſiæ Vittebergenſis, & vicinarum Ephorus & omnium earum, quæ ad circulum Electoralem ſpectant, Superintendens Generalis, nec non Profeſſor Theologiæ Primarius & Conſiſtorii Electoralis Aſſeſſor fuerit vocatus. Hinc negatur Lyſerum unum e præcipuis Libri Concordiæ Directoribus dici poſſe, uti Bælius aſſeruit. Eundem enim in Saxoniam ex Auſtria

Digitized by Google

Auſtria nec veniſſe nec rediiſſe prius, quam omnes Theologorum conventus, hac de cauſa juſſu & autoritate Electoris Palatini, Saxonici & Brandenburgici inſtituti, ad finem eſſent perducti, ac ipſe liber a ſex illis Theologis, qui negotium hoc dirigebant, poſt ultimam reviſionem eſſet ſubſcriptus; de quo ſe multo certiorem eſſe Noſter ait, cum ipſum autographum Formulæ Concordiæ ſic ſubſcriptum & ad marginem manu D. Martini Chemnitii ita emendatum, ut evulgatis exemplaribus plane concordet, ſecum adſervet. Illud vero adfirmare non dubitat, B. Proavum ſuum primum omnium in Saxonia Electorali d. 26. Junii 1577 libro huic ſubſcripſiſſe, quem deinde non tantum Theologi Wittebergenſes reliqui, ſed & eccleſiarum ceterarum ſive Superintendentes, ſive Miniſtri, ſuo quisque ordine, ſubſcribendo ἰδιογράφως ſint ſecuti, id quod penes ipſum adhuc reconditæ ſubſcriptiones authenticæ oſtendant. Dum vero Bælius ſcribit, eum ſtrenue exercuiſſe officium *Miſſionarii*, graviſſimi erroris accuſatur. Licet enim hanc loquendi rationem emollire ſtudeat, itinera ſe reſpicere addens, quæ de urbe in urbem facere debuerit, ut exigeret ſubſcriptiones & *Non-Conformiſtas* abdicaret, licet etiam ad autoritatem & verba quædam Spizelii provocet, falli tamen in his Bælius dicitur, cum Jacobus Andreæ illius negotii director, Lyſerus vero fidus laborum ſocius ipſi additus fuerit, ut ſcilicet conformitas in doctrina plenaria inter omnes Doctores & ſubditos Electorales feliciter reſtauraretur; ejectionis vero & abdicationis *Non-Conformiſtarum*, quos vocat, nullam in hiſtoria illorum temporum mentionem fieri, nec illum titulum fere exoſum & inviſum *Miſſionarii* mereri, qui obedientiam Principi debitam demonſtraturus, deque veritate Libri Concordiæ firmiter perſuaſus, eam aliis propinaturus, & præſertim reſtaurationem collapſæ in doctrina harmoniæ adjuturus, itinerum ſibi demandatorum moleſtias citra ullius injuriam devoraverit. Corrigitur quoque Bælii narratio, qua Lyſerum omnibus conventibus interfuiſſe tradit, qui vel hujus libri, vel reunionis Calviniſtarum & Lutheranorum gratia, quam Legati Regis Navarræ ſolicite admodum quæſiverint, fuerint habiti. Quamvis enim ſat multis Theologorum congreſſibus interque eos Hertzbergenſi, Quedlinburgenſi &

R Li-

Lipſienſi præſens fuerit, de quibus Autor aliquando in Biographia B. Proavi pluribus ſe acturum promittit, multo tamen plures diverſis temporibus, aſt eadem de cauſa, coacti fuerunt conventus, quorum quidem nullum ille frequentavit. Neque eo conventuum iſtorum ſpectabat ſcopus, ut Calviniani Lutheranis reconciliarentur, ſed ut inteſtina illa diſſidia, quæ inter hos ſolos agitabantur, tollerentur. Equidem ad conſultationes illas, quibus agitandis in aula Electorali Saxonica anſam dederat Jacobus Segurius Parthelianus, Delegatus Henrici Regis Navarræ, ab Electore Saxoniæ Auguſto, una cum Johanne Sagittario ſive Schüz, Theologo Wittebergenſi, evocatum fuiſſe B. Proavum Pronepos ſe legiſſe meminit, aſt conventum Theologorum hac de cauſa convocatum fuiſſe ipſum latet, quamvis non ignoret, alios S. R. I. Ordines Evangelicos, quos recenſet, in conſilium adhibitos, ac horum omnium nomine in hanc ſententiam fuiſſe reſponſum, ut difficultatem imprimis negotii irenici ad pacem invitati atque ſolicitati Principes demonſtrare ſategerint. Pari modo & alia, quæ Bælius memorat, refelluntur, ac Chriſtianum I Electorem Saxoniæ religionis avitæ non adeo fuiſſe tenacem, eundemque quæſitam a Lyſero dimiſſionem lætabundum excepiſſe ac lubentiſſime conceſſiſſe, negatur, præſertim cum ipſe Polycarpus in Apologia Crellianis Amicis oppoſita, quam Tenzelius denuo evulgavit, cauſam ſuam hac in re ſtrenue defenderit, inque ea ſatis oſtenderit, quod ipſe dimiſſionem ſuam haut ægerrime tulerit aut cum animi conſternatione ingenti exceperit, quod itidem Bælius affirmaverat. Idem in eo erraſſe dicitur, quando B. D. Wilhelmum Lyſerum Dreſdæ natum eſſe ſcribit, cum Brunsuigam patriam habuerit, filiis quoque B. Polycarpi alterum eorum, Fridericum, Theol. Doctorem & Eccleſiæ Ilenburgenſis Antiſtitem ac Vicinarum Ephorum, a Bælio omiſſum, addendum fuiſſe innuitur. Quæ denique circa diſſidia, quæ Lyſero cum Johanne Majore interceſſere, ita Bælius narrat, ut omnem diſſenſionis culpam in iſtum transferre videatur, argumentis quamplurimis ab Autore diluuntur, qui id ſibi demonſtrandum ſumit, quod ille ſtudio partium abductus potius ſcripſerit quam nudam

nudam juxta Hiſtoricorum leges citra ullius injuriam detexerit veritatem.

Et hæc ea ſunt, quæ ex Præfatione repetere placuit. De ipſo vero Opere multa diſſerere ſupervacaneum eſt. Sane, qui in continuatione Harmoniæ Evangelicæ a Chemnitio inchoatæ, in Commentario in Geneſin aliisque monimentis præſtantiſſimis ingenii ac doctrinæ laudem conſecutus eſt Lyſerus, idem & in hiſce Commentariis rerum pondere, ſtyli perſpicuitate, methodi ratione, omnisque ſolidioris doctrinæ apparatu cunctis rerum Theologicarum arbitris ſe commendabit, iisque, qui ſacrarum literarum ſtudio tenentur, non levem uſum afferet. Ipſæ quoque in Haggæum commentationes, quæ Celeberrimus Editor addidit, ita comparatæ ſunt, ut quamvis methodum ab ea, quam B. Proavus præiverat, paulo diverſam ſequantur, ejusdem tamen eruditionem, ac in explicandis ſacris paginis peritiam felici auſu imitentur. Subjiciuntur libro Indices utiliſſimi ſummoque ſtudio adornati, quorum primus ſacræ Scripturæ loca, quæ partim explicantur, partim allegantur, ſecundus voces & loquendi formulas Hebraicas, tertius denique rerum præcipuarum ſeriem complectitur.

A VOYAGE TO THE ISLANDS, MADERA, Barbados, Nieves, S. Chriſtoffers and Jamaica.

id eſt,

HISTORIA ITINERIS IN INSULAS, Maderam, Barbatam, Nivium, S. Chriſtophori, & Iamaicam, cum Hiſtoria Naturali herbarum, arborum, animalium, aliorumque, quæ in poſtrema harum Inſularum reperiuntur; acceſſit Introductio, quæ continet deſcriptionem incolarum, aeris, aquarum, morborum, diſciplinæ &c. Autore JOANNE SLOANE M. D. Socio Collegii Medici & Societati Regiæ a ſecretis.

Volumen primum.

Digitized by Google

Londini, ſumtibus Autoris, 1707, fol.
Alph. 3 pl. 15 & Fig. æn. Tabb. 156.

Octo & decem annis ante, quam ſplendidiſſimum hoc opus ederet Celeberrimus *Sloanius*, ſub auſpiciis Illuſtriſſimi Ducis Albemarlii Medicus factus, qui in itinere & in ipſa Jamaica & aliis Americæ inſulis ſanitatem curaret, id egit, ut omnia, quæ ad naturæ hiſtoriam promovendam facerent, quam diligentiſſime obſervaret, atque hinc magnum ſibi rariorum rerum naturalium theſaurum ſtudioſiſſime collegit, cujus ſtudii ſpecimen in *Catalogo Plantarum, quæ in inſula Jamaica ſponte proveniunt, vel vulgo coluntur, cum earundem ſynonymis & locis natalibus, adjectis aliis quibusdam, quæ in inſulis, Madera, Barbata, Nivium & S. Chriſtophori naſcuntur*, quam Hiſtoriæ Naturalis Jamaicæ partem Prodromi Partem primam eſſe voluit, & Londini 1696 in 8 excudi curavit, exhibuit. Eorum autem, quorum nomina in hoc catalogo recenſuit, in pleniori hoc opere integras deſcriptiones & figuras ad archetypum factas ærique elegantiſſime inciſas hic oculis legentium & ſimul ſpectantium obtulit, hoc inſtituto & ordine, ut, quotquot poſſet colligere, exſiccaret, quorum vero fructus hac methodo conſervari non poterant, penicillo ſciti artificis, quem ad natalem plantarum locum deduxit, deſcribi curaret. Hoc modo ſupra octingentas plantas, maximam partem novas, ſecum retulit in Angliam, ubi amicis liberaliter & ingenue eas oſtendit, quo factum, ut, cum ipſe Autor in conquirendis aliorum ante ſe factis obſervationibus occupatus eſſet, ab aliis, quibus ipſe ſua videnda dederat, vel qui apud amicos ſuos inſpexerant, vel audiendo tantum perceperant, in edendo anteverteretur, quamvis non ubique ſatis feliciter. Tandem ipſe ſerio manum admovit operi, ut veras plantarum imagines naturali ſua magnitudine exhiberet, eo potiſſimum ordine, quem celeberrimus Rajus ſibi præſcripſit, ab imperfectioribus ad perfectiora potiſſimum progrediendo per claſſes varias; quam tamen methodum Excellentiſſimi Rivini noſtri invento, quo plantas ſecundum petalorum numerum & formam, atque ſeminis vaſculorum rationem, in claſſes docuit diſpeſcere, ſupplevit. Dolet vero, illo tempore, quo opus concinnaret,

Digitized by Google

naret, nondum exſtitiſſe magni nominis Botanici Tournefortii methodum, & multo minus plantarum Indiæ occidentalis deſcriptionem, quam Plumierius edidit, cujus accuratas plurium plantarum, præcipue filicum, delineationes tanti æſtimavit, ut denuo eas æri incidi e re non eſſe duxerit. Ut autem propius paulo Lector perſpiciat, quem in diſtribuendis plantarum generibus ordinem elegerit, ſumma ejus hiſtoriæ capita repetemus: *Primo* igitur *capite* de plantis ſubmarinis agitur; *ſecundum* muſcos, fungos & ſimilia continet; *tertium* comprehendit filices & plantas capillares; *quartum* ſiſtit plantas folio gramineo; *quintum* abſolvunt herbæ flore imperfecto ſtraminio; *ſextum* complectitur, quæ ſunt flore monopetalo; *ſeptimo* capite deſcribuntur verticillatæ; *octavo* leguminoſa recenſentur, vel quæ ſunt flore papilionaceo; *nono* enarrantur tripetala & dipetala; tetrapetala *decimo*; pentapetala vaſculifera *undecimo*; caput *duodecimum* continet umbelliferas & his affines; *tertium decimum* aſperifolias dictas; *decimum quartum* exponit plantas, quæ ſemine nudo ſunt; *decimum quintum* bacciferas & pomferas; *decimum ſextum* bulboſas radices eruit, & quæ iis ſunt ſimiles, uti etiam illas quæ vel ſunt flore hexapetalo, vel polypetalo, item quæ foliis pictæ ſunt; *decimum ſeptimum* demum flores compoſitos explicat. Neque vero, uti in catalogo fecerat, nude recenſet plantas, & varia eorum nomina adducit, ad ſcriptores remittens Lectorem, qui de illis quidquam obſervarunt: ſed in allegandis ſynonymis parcior naturæ plantarum explicandæ majorem impendit operam, ut uſus earum medicus ſimul appareat, atque Jamaicæ incolæ, Europæ pharmacevticarum officinarum ſimplicibus deſtituti, diſcant ex ſuo ſolo ſalutem petere, quod profecto non parum ad operis commendationem poteſt facere. Exhibet autem hoc primum Volumen poſt Præfationem Introductionem in totum opus, in qua Jamaicæ hiſtoria perſtringitur, præcipue naturalis & morborum in ea regnantium, circa quorum curationem, quæ diligenter obſervavit Autor, liberaliter communicat. Huic itineris enarratio ab Autore ſubnectitur, in qua plurima recenſentur, quæ navigantibus ſolent obvenire, quæque in mari ſe videnda præbuerunt.

Tandem ipſa ſequitur Hiſtoria naturalis Jamaicæ, quæ hoc volumine illarum plantarum ſpecies, quæ in catalogo recenſitæ ſunt, arboribus quidem exceptis, plenius exhibet. Nos ut curioſo Lectori ſpecimen proponamus rerum delineatarum, ad Autoris ductum æri inciſum transferemus fungum lapideum majorem undulatum, quem in Catalogo p. 2 deſcripſit, & plenius in Hiſtoria hac naturali p. 56, hujus ſuperior pars exhibet ſemicirculum, vel potius ovi per medium diſſecti figuram, pugnum craſſus eſt & in utraque parte ſtriatas cavitates ſiſtit, digitum recipere aptas, inſtar lapidis aſtroitis undulati, & reliqua, quæ ex Figura 1 Lector colligat. Altera Figura repræſentat arundinem ſacchariferam, a multis equidem, quos magno numero adducit Sloanius, deſcriptam, a nemine tamen, quod novimus, hactenus accurate effictam; eſt illa ab Autore recenſita pag. 108 Hiſt. Nat. ubi de ſucci ex canna expreſſi coagulatione notat, eam fieri non poſſe ſine addito coagulo, quod vocant; quod ſuo experimento teſtatur, quo ſuccus coctus antea haud coiret, quam vel calcem vivam vel lignorum aduſtorum cineres admiſceret, quod coagulum pro diverſitate ſoli, in quo arundo ſuccrevit, quantitate differat neceſſe eſt. Secundum operis Volumen hiſtoriam arborum, quadrupedum, avium, piſcium, teſtaceorum animalium, complectetur, quod paulo citius ad nos deferri optamus.

TAB. III Fig. 1

Fig. 2

NIE ERHöRTE WUNDERBAHRE Gartenluſt.

hoc eſt,

AMOENITATES HORTENSES NOVÆ ATque mirabiles.

Hamburgi, apud Henricum Dreyerum, 1710, in fol.

Conſtat plag. 7 & figuris æneis 8.

AUtor Anonymus longa atque multiplici experientia edoctus docet, quomodo pyramides fructiferæ per novam gemmas arborum truncis inſerendi artem cito gigni queant. Transplantandæ ſunt arbores per autumnum ramique omnes amputandi. Quam primum æſtate ſubſequente datur, novis ſurculis avulſis

Digitized by Google

Digitized by Google

avulſis gemmæ immittendæ ſunt ſitu inverſo (id quod tum ad decorem pyramidum, tum ad fertilitatem facere notat) ea quidem lege, ut truncum arcte contingant, citra conſuetam ligaturam cum eo coalituræ, & ſuperiores ab inferioribus pede vix dimidio a ſe invicem diſtent, in qualibet autem peripheria nonniſi tres conſpiciantur. Quamvis vero etiam arbores 20, immo plures annos natas, gemmarum inſertionem admittere didicerit, eligi tamen debere monet ſtirpes ſanas atque ſucco plenas, quarum diameter vix unum alterumque digitum adæquat. Plantatæ palis fulciendæ, ne, dum a ventis agitantur, nova radicum germina avellantur, & ne eadem putreſcant, a ſtercoratione abſtinendum, quamdiu arbores nondum ſatis radicatæ. Gemmæ a ligno non prorſus ſeparandæ, quod viride ac ſubfuſcum ſit neceſſe eſt, ſiquidem in ramos explicari debeant, nec longum, ut vulnus corticis citius ſanetur. Quodſi vero ex errore electionis quasdam emori contingat, in earum locum ſubſtituendæ ſunt aliæ, 14 fere diebus elapſis datoque caſu quolibet ſingulari ratio, cur ſpem eluſerit eventus, non latebit. Vulnus corticis eſt linea unica horizonti parallela; ſummitatem reſpiciat, non radices, cortex ſeparatus a pulpa, ne pluvia nocere poſſit. Virentem hoc modo obtinebis truncum circa autumnum ejusdem anni, vere anni ſequentis floribus, æſtate autem vel autumno fructibus ſuperbientem. Ut labor tanto felicius ſuccederet, peculiare adinvenit inſtrumentum, quod hic delineatum exhibemus. Luminis anſæ diameter AD eſt $\frac{14}{16}$ unius digiti, diſtantia articulorum CD $2\frac{9}{16}$ digitorum, cultelli DE chalybei longitudo $1\frac{6}{16}$, alterius orichalcei CG longitudo $1\frac{5}{16}$ Figura cultellorum eſt ſegmentum cylindri cavi, chorda arcus Ee $\frac{5}{16}$, ſagitta ejusdem arcus $\frac{1}{16}$ exiſtente. Ceterum cultellus ED non integer chalybeus: ſed pars poſtica DF orichalcea. Exhibetur autem inſtrumentum, prouti in Tabula poſitum oculos incurrit. Superflua ramorum eo tempore reſecari Autor jubet, quo arbores ſuccu turgidæ & ad incrementa pronæ: ita enim vulnus coaleſcet, ut veſtigium ejus ſuperſit nullum. Juramento ſolenni veritatem dictorum confirmat operiſque continuationem promittit, ſi quidem plures paratam pecuniam ad editionem promovendam ſolverint. Qui vero librum deſiderant, vel inſtrumentum, nummos ad *Dreyerum* Ham-

TAB. III Fig. 3, 4.

Fig. 5, 6.

Hamburgum tempeſtive mittant, accepturi etiam, ſi deſiderent, gemmam rite præparatam. Notandum vero, quod ex quercu, tiliis, imo roſarum fruticibus ſimiles pyramides progigni queant. Hæc ex mente Autoris referre placuit, quæ utrum experientia confirmentur, nec ne, hortorum cultoribus examinandum relinquimus.

DESCRIPTION EXACTE DES OS, &c.

i. e.

DESCRIPTIO EXACTA OSSIUM, TRIBUS Tractatibus comprehenſa.

Lugduni Batavorum, apud Theodorum Hack, 1709, 8.

Plag. 17.

TRia de oſſibus hic conjuncta ſiſtuntur ſcripta, quæ Viri clariſſimi, *Courtial*, *Petit* atque *Lemery* A. 1704 & 1705 Pariſiis ſeorſim edidere, quorumque duo poſteriora in *Actis noſtris* A. 1706 *Menſe Aprili* p. 157 & 161 jamjam recenſuimus, etiamſi Dn. *Lemery* de nutritione oſſium diſſertatio, quæ cum altera editione ejusdem Tractatus de alimentis tum vendebatur, pro appendice hujus haud debuiſſet tunc venditari. Aſt Obſervationum Anatomicarum, quas Dn. *Courtial*, celebris Anatomicus Toloſanus cum publico communicavit, aliæ oſſa in genere, oſſium formationem, ſtructuram, medullam, nutritionem, filtrationem, oſſiumque morbos, ſpeciatim ſtrepitum, fragilitatem, incurvationem, emollitionem ac molem majorem deprehenduntur ſpectare; aliæ vero nova hepatis vaſa lymphatica, veſicularem veſicæ urinariæ hydropem, vulnus cordis, ventriculum perforatum, membranoſam inteſtini recti conſtipationem, bubonocelen, liquorem pericardii, molam, ſpicam hordei deglutitam atque infantem extra matricem repertum, commemorare, phyſica demum diſſertatione de aeris natura & proprietatibus ſtipatæ. Ex omnibus tamen iſtis non niſi ea liceat transſcribere, quæ de miranda bubonocele, ſingulari ſpicæ hordei ingeſtæ per tumorem externum egreſſu atq; ſtupendo fœtus extra uterum in abdomine matris defunctæ ſitu, curioſius annotantur. Mirandum namque eſt, virginem aliquam ex tali bubonocele, quæ ſuppurata inteſtini prolapſi & ſphacelo corrupti vel dimidium pedem chirurgo re-

ſecan-

Digitized by Google

ſecandum præbuerit, perfecte convaluiſſe, fortaſſis quia duo inteſtini reſecti extrema medio meſenterii ac peritonæi, annulum veluti circumcirca efformantium, inter ſeſe coaluerint. Frumenti equidem ſpinam involuntarie deglutitam ſubinde per ſupervenientem abſceſſum prodiiſſe, in Fernelio, Helmontio ac Miſcellaneis Academiæ Naturæ Curioſorum legitur, ſingulare nihilominus plane eſt, quod ipſe Autor noſter ſpicam hordei, quam ruſtici puer præter voluntatem deglutierat, ex tumore circa hypochondrium ſiniſtrum ſuborto poſt trium ſeptimanarum intervallum a chirurgo adhuc recentem & granis tumidis viderit extractam, viamque ejusmodi inſolitam, in ipſam ſpicam aculeatam, motu ventriculi aut inteſtinorum periſtaltico per ventriculum, ſi non inteſtina, muſculosque abdomini extrorſum protrudi aptam, referat. Stupendum denique habetur, fœtum novimeſtrem in matris extinctæ abdomine ita locatum apparuiſſe, ut modo denatus capite in latere ſiniſtro juxta ſpinam dorſi extra tunicas perruptas deorſum propendens pedes ſurſum ſub ventriculo & colo protenderet, ac reliquum ejus corpus omento cooperiretur; placenta vero, quæ alias uterina dicitur, ſub ventriculo & colo vaſis epiploico gaſtricis adhæreret. Cujus extraordinariæ connexionis duæ conjiciuntur cauſæ, vel quoniam ovulum maternum a ſemine maſculino fœcundatum tuba Fallopiana excipere non potuit, vel exceptum etiam paulo poſt denuo dimiſit, utroque autem modo ovulum tale abdominis cavitatem incidere atque ventriculi & omenti vaſis ſanguiferis in nutritionis ac incrementi gratiam adhæreſcere valuit.

EXCERPTA EX LITTERIS HENRICI L. BAR. DE HUYSSEN &c. ad I. B M. Cracovia miſſis.

MEminiſti haud dubie monſtroſi illius partus bicipitis, quem ante aliquot annos Moſcuæ in lucem editum fuiſſe Tibi nuntiavi, & cujus delineationem Actis veſtris A. 1706 M. Jan. p. 40 vidi inſertam. Simile propemodum monſtrum humanum hoc A. 1710 die 9 Febr. Cracoviæ edidit quædam Agnes, quæ annos nata 26 e vaga Venere gemellos ſuſcepit, maſculum nulla ex parte

S defor-

deformem & quarto poſt nativitatem die defunctum, & deinde fœmellam bicephalam, quam vivam quidem obſtetrix extraxit & S. Baptiſmatis fonte proluit, at caput ſiniſtrum mox, dextrum vero aliquot poſt horas exſpiraſſe viſum eſt. Cadaver cultro anatomico ſubjectum examinavit Joannes Bernardus Sthaar Phil. & Med. Doctor, cujus hic accipe brevem deſcriptionem.

Erat conſtitutio extrinſeca a pedibus ad regionem epigaſtricam usque naturalis, ab hac vero thorax ita ampliabatur, ut duplex appareret, & repræſentaret partus quaſi amplexum ad invicem lateralem, ab unione humeri interni procedentem. Scapulæ quatuor erant, quarum internæ, ſibi cohœrentes, cavitatem internam, externe gibboſitatem conſtituebant, acromium earundem prominebat, nulla intercedente clavicula. Capita illa bina ad formam optime conſtituta nihil ab extra deformabat. In abdomine viſcera continebantur ſimplicia in ſitu naturali, præter hepar planum, ventriculum obtegendo ad lienem usque extenſum. In thorace biſurcabatur orificium ventriculi ſuperius formando binum œſophagum; duplicatum erat os ſterni una cum coſtis, quæ a duplici ſpina dorſali ortæ formabant amplam thoracis cavitatem; externæ erant ſat longæ, internæ vero curvatim uniebantur ſcapulis illis duabus internis ſupra jam recenſitis; ſpinæ vero binæ circa lumbarem regionem magis approximatæ in natibus terminabantur. Utrinque abs duplicatione muſculi pſoas, cor tamquam primum oriens, ultimum moriens, in ſuis involucris ſat magnum absque mucrone cum ventriculis binis carnoſo-fibroſis ac amplis inveniebatur; in pulmonum lobis præter magnitudinem binæ aſperæ arteriæ in ipſa inſertione bronchia unitim conſtituentes obſervabantur. Reliqua ex omni parte perfecta cernebantur.

EXPERIENCES DE PHYSIQUE,

h. e.

EXPERIMENTA PHYSICA AUTORE PETRO POLYNIERIO, Medicinæ Doctore.

Pari-

Pariſiis, apud Johannem de Laulne, Claudium Jombert & Jacobum Quillau, 1709, in 12.

Conſtat plag. $21\frac{1}{2}$ & Tabb. æn. 10.

NIſi quis Matheſeos fuerit apprime peritus & multorum experimentorum notitia inſtructus, ad certam rerum naturalium cognitionem haud unquam pertinget. Monuimus in Actis anni ſuperioris p.25, Phyſici imprimis eſſe vires corporum naturalium metiri & leges, juxta quas effectuum quantitates in dato quolibet caſu computentur, ſtabilire, cum inde & certitudo & utilitas doctrinarum Phyſicarum unice pendeat. Experimenta vero vires corporum naturalium indeque pendentes effectus manifeſtant: Matheſis easdem metitur & leges computandi effectuum quantitates conſtituit. Quemadmodum itaque & Autor Elementa Matheſeos puræ, Geometriæ præſertim, egregia dexteritate explicavit, ut tyronibus ad divinam iſtam ſcientiam viam planam ſterneret, in Actis A. 1707 p. 98 commendata; ita nunc quoque experimenta Phyſica non minus perſpicue deſcribit, inſtrumentorum ad ea neceſſariorum apparatum ſchematiſmis æri inciſis illuſtrat, & effectuum rationes conſuetas reddit. Præmiſſis experimentis Mechanicis & Hydroſtaticis de æquilibrio præſertim fluidorum; ad ea progreditur, quæ aeris gravitatem ſolam, elaterem ſolum, & gravitatem atque elaterem una illuſtrant. His ſubjungit experimenta acuſtica de ſono, & alia nonnulla de vi directiva, attractiva & communicativa Magnetis. Succedunt varia Chymica & Anatomica, tandemque colophonem libro utiliſſimo imponunt Optica de coloribus & lumine. Cum Autor inſigni ſolertia non modo conquiſiverit, quæ paſſim proſtant, experimenta, ſed & non ſimplici vice iteraverit; ad lectionem ejus invitantur, qui ad arcana naturæ rimanda animum appellendum ducunt. Quoniam aliunde jam conſtant talium gnaris, quæ ab Autore proferuntur, ut ſigillatim quædam recenſeamus opus non eſt, id monuiſſe contenti, quod ſe primum reperiſſe affirmet, monetam argenteam optime ſonoram ſonum fere omnem perdere, ſi argento vivo immergatur & extracta digitis fricetur; eundem vero recuperare, ſi aquæ forti aut ſpiritui

nitri immittatur, extractaque linteo abſtergatur. Conſuetas quoque experimentorum rationes reddit, ut adeo & de his agere ſupervacaneum cenſeatur.

LIBRI NOVI RUSSICO IDIOMATE CONſcripti.

CUm aliquo abhinc tempore Vir Excellentiſſimus, Henricus L Baro de Huyſſen, ſupremo Moſcorum Monarchæ a juſtitiæ & belli Conſiliis & Celſiſſ. Principis Ruſſici Ephorus, pro eo quo bonas literas proſequitur ſtudio, libros quosdam novos e Ruſſia ad nos transmitti curaverit, operæ pretium nos facturos exiſtimavimus, ſi de illis pauca hoc loco adderemus. Quodſi in his typi elegantiam & chartæ puritatem ſpectes, in Gallia vel Belgio excuſos juraveris, nec ad tabularum æncarum, quæ paſſim acceſſere, nitorem quidquam addi poteſt. Tum nova quodammodo ſcriptionis ratio in illis obſervatur. Nam cum Ruſſico omnes idiomate conſcripti ſint, characterem tamen non pure Sclavonicum hic adhiberi videas, ſed qui eum, quo in tachygraphia Ruſſi utuntur, *ſkorropiss* vocant, imitatur. Itaque Typographus multos characteres, quibus hodie Latinam linguam exprimimus, ob convenientiam retinuit: quod primo intuitu rudiores, imo & in lingua Sclavonica exercitatos fallit. Conveniunt enim hic nonnullæ literæ forma & pronuntiatione in Latina & Ruſſica lingua, ut A, E, I, O &c. in aliis formæ quidem eadem, ſed pronunciationis plane diverſa eſt ratio. Sic character m eſt Ruſſicum t, H Ruſſicum n; contra ea n Latinum eſt Ruſſicum p, & p Latinum Ruſſicum r: X Latinum eſt Ruſſicum ch & R inverſum (Я) eſt Ruſſicum à ſive ia: Latinum g eſt Ruſſicum d: C Lat. Ruſſicum s ſive ss, & y Ruſſicum Latinum U, &c. Præterea in ipſa quoque lingua Sclavonica, cujus hactenus in impreſſis uſus fuit, nonnihil mutatum videtur. Sic cum antea in libris legeretur *Grad* urbs, nunc ex Ruſſica dialecto vocem *Goroda* aſſumtam deprehendimus. Unde facile patet, Ruſſos ſub Auguſtiſſimo, quo hodie reguntur, Principe non minus linguæ ſuæ cultum, quam commercia, atque artes imprimis militares, feliciſſime promovere. Sed de ipſis libris videamus.

KNI-

KNIHA O SPOSOBACH TWORYASCRYCH Uodochozderice Swobodnoe.

i. e.

TRACTATUS DE MEDIIS FLUMINA NAvibus vehendis apta reddendi, editus conſenſu Czareæ Majeſtatis PETRI ALEXIOVITII &c. & Seren. Principis Ruſſici, ALEXII PETROVITII.

Moſcuæ, Anno Domini 1708, Menſe Julio, in 8.

Plag. 9 & Tabb. æn. 8.

Libellus utiliſſimus in linguam Ruſſicam transferri meruit, cum multa contineat ad Architecturam aquarum ſpectantia prorſus egregia. Quoniam vero jam in Actis A. 1694 p. 78 & ſeqq. ejus recenſum inſtituimus; hic ſaltem adhuc monere libet, quod tantum non verbotenus ex opere Italico, a *Joanne Meyero*, natione Batavo, Architecto militari & Academiæ Phyſico-Mathematicæ Romanæ ſocio, ſub titulo: *Parte di reſtituire à Roma la tralaſciata navigatione del ſuo Tevere*, Romæ 1685 in fol. edito, exſcriptus ab Autore, Gallo Anonymo, fuerit: qui certe non male feciſſet, ſi una *Johannis Baptiſtæ Barattieri*, Architecti itidem militaris, Architecturam aquarum, Placentiæ 1656 in fol. publicatam, conſuluiſſet. Ceterum & typus hic & charta, ut in reliquis, imprimis commendandus, figuræ vero tam pulcre exſculptæ, ut iis, quæ in Gallica editione exſtant, ſint prorſus ſimillimæ.

POWEDAJUSCHTSCHAA KREPOST'

hoc eſt,

MUNIMENTUM INEXPUGNABILE; AUtore ERNESTO FRIDERICO L. B. de BORGSDORF, S. Czareæ Majeſtatis Architecto Militari.

Moſcuæ, e Typographia Czarea, 1709, in fol.

Plag. 6 & Tabb. æn. 3.

Digitized by Google

POWERENNIE WOJNSKIE PRAWILA, &c.
hoc eſt,

NOVÆ PROPOSITIONES VIENNENSES de Munimentis vi oppugnandis; Autore ERNESTO FRIDERICO L.B. de BORGSDORF; juſſu & autoritate Czareæ Majeſtatis edita.

Moſcuæ, 1709, fol.

Plag. 10 & Tabb. æn. 6.

ERneſtus Fridericus de Borgsdorf librum utrumque jam ante annos complures Czareæ Majeſtati MS. obtulit: priorem nempe anno 1696, poſteriorem vero anno 1697. Nunc vero juſſu ejus lucem publicam adſpexerunt. Fundamenta totius Architecturæ militaris concinne complectuntur. Prior enim Artem muniendi explicat: poſterior praxin offenſivam & defenſivam exponit. Autoris in arte muniendi principia, tum ex Munimento ipſius inexpugnabili, a nobis A. 1683 Menſe Jan. p. 27 & ſeqq. recenſito, tum ex alio ſcripto Germanico, anno 1687 Norimbergæ ſub titulo, die befeſtigte Stütze eines Fürſtenthums (Firmum Principatuum Columen) harum rerum gnaris dudum cognita. Non igitur opus eſt, ut de iisdem in præſenti dicamus vel etiam jam l. c. dicta hic denuo repetamus.

PRIEMI CIRCULA I LINEIKI ILI ISbrannéiſchoe natſchalo, &c.

i. e.

USUS CIRCULI ET REGULÆ, SIVE principia Geometriæ ſelectisſima, &c.

Moſcuæ, 1709, 8.

Conſtat Alph. 1 & Figg. æneis plurimis.

IDem hic eſt liber, qui Viennæ A. 1686 ſub titulo: Erzherzogliche handgriffe in forma quarta prodiit, Autore Antonio Erneſto Burckhard de Birckenſtein; nec quicquam in verſione hac immutatum obſervamus, niſi quod in titulo vocabuli Erzherzogliche ratio nulla habita, & in ipſis figuris, quæ hic nitidiſſimæ conſpiciuntur, in locum Hungaricorum munimentorum, oblectamenti cauſa additorum, alias picturas artifex pro ingenio ſubſtituerit.

ARCHI-

Digitized by Google

ARCHITECTURA WOINSKAJA, GIPOtetitſchesakja, i jeclektiſcheskaja.

i. e.

ARCHITECTURA MILITARIS HYPOTHEtica & Eclectica; *autore LEONHARDO CHRISTOPHORO STURMIO, Mathem. Prof. Publ.*

Moſcuæ, 1709, 8.

Conſtat plag. 15 & figg. æn. Tabb. 55.

JUſſu quoque Sereniſſimæ Czareæ Majeſtatis in linguam Sclavonicam translata eſt Celeberrimi Sturmii Architectura Militaris, cujus in Actis anni ſuperioris p. 235 meminimus. Interpres Autorem ubique accurate ſequitur; at in illis tamen, quæ in gratiam Viri Principis, in Dialogo introducti, Autor inſeruit, paulo brevior eſt.

GENERALYE SIGNALY, NADSIRAEmye wo flote jego Tſarkago Welitſchestwa.

i. e.

SIGNA GENERALIA, QUÆ IN SERENISS. Czarea Maj. claſſe dare Præfecti navibus aliis conſuevere.

Moſcuæ, 1706, in 16.

Plag. $3\frac{1}{2}$.

VIx equidem ſatis apparet, utrum hic quoque libellus ex alia lingua translatus ſit, nec ne. Illud vero obſervamus, varia vocabula Belgica, ut *Vlak*, *Vlakſlok*, *Wimpel*, *Schout by Nacht*, item alia, ut *Admiral*, *Capitan*, *arriereguarde*, *avantguarde* Sclavonico idiomati hic intermixta legi. Ceterum opuſculum octo Capitibus dividitur, quorum primum agit de ſignis, quæ Præfectus claſſis navibus ſuis dat, quando anchoras demittere vel ſolvere jubentur; ultimum refert ſigna, quæ dantur navibus cœlo obſcuro.

NOVA LITTERARIA.

AMſtelodami T. Livii Opera X Tomis in 8 nuperrime eleganti habitu prodiere, cum animadverſionibus Joannis Clerici. Nec cedet forte, niſi MSptorum collatorum numero, hæc editio

Digitized by Google

editio nuperæ Oxonienſi, quam ſibi nondum viſam fuiſſe, cum hanc pararet, non diffitetur Cl. Clericus. Eidem Clerico acerba ſatis cum Petro Burmanno nuper nata eſt contentio: nam cum hic, incertum quo jure quave injuria provocatus, paulo atrocius in præfatione ad novam Petronii editionem (cujus propediem recenſum dabimus) in illum invectus eſſet, non putavit id æquo animo ferendum Clericus, verum in Bibl. Sel. Tomo XIX, ubi editionis hujus mentionem fecit, acerrima in Burmannum tela contorſit; quam gravium doctorumque Virorum altercandi rationem num omnes probaturi ſint, vehementer dubitamus. Recuditur ibidem liber Gallicus *L'Eſprit de Guy Patin*, quem, tametſi in titulo Amſtelodami apud H. Schelte impreſſus perhibeatur, in Gallia ipſa, & ut creditur, Pariſiis prodiiſſe fama eſt.

Lipſiæ Th. Fritſchius Thomæ Stanleji Hiſtoriam Philoſophicam ex Anglico in Latinum idioma converti notisque illuſtrari curavit, quam propediem prelo ſubjiciet. Idem & Rei Ruſticæ Autores Latinos M. Porcium Catonem, M. Terentium Varronem, L. Junium Moderatum Columnam & Palladium Rutilium Taurum Æmilianum, cum Notis Phil. Beroaldi, P. Victorii, Aldi Manutii, Fulvii Urſini, Jo. Scaligeri, Auſonii Popmæ, Jo. Meurſii, procurabit, ex recenſione Chriſtiani Schœtgenii, qui ſuas quoque annotationes & Indices addet. Ex ejus præterea officina prodit nunc Chriſtiani Gryphii opus poſthumum elegantiſſimum, de his qui res geſtas Seculi XVII deſcripſere.

LIBRI NOVI.

Introduction a l' Ecriture Sainte, traduite du Latin du R. P. Lamy. Nouvelle Edition reveue & augmentée. A Lyon, chez Jean Certe, 1709, 4.

Politique tirée des propes paroles de l' Ecriture Sainte. A Monſeigneur Le Dauphin. Ouvrage Poſthume de Meſſire Jacques Benigne Boſſuet, &c. II Voll. A Paris, chez Pierre Cot, 1709, 12.

L' Hiſtoire des Imaginations extravagantes de Monſieur Ouſle, cauſées par la Lecture des livres, qui traitent de la Magie, &c. II Voll. A Paris, chez Nic. Goſſelin, 1710, 12.

Jos. Conradi Barchuſen Hiſtoria Medicinæ. Amſteladami, apud Janſonio Waesbergios, 1710, 8.

(o)

Digitized by Google

ACTA ERUDITORUM,

publicata Lipſiæ

Calendis Aprilis, Anno M DCC X.

ALLGEMEINES HISTORISCHES LEXICON,

i. e.

LEXICON UNIVERSALE HISTORICUM,

juxta ordinem alphabeticum Germanico idiomate concinnatum, curante JO. FRANCISCO BUDDEO, SS. Theol. Doct. & Prof. Publ. Jenenſi.

Tomi duo.

Lipſiæ, apud Thomam Fritſch, 1709, fol.
Alph. [illegible] plag. 7.

INter ſumma ſcientiarum augmenta, quibus noſtra ætas ſuperbit, haud ultimum ſane locum obtinet provida literatorum in conficiendis omnium diſciplinarum compendiis atque Lexicis cura, contra quæ umbratici quidem doctores debacchari interdum e cathedra ſolent, non aliam enimvero ob cauſam, quam quod illorum ope brevior ad Parnaſſum via, & quædam non vulgaria veræ ac realis eruditionis ſubſidia indigitantur. Sicut ergo Hiſtoriarum & Geographiæ cultores Suidæ, Stephano Byzantino, Thomæ Eliot, Eraſmo Roterodamo, Joanni Cibenio, Carolo ac Roberto Stephanis, Nicolao Lloydio, Abrahamo Ortelio, Philippo Ferrario, Antonio Baudrando, Cæſari Rupefortio & Boyerio; rei vero bibliothecariæ amatores Conrado Geſnero, Conrado Lycoſtheni, Joſiæ Simlero, Joanni Jacobo Friſio, Antonio Verderio, Joanni Hallervordio, Antonio Poſſevino, Nicolao Antonio, Alegambio, Kœnigio, Magiro, Hendreichio,

Digitized by Google

reichio, aliisque compluribus, inſignes gratias debent: ita *Ludovici Morerii Galli Dictionarium Hiſtorico Geographico-Genealogicum* palmam ceteris omnibus præripuiſſe videtur; cujus prima editio, quæ anno 1673 in lucem emiſſa eſt, tantum orbis literati applauſum promeruit, ut ab illo tempore plus decupla vice impreſſio illius, modo in Belgio, modo in Gallia fuerit iterata. Id quidem negari haudquaquam poteſt, laborem in Lexico quodam adornando æternum quaſi & vitiis perpetuo obnoxium eſſe, cum quod impoſſibile ſit, rerum omnium in hoc ſtudiorum genere accuratam notitiam habere, tum etiam, quod ob varias familiarum & rerumpublicarum viciſſitudines indies novi caſus contingant, qui novas iterum emendationes, nova quotidie complementa ſibi poſcunt. Atque hinc etiam factum eſt, ut quicquid Jo. Clericus, quicquid Petrus Bælius, quicquid Valterius Pariſienſis conati fuerint, tamen errores omnino omnes neutiquam tollere potuerint; interim tamen Morerii laborem Orbi politiori gratiſſimum fuiſſe, vel ex decies repetita libri editione conſtat, quem & Anglus quidam A. 1694 Anglice expreſſit, Bælius Dictionario Hiſtorico Critico, annis 1696 & 1702 edito, multum illuſtravit, Joannes vero Jacobus Hofmannus, qui Lexicon Univerſale Hiſtorico-Geographico-Poetico-Philologicum annis 1677, 1683 & 1998 Latino ſermone publicavit, ſæpius ſecutus videtur.

Quum ergo Latini idiomatis callentes in Hofmanni opere, Gallicæ vero linguæ gnari in Morerii & Bælii voluminibus acquieſcere aliquantum poſſent, & Angli inſuper ſua vernacula ſimile quid haberent conſcriptum, ſoli hactenus Germani, tot alias in rem literariam meritis illuſtres, tot operoſa pro adjuvanda eruditione volumina moliti, hujus generis Lexico caruerunt; quem tamen defectum anno ſuperiore ſupplere conatus eſt Vir celeberrimus, *Jo. Franciſcus Buddeus*, SS. Theologiæ in alma Jenenſium Univerſitate Doctor ac Profeſſor Publicus, cujus alia in lucem publicam edita ſchediaſmata & ſcripta noſtris quoque in Actis paſſim recenſita fuere. Is ut communi Germanorum patriæ conſuleret, cum Thoma Fritſchio, celebrato apud Lipſienſes Bibliopola, de Lexico univerſali Hiſtorico-Geographico-Genealogico con-

conſcribendo ac edendo convenit, & fundamenti quaſi loco *novam Moreriani operis editionem* ſubſtravit, quam non tantum in Germanicum idioma convertendam, ſed, quantum fieri licuit, ab omnibus nævis repurgandam, ultra bis mille novis articulis, iisque ad Germanicam maxime hiſtoriam illuſtrandam neceſſariis, inſtruendam, de cetero, ex Bælii Dictionario Hiſtorico-Critico aliisque innumeris autoribus caſtigandam, ſupplendam, augendam, & ut verbo quaſi dicam, ita adornandam curavit, ut non pro compendio, ſed ſyſtemate potius quodam univerſæ Mythologiæ, Hiſtoriæ Civilis, Eccleſiaſticæ, Literariæ ac Philoſophicæ, Antiquitatum, Geographiæ ac Genealogiæ habendum ſit, quam poſtremam alias a Lexicorum foro exulare voluit Valterius. Evolvatur v. g. vox Anglia, Dania, Suecia, Perſia, Bavaria, Saxonia, Livonia &c. & integram non ſolum regnorum horum & provinciarum deſcriptionem naturalem, eccleſiaſticam & civilem, ſed ſeriem etiam Regum vel Ducum, qui in iis imperio præfuerunt, Chronologicam offendes. Evolvantur dehinc ſingulorum Principum vel Regum nomina; nec quicquam, quod in hiſtoria eorum ſingulari momentum aliquod afferat, tibi deerit. His accedunt multorum ſtemmatum illuſtrium & nobilium, ut Abſchatziorum, Alvenslebiorum, Althaniorum, Beuſtiorum, Bielkiorum, Carlowiziorum, Dieskauiorum, Fuchſiorum, Gronsfeldiorum, Kœtteritziorum, Liechtenſteiniorum, Metternichtiorum, Oxenſtirniorum, Pflugiorum, Sapieharum, Wartenbergiorum, Wertherorum, Zinzendorffiorum, aliorumque deſcriptiones Hiſtoricæ & Genealogicæ, quas in Morerio vel Bælio vel alibi etiam fruſtra quæſiveris. Ut taceamus acceſſiones hiſtoriæ literariæ cumulatiſſimas; quorſum inter reliqua ex Theologorum ordine vitæ Arndiorum, Bechmannorum, Buxtorffiorum, Caloviorum, Carpzoviorum, Cramerorum, Edzardorum, Heideggerorum, Hulſemannorum, Sagittariorum, Spenerorum, Wagenſeiliorum, ex venerandi Pippingii noſtri Memoriis Theologorum aliquam partem excerptæ; & ex ordine JCtorum vitæ Bacchoviorum, Beſoldorum, Brunnemannorum, Carpzoviorum, Graswinkeliorum, Harprechtorum, Huberorum, Pufendorffiorum, Struviorum, Zieglerorum &c. ex Medi-

corum autem & Philoſophorum aliorumque claſſe Bartholinorum, Begerorum, Boſiorum, Caſeliorum, Cornarorum, Heurniorum, Fallopiorum, Meibomiorum, Gronoviorum, Gryphiorum, Hanckiorum, Menckeniorum, Morhofiorum, Schurzfleiſchiorum, Wagenſeiliorum &c. vitæ & ſcripta enarrata ſpectant. Cum proinde ad tanti operis compilationem unius hominis vires aut ſubſidia otiumve minus ſufficere viderentur, Buddeus ideo circa laboris a ſe ſuſcepti initium Juvenis Nobiliſſimi ac Generoſiſſimi, Ferdinandi Ludovici Bresleri ab Aſchenburg, moderni in Republica Vratislavienſi Senatoris Ampliſſimi, tunc ipſius convictoris ac domeſtici ſuaviſſimi, opera adjutus eſt. Poſtea Duumviri Clariſſimi M. Jo. Andreas Uhlenius, Uffenbacenſis, & imprimis D. Burcardus Gotthelf Struvius, Hiſtoriarum in Academia Jenenſi Prof. Publ. cui quartam propemodum Lexici hujus partem deberi non diffitetur Cl. Buddeus, manum opitulatricem operi huic admoverunt: qui omnes partim ex Manuſcriptis Codicibus bibliothecarum Alvenslebianæ, Guelpherbytanæ, Vinarienſis, (in quam Logaviana ex Sileſia ante annos non ita multos illata fuit) Jenenſis, Halenſis, Cruſianæ, aliisque, multa ſubſidia nacti fuerunt, quorum gratioſi pararii, & in his imprimis Illuſtris Leibnitius, in Buddeana Præfatione merito laudantur; partim etiam ipſi omnem lapidem moverunt, ut communi Germanorum, quorum valde intererat, exſpectationi hac editione ſatisfieret. Quicquid itaque in ordine Chronologico ob autorum, quibus uſi ſunt, diverſas relationes defecerit, vel in familiarum illuſtrium Genealogiis & vitarum deſcriptionibus deſiderari adhuc potuerit, id per novas quasdam tabulas Chronologicas ac Supplementa quantocyus ſubſecutura ſupplebitur: reliquam vero totius operis œconomiam non tam doctiſſima reverendi Editoris Præfatio illuſtrat, ſed ipſa potius amborum voluminum inſpectio commendat: ut ita Cl. Buddeo, qui tantum opus abſolvit, & Præſtantiſſimo Fritſchio, qui precioſiſſimo operi typis exſcribendo ſumtus haud exiguos ſuppeditavit, æternas grates relatura ſit Germania, omnesque ac ſinguli Proceres & Literati, publico totius rei literariæ nomine ac commodo exorandi videantur, ne ſphalmata paſſim occurrentia male interpretari,

tari, ſed potius ſtemmatum ac vitarum illuſtrium deſcriptiones cum editoribus communicare, & ſic laborem univerſæ genti ac patriæ glorioſum, quibuscunque poterunt rationibus, lubenter adjuvare velint.

DE SCRIPTORIBUS BRITANNICIS COMmentarii JOANNIS LELANDI, Antiquarii; ex Avtographo Lelandino nunc primum editi ab ANTONIO HALL, A. M.

Tomus I & II.

Oxonii, e theatro Sheldoniano, 1709, 8.
Alph. 1 plag. 15.

QUod Jo. Balæus commaculatum fœde & interpolatum in Centurias ſuas traduxit opus Jo. Lelandi de Viris Britanniæ illuſtribus; & Jo. Pitſeus, utut viſum nunquam, ſæpius tamen in ſuo de Britanniæ ſcriptoribus opere laudavit, id nunc ſub auſpiciis Viri Rev. Guil. Lancaſtri, Academiæ Oxonienſis Vice-Cancellarii, Collegii Reginenſis Socius, Antonius Hall, A. M. ex avtographo Lelandino primus edere cœpit. Quatuor enim libris integrum opus Lelandi de Viris gentis ſuæ illuſtribus abſolvitur; quorum duos priores nunc tantum in lucem Hallius e vetuſtis Codd. MSS. Bibliothecæ Bodlejanæ produxit, tertium prelo a ſe parari ſub calcem Tomi ſecundi ſubindicat. Equidem tum Thomas Galeus, tum Thomas Tannerus idem etiam negotium in ſe ſuſcipere olim ſtatuerant. Verum cum Galeus, ad munus in Eccleſia ampliſſimum vocatus, curam hancce penitus deponere adactus fuerit; & Tannerus jam in eo ſit, ut novam ſcriptorum Angliæ hiſtoriam pertexat: idcirco Hallius noſter vel eo nomine editionem operis Lelandini non amplius remorandam ſed ab interitu vindicandam, Lancaſtri etiam autoritate accedente, duxit, quod hoc gentis Anglicanæ decus & gloria, præclara Lelandi eruditio & ingenium præſtans, tot illuſtrium Virorum memoria rediviva, & ſtyli longe ſupra ſeculi ſui ſortem venuſtas & elegantia (jam enim per duo ferme ſecula inter Archivorum

clauſtra cum blattis & tineis luctatum eſt,) exigeret, id quod Cavei eruditiſſimi judicium eſt in epiſtola ad Hallium. Et poteramus ſane lectu non indigna ex Aquilæ Prophetæ, Ambroſii Merlini, Gildæ Sapientis, Willibrordi, Bedæ, Albini, Thomæ Dochenduni, Jo. Paſchalis, Marſilii de Ingen, Galloſridi Chauceri, Gualteri Venantii, Jo. Tipetoti aliorumque vitis ſpeciminis heic loco ſiſtere: niſi & de operis Lelandini dignitate ac præſtantia ex Balæo & Pitſeo abunde omnibus conſtaret, nuper etiam Guil. Nicolſoni, Epiſcopi Carleolenſis, & Thomæ Smithi teſtimoniis confirmata; & nobis conſultum nunc magis viſum fuiſſet, ſaltim ipſius Lelandi vitam, ab Hallio præmiſſam, heic paullo contractam exhibere.

Natus nimirum eſt Jo. Lelandus, Antiquarius gentis & ætatis ſuæ celeberrimus, Trenovanti (ſeu quod hodie dicimus, Londini) annis circiter poſtremis Henrici VII, & ab ipſis pueritiæ annis animum in literas mire ſemper propenſum oſtentavit. Hanc bonam in puero indolem ut Thomas Milo, fautor ingeniorum eximius, parentibus in ipſa Lelandi infantia extinctis, inſtitutione optima promoveret, eum Guilielmo Lilio, nobili Trenovantum Grammatico, qui tum ſcholæ ad Pauli fanum præerat, educandum docendumque tradidit. Ex hujus ſchola annis maturioribus Grantum Girviorum (ita Cantabrigiam Noſter appellat) ſe contulit, ibique in Collegio Chriſti ſtudio eloquentiæ & bonarum artium ſe totum addixit, & Latii cumprimis Veneres eſt exoſculatus. Et cum per aliquot annos apud Grantanos artes liberales addidiciſſet, Iſidis itidem Vadum (quod Oxonii perantiquum nomen eſt) adiit, & in Collegio Chichelegano, loco ad ſtudia opportuno & Bibliothecæ Hunfridinæ vicino, ſedem ſibi delegit, eo ſtudiorum ſucceſſu, ut variarum cognitione rerum contemporaneos ſuos omnes non modo æquaret, verum etiam longo intervallo ſuperaret. Poſtmodum ut penitiorem linguæ Græcæ cognitionem hauriret, famoſam tum temporis Pariſiorum Academiam petiit, & præter ceteros Jacobo Fabro Stapulenſi, Guilielmo Budæo, Paulo Æmilio & Jo. Ruellio, Dioſcoridis interpreti, innotuit, Franciſco Sylvio familiariſſime ſimul uſus. Domum tandem reverſus, linguæ Græcæ, Latinæ, Gallicæ & Hiſpanicæ

Digitized by Google

ſpanicæ valde gnarus, ſacra Theologiæ munia ſuſcepit, & Regi Henrico VIII a ſacello factus, ita Principi erudito carus eſſe cœpit, ut illum non modo Bibliothecæ ſuæ præficeret, verum etiam Antiquarii titulo liberaliſſime donaret. Jam vero clades infanda omnibus monachorum per Britanniam cœnobiis imminebat: cum Lelandus diplomate Regio munitus & viatico amplo donatus mitteretur, ut univerſas per totam late Angliam Bibliothecas perluſtraret, & libros rariores & vetuſtiores, ac imo materiam patriis antiquitatibus illuſtrandis aptam, undique conquireret. Quod ille negotium tanta per ſexennium alacritate eſt executus, tantaque dexteritate, ut exemplaria plurima vetuſtiſſima in Bibliothecam Regiam ejus opera translata, & ingens itidem Collectaneorum copia Trenovantum cum ipſo traducta fuerit. Sed cum his digerendis & perpoliendis ſex fere annos alios Lelandus inſumpſiſſet, deplorando fato & labore forte immenſo tam rude chaos in ordinem redigendi confectus, in phreneſin incidit, & ita etiam exſpiravit, die 18 April. 1552 in Eccleſia S. Michaelis in Querno Londinate ſepultus. Eminent ceterum inter ſcripta ejus, quorum elenchum Hallius vitæ Lelandi ſubjicit, Collectaneorum Volumina IV MSS. in Bibliotheca Bodlejana hactenus cuſtodita, quibus ut Patriæ laudes & gloriam poſteritati, imo ſi fieri poſſet, æternitati commendaret, viribus omnibus eſt anniſus.

ENCHIRIDION STUDIOSI ARABICE CONſcriptum a BORHANEDDINO ALZERNOUCHI, cum verſione duplici Latina, altera a FRIDERICO ROSTGAARD ſub auſpiciis JOSEPHI BANESE, Maronitæ Syri, altera ab ABRAHAMO ECCHELLENSI elaborata; edidit HADRIANUS RELANDUS.

Trajecti ad Rhenum, apud Gulielmum Brœdelet, 1709, 12. Plag. 16.

CLariſſimus Relandus in Præfatione enumerat libros, qui a renatis Arabum literis deſcripti & verſione Latina ornati ſunt. De Arabibus itaque verſa ſunt Opera Avicennæ, Alcoranus, Elementa Euclidis, libelli duo Aſtronomici Venetiis editi, Philoſophus

phus αὐτοδίδακτος, ſive epiſtola de Hai Ebn Jokdhan, Abulfaragii Hiſtoria, Præfationes quædam Maimonidis, Alfragani Aſtronomica, Poema Tograi cum verſione Pocokiana & Goliana, Eutychii Annales, Speculum mundum repræſentans, Locmanni fabulæ, Elmacini hiſtoria, Sjarumia, Tractatus de verborum conjugationibus a J. B. Raimundo editus, Cantica quædam Mohammedica cum verſione Kirſtenii, hiſtoria Timuri (cujus verſionem Golianam MS. exſtare Cl. Editor meminit) Teſtamentum Mohammedis, Geographia Nubienſis, prima capita Canonis Avicennæ, quædam ex Abulfeda, Adagia & Proverbia quædam, Specimen Arabicum a Fabricio editum, ſententiæ Ali, Evangelium infantiæ. Deinde quoque refert ſacri Codicis verſiones, Capita religionis Chriſtianæ Heidelbergæ A. 1583 edita, vitas 4 Evangeliſtarum a Kirſtenio editas, Profeſſionem fidei Chriſtianæ e typographia Medicæa, Bellarmini Catechiſmum e typographia Savariana, aliumque e Medicæa deſcriptum, Grotium de veritate religionis Chriſtianæ, Cebetis Tabulam, quæ partim non in Oriente, partim primitus lingua alia conſcripta ſunt. Quibus addimus narrationes Hariræi, duoque carmina Abulolæ, Erpenii Grammaticæ a Golio adjecta, nec non Alagſaruumiitu in Grammaticam Syntaxeos a Kirſtenio verſum & in locum tertii libri Grammaticæ ſubſtitutum, ut & Maimonidis More Nebhochim, ab Aben Tybbon in Hebræam, & a Buxtorfio in Latinam linguam translatum. Horum numerum auget noſtrum Studioſi Enchiridion cum verſione Roſtgaardiana, quæ vim vocum & phraſium Arabicarum exprimit, & Ecchellenſis, quæ magis Latini ſermonis nitorem ſequitur & paraphraſeos nomen aptius meretur. In opere ipſo varia occurrunt monita, a bonarum artium & ſcientiarum cultoribus obſervanda. Poſtquam de virtutibus diſcenti neceſſariis dixerat, ſuadet, ut quis duos in Academia
p. 35. menſes exſpectet, antequam ſibi Doctorem eligat, quem ante non deſerat, quam prudentiam acquiſiverit. Occaſione ſeligendi
41. contubernalis pii & diligentis, quemvis hominem Mohammedanum naſci, a parentibus vero Judæis Judæum, Chriſtianis Chriſtianum, Gentilibus Gentilem effici, autoritate ſui Prophetæ probat. De grato animo & honore Præceptoribus debito acturus,

rus, Ali Doctoris celeberrimi ſententiam refert, qui ſe ſervum illius, a quo unam literam didicerat, profeſſus eſt, & doctori in ſignum honoris pro una litera mille drachmas deberi judicavit. Ob eundem honorem, januam Præceptoris pulſare diſcentem prohibet, & non ſolum Præceptorem, ſed & ejusdem liberos honorare præcipit. Qua occaſione de quodam celebri Doctore enarrat, quod in templo ſedens ſuosque docens ſæpius ſurrexerit, interrogatusque, quem hoc honore afficeret, reſponderit, ſui Præceptoris filium cum pueris in platea ludere, & ſubinde ad januam templi venire, quem quoties conſpiceret, ex veneratione ſuo Præceptori debita, hoc honore exciperet. Porro librum illotis manibus attingere, aut pedem ſuper eum extendere, aut eum, ex quo diſcimus, aliis libris imponere, nefas eſſe dicit, & de Hulvani Sol Doctorum appellato narrat, quod eam ob cauſam tantam ſibi eruditionem comparaverit, quod nunquam librum niſi cum purificatione in manus ſumpſerit. Præterea mores diſcentium ad honeſtatis regulas compoſitos requirens, dictum Apoſtoli ſui adducit: non ingredi angelum in domum, in qua eſt canis vel imago. Ubi per canem malos mores, per imaginem ſuperbiam, per angelum vero eruditionem intelligi ait. Prima ſtudiorum initia quarto ſeptimanæ die inchoanda eſſe ſtatuit, quod illo luminaria cœli creata ſint, curſumque ſtudiorum ab incunabilis ad ſepulchrum usque eſſe continuandum, Mohammedis teſtimonio confirmat. Mohammedem enim poſt mortem cuidam in ſomno apparuiſſe, & interrogatum, quomodo in ſtatu agoniæ ſeſe habuerit, reſpondiſſe narrat, ſe quæſtionem quandam ſcholaſticam conſideraſſe, & ſpiritus exitum non advertiſſe. Verba Doctorum ſollicite calamo excipienda eſſe monet, & cujusdam, qui calamum uno aureo emerit, meminit. Lectionem Alcorani ſuaſurus, præcipit, ut poſt quamcunque literam ſcriptam dicat: credo in Deum unum, omnia vincentem, unicum, ſolum, verum, non habentem ſocium, & abnego, quod eſt præter eum. Felicem memoriam conſervaturo commendat abſterſionem dentis, potum mellis, bibitionem lactis, munducationem thuris cum ſacharo, & viginti unius uvarum preſſarum rubrarum, quæ memoriam augent & multas infirmitates ſanant. Suas ſententias non ſo-

p. 43.
45.
49.
55.
81.
115.
143.
145.

V lum

p. 113. lum Arabum, ſed & Moſis, & noſtri Salvatoris autoritate
124. munivit. Ita tolerantiam calamitatum in itinere diſcentibus oppido neceſſariam eſſe, Moſen; & tolerandum inſipientium unum, ut adipiſcamur decem, Jeſum Filium Mariæ dixiſſe aſſeverat. Sed veremur, ne utrumque teſtimonium fictum ſit: tot enim imprimis dicta Mahumedis finxerunt, ut ſi omnia ille pronuntiaſſet, multo longior ætas ipſi adſcribenda foret. Ceterum quo in cenſu ponendus ſit hic liber, vel ex his, quæ retulimus, ſpeciminibus, facile intelligitur.

HUGONIS GROTII DE VERITATE RELIgionis Chriſtianæ Editio accuratior, quam recenſuit notulisque adjectis illuſtravit JOANNES CLERICUS, cujus acceſſit de eligenda inter Chriſtianos diſſentientes ſententia Liber unicus.

Amſtelodami, apud Franciſcum van der Plaats, 1709, 8. Alph. 1.

HUGO GROTIUS DE VERITATE RELIgionis Chriſtianæ Editio noviſſima, in qua ejusdem Annotationes ipſius textus verbis ſubjectæ ſunt. Accedunt ERNESTI SALOMONIS CYPRIANI Analecta.

Lipſiæ, apud Jo. Fridericum Gleditſch, 1709, 8. Alph. 1.

NOtior eſt *Hugonis Grotii* de veritate Religionis Chriſtianæ libellus, quam ut de eo hic quædam dici opus ſit. Neque adeo de Amſtelodamenſi editione ſæpius repetita quicquam addendum putamus, niſi ut ea breviter recenſeamus, quæ a Cl. *Clerico* de eligenda inter Chriſtianos diſſentientes ſententia adjuncta ſunt. Probat ſcilicet, non ſufficere, ut Chriſti diſcipuli ſimus, ſed inſuper requiri, ut nos tales eſſe coram hominibus profiteamur, & eos quæramus, qui ejusdem nobiscum

ſunt

Digitized by Google

ſunt ſententiæ, in unum cum iis cœtum coituri. Hunc autem cœtum reliquis præferendum judicat, qui maxime tuetur, quæ Chriſtus & Apoſtoli docuerunt, adeoque tam credenda, quam facienda non urget, niſi quæ vel diſerte in libris Novi Fœderis habentur, vel per neceſſariam conſequentiam ex iisdem ſolis deducuntur, nulla alia præter eos norma admiſſa, quique liberum unicuique judicium de ſententia librorum Novi Teſtamenti relinquit. Neque enim Scripturam eſſe adeo obſcuram, ut non a quovis ſanæ mentis & veri ſtudioſo ſumma religionis Chriſtianæ apud omnes Chriſtianorum cœtus eadem, & ex cujusvis ſeculi ſcriptoribus ſuperſtitibus colligenda, recte ex ea hauriri queat. Quodſi quæſiveris, quinam ſit ille cœtus, ubi præter Novum Teſtamentum nulla fidei formula obtruditur & prædicta libertas relinquitur? nullum in ſpecie nominat, ſed omnes a ſe intelligi putandum eſſe reſpondet, ubi quis illas notas deprehenderit. Addit autem e duabus Eccleſiis, in quibus alioquin æque pure ac caſte Evangelium docetur, eam anteponendam eſſe, in qua Apoſtolica regiminis forma h. e. Epiſcopolis, qualis eſt in Anglia, obtinet. Obtinuiſſe enim proximo poſt Apoſtolos ſeculo, adeoque dubio procul eſſe inſtitutionis Apoſtolicæ. Presbyterianam demum multis in locis Galliæ, Helvetiæ, Germaniæ & Belgii inſtitutam eſſe ab iis, qui ſeculo XII ab eccleſia Romana ſeceſſionem fecerunt, ideo quod Epiſcopi emendationem concedere nolebant. Chriſtianiſmo equidem magis proficuum fuiſſe cenſet, ſi Epiſcopalis forma retenta fuiſſet: quoniam tamen Presbyteriana ſemel introducta ſine turbis mutari nequeat, tolerandam eſſe arbitratur. Sub finem *Henrici de nova Villa* ad *Petrum Hieronymum Barcellinum*, ejusdem ad *Clericum* & *Alexandri Forreſteri* ad *Franciſcum Cholmondelejum* Epiſtolæ leguntur, ex quibus comparet, *Grotium* optime de Eccleſia *Anglicana* ſenſiſſe & in illa, ſi licuiſſet, libenter victurum fuiſſe.

Quod ad Editionem Lipſienſem attinet, vix ea Amſtelodamenſi typi nitore & chartæ elegantia cedit, præterea vero plurimum tum Erneſti Salomonis Cypriani Analectis, in fine additis, in quibus e Patrum aliorumque optimorum Autorum ſcriptis

egregie nonnulla illuſtrat, tum ex eo quoque commendatur, quod Jo. Chriſt. Herzog diligenti cura loca in Notis ab ipſo Grotio citata evolvit, & ſiqua ſe offerebant ſphalmata, ſuſtulit, quemadmodum vel ex præmiſſa Gleditſchii Præfatione ſatis conſtat.

ISAGOGE AD HISTORIAM SACRAM SICULAM; Autore P. OCTAVIO CAJETANO, Syracuſano, S. J.

Panormi, apud Vincentium Toſcanum, 1707, 4.
Alph. 2 plag. 6 cum fig. æn.

DE Sicularum rerum Scriptoribus quædam A. 1708 p. 537 ſqq. *Mongitoris Bibliothecam Siculam* recenſentes diximus. Æqualis illi Bibliothecæ hic fœtus eſt, cui delineando nunc dabimus operam. Non plane novus eſt, quantum ad originem, nam & poſthumum titulus prodit, & unius fere Seculi ſpatio Panormi latuiſſe dicitur in Præfatione. Autor, Octavius Cajetanus, Syracuſis ex nobiliſſima Marchionum Sortini familia A. 1566 prognatus, morum pariter innocentia, ac eruditione conſpicuus dicitur. Molitus is erat *Siculorum Sanctorum juſtam Hiſtoriam*, cui parandæ, duplicem præmittere conſtituerat *Iſagogen, ſacram* ſcilicet & *profanam*, rebus Siculis in univerſum illuſtrandis inſervituram. Morte vero, priusquam edere quicquam poſſet, A. 1620 præreptus, curam hanc reliquit aliis, quam, quantum ad Sanctorum vitas, Petrus Salernus e S. J. in ſe ſuſcepit. Iſagogen Profanam non abſolverat; Sacra, quam A. 1618 conſignavit, nunc datur, cujus eruditionem copioſiſſimam, & ſingularem methodum laudant Editores; nos pro more noſtro quædam inde decerpemus.

Ut ſacram clariori loco ponat Siciliam, de antiqua illius Εἰδωλομανία quædam præmittit a Cap. 3 ad 13. Hanc, cum Japheti ſtirps primum hanc Inſulam incoluerit Eliſa, ut putat, Japheti (vel potius Javanis) filio coloniæ autore, quo longius a Noachi temporibus poſteri receſſerint, eo magis invaluiſſe ſtatuit. Antiquiſſimos in Sicilia idololatras dicit Cyclopes. Dii tamen, qui αὐτόχθονες feruntur & pro antiquiſſimis nobis ſunt cogniti, non ante Phœnicum vel Græcorum in Inſulam adventum

tum videntur ibidem culti, quamvis Phœnices verius ſint quam Græci, quos *Palicos* nominatos eſſe Deos novimus. Reliqua, quæ vel ex variis eo commigrantibus colonis accepere Siculi, vel cum reliquis gentibus fere omnibus habuere communia, vel aliis ipſi quoque dedere numina, ſatis accurato Capite 3 ſtudio recenſentur. Hinc Cap. 4 ad eorundem Deorum ſacra progreditur, quæ in feralia, barbara, turpia & obſcœna, futilia, atque præſtigioſa partitur. Humanarum vero victimarum immolationes in Sicilia tempeſtive ceſſavere, ſub Herculis ſcilicet in Inſulam hanc adventum, qui accidit, ut Chronologi ſupputant, annis ante Chriſtum 1130. Gelo certe cum Carthaginenſibus ea lege pacem iniit, ut liberos Saturno non immolarent. Regnavit autem iſte annis ante Chriſtum fere quingentis. Capite 5 ad Dæmonomantiam explicandam ſe confert, oraculorum apud Siculos & vaticiniorum faciens catalogum. Imprimis jucunda ſunt, quæ de Sibylla, cujus ad Lilybœum adhuc monſtratur antrum, & de Lysſonis Dei diſſerit oraculis. Illa Cumana quibusdam, Erythræa viſa fuit aliis. Cajetanus noſter novam plane, nec ſub Varronianis decem comprehenſam, Sibyllam facit, Siculamque vocat, de antri hujus forma doctiſſime multa obſervans. Lyſſon Deus absque dubio fuit Bacchus, ΛΥΣΩΝ in numis non ſemel inſcriptus. Cap. 6 Necromantiam maxime cum divinationibus ab extis exponit. Cap. 7 miracula Dæmoniaca enumerat, quæ falſa eſſe omnia dicit. Eſt autem ipſi falſum miraculum effectus aliquis, nobis admirandus ex ignoratione cauſarum, ex quibus proveniat; verum contra effectus ſupra creatæ naturæ vires, qui in bonum finem tendat. Curioſa ſunt, quæ C. 8 de divinationibus ex igne & aqua commemorat, ubi cum Cottabiſmi quoque meminit, Theocriti locum ex Pharmacevtr. v. 151:

ἔρωτος
Ἀκράτω ἐπεχεῖτο,

explicat de Cottabo, cum & Scholia, &, quantum ſcimus, interpretes alii de poculis ad nomen amaſiæ ſalutemque ejusdem exhauſtis accipiant; quale Plautus repræſentat in Stich. v. 4:

Bene vos, bene nos, bene noſtrum etiam Stephanium.

Cap. 9 Divinationes ex oſtentis atque monſtris percenſet, totam

Digitized by Google

augurum diſciplinam eo referens, *fulmenque*, quod ara loco tacto ſuperimpoſita procurabatur, *conditum* dictum ex antiqua tabula obſervans, quod conſecratum eſt, ſi credimus Nonio. Cap. 10 divinationes ex homine, membris, imo & actionibus ejusdem, quales ſunt ſternutare, in ſinum deſpuere, &c. Cap. 11 de ὀνειρομαντεία & viſionibus diſſerit; ὀνειρομάντεις autem magos fuiſſe cenſet. Locum inſuper Heſychii emendat, Γαλεοὶ, μάντεις, ἔτοι κατὰ Σικελίαν ᾤκησαν &c. ubi pro Γαλεοὶ, Γαλεότεις (forte Γαλεῶται) cenſet legendum. Cap. 12 ad Ætnæ progreditur incendia, fauces inferni hunc montem aſſerens diſerte, conſtitutumque a Deo propterea, ut æternorum ſuppliciorum ſemper admoneremur. Ignes iſtos, a condito mundo in terræ viſceribus abditos, ſub Idololatriæ initia evomi cœpiſſe, poſt illam autem oppreſſam, detumuiſſe montis furorem, ipſosque, qui prorumperent adhuc, ignes D. Agathæ velo ſæpius reſtinctos. Cap. 13 ne Siciliam quidem prodigiis, quæ Chriſti nativitatem dicuntur anteceſſiſſe vel comitata, vacuam demonſtrat. Collapſum ſcilicet Veneris Erycinæ templum, ipſa nativitatis Chriſti nocte, ut recentior *Hadria de Valle Mazaræ* ſtatuat. Quodſi ἀπόδειξιν non habeat aſſertum, probabile ſaltem eſſe, hoc autem pro certo poſſe affirmari, corruiſſe hanc ædem Auguſti tempore, ſeu ante paulo, ſeu poſtquam Chriſtus naſceretur, illud ſit factum. Eo terræ motu, qui Chriſto moriente factus eſt, magnum vallis hiatum ad radices Neptunii montis factum aſſerit. An vero Tyndaridis urbis, abſciſſæ in ſui medio, hiſtoriam huc, an ad primum A. 3 Tiberii terræ motum referat, ipſi non ſatis eſt expeditum. Cap. 19 fauſta Chriſtianæ religionis in Sicilia declarat initia. Pancratium, dicit, & Marcianum, Antiochenos ex Syria, ubi & A. C. 39 a Petro converſi, præmiſiſſe hunc Apoſtolum ad Siculos, antequam in Occidentem ipſe veniret, ſtatim poſt conſtitutam in Oriente Eccleſiam Antiochenam, ut adeo prima regionum Occidentalium hæc Inſula veritatem agnoverit. Illud, expedita quæſtione de tempore diviſionis terrarum inter Apoſtolos factæ, ipſorumque in illas profectionis, A. C. 40 accidiſſe ſtatuit, & Marcianum adeo Syracuſis, Pancratium apud Tauromenitas Epiſcopatum obiiſſe. Cap. 25 Syracuſis primam prædicatam Evan-

Digitized by Google

angelii doctrinam, ibi templum ad antra Pelopia conſtitutum a Marciano, quod nunc ab inſtauratore S. Gregorii dicatur, vas item marmoreum, quo ad baptizandum ille ſit uſus, adhuc in Maniaciæ arcis ſacello videri edocet. Cap. 16 oſtendit, Apoſtolos in conſtituendis Metropolitanis Eccleſiis, provinciarum ſemper ſecutos Metropoles, quales Alexandria, Antiochia, Epheſus &c. fuerint. Eadem ex ratione cum Metropolis haud dubie Siciliæ fuerint Syracuſæ, primatem etiam inſulæ Marcianum a Petro factum, unde ſubſequentibus quoque temporibus hujus urbis antiſtes Siciliæ Archiepiſcopus *κατ' ἐξοχὴν* ſit appellatus. Obſervant tamen Editores, his de argumentis Autori noſtro rerum Panormitanarum imprimis ſcriptores adverſari. Cap. 17 ſimiles apud Tauromenitas Pancratii ſucceſſus memorat, corruentibus paſſim ſimulacris, obmuteſcentibus oraculis, Xanthippo etiam Philoſopho per viſionem divinitus oblatam hac de prædicatione monito. Cap. 18 Petri Apoſtoli adventum in Siciliam contra *Paulum Æmilium Santtorium* adſtruit, tam ex Sicularum Eccleſiarum traditionibus, quam ex Metaphraſte, ſchedis MSS. Conſtantini Laſcaris, Chryſoſtomum teſtem allegantis, recentioribusque, Vincentio Belluacenſi, Gvilielmo Spirenſi, Galeſinio atque Baronio. Eo tempore varios Eccleſiis Siculis a Petro datos eſſe Epiſcopos, Catanenſisque potiſſimum antiquitatem aſſerit. Cap. 19 pariter Pauli declarat Syracuſas adventum, atque de *Melita* probat erudite, *Maltam*, quæ nunc vocatur, eam eſſe, demonſtrans ex Ptolemæo & Strabone, Siculum etiam mare ſub Adriatici comprehenſum appellatione, Τυφωνικὸν autem ventum per Euroclidonem potius, quam Euroaquilonem verti a Latino Interprete debuiſſe dicens. Monimenta denique, Paulum in hac Inſula divertiſſe teſtantia, dinumerat, qui tanto ibi ſpiritu prædicaverit, ut in proxima Inſula Gaulo exauditus perhibeatur, virtuteque divina effecerit, ut a venenatis animalibus non libera ſolum, ſed & illis adverſa plane nunc ſit Melita. Publium vero, qui *πρῶτος τῆς νήσου* vocatur Act. XXVIII, 7, non Proprætorem, ſed opibus inter Melitenſes eminentem fuiſſe, contra Lorinum defendit. Idem argumentum de Paulo ſequen-

Digitized by Google

ſequentibus aliquot capitibus continuatur, & Cap. 20 quidem accurate ex Chronologicis rationibus annus naufragii Paulini, adventusque in Melitam Siciliamque definitur, quem A. C. 59 ponit Noſter, ſecus ac Baronius, Bedam etiam & Uſuardum potius ſe, quam Annalium ſcriptorem ſequi profeſſus. Traditis inde, quæ Syracuſis & in agro circumjacente per triduum peregiſſe videatur Apoſtolus, Cap. 21 eundem, dum litora legeret Siciliæ, divertiſſe ad illa ſubinde, per traditiones plerumque confirmatur. Cap. 22 Meſſanam Paulum tum veniſſe, penitus falſum affirmat, & Conſtantini Laſcaris futiles nugas, quas in præfatione ad Epiſtolam quandam a Deipara miſſam (ut dicitur) ad Meſſanenſes audacter protulerat, ſolide tum ex S. Literis tum ex temporum rationibus convellit. Cap. 23 Mamertinum fretum, quod infeſtum & latronibus & tempeſtatibus & bellicis veteres narrant, tum trajectu Petri Paulique, tum transvectis per illud Bartholomæi atque Jacobi poſt mortem ipſorum corporibus, nunc plane pacatum affirmat; Bartholomæum autem in Sicilia fuiſſe vivum, contra Wilh. Eiſengremium & Jac. Middedorpium conſtanter negat. Cap. 24 quomodo facto quaſi agmine Viri ſancti ex oris maritimis ad mediterranea Siciliæ perrexerint, fideique doctrinam promoverint, indicatis etiam eorum nominibus, oſtendit; Bucchingerum autem & Gotfridum Viterbienſem confutat, a Carolo demum Magno Siciliam converſam dicentes. Viterbienſem accuſaverat Autor, quod Regis Siciliæ tum baptizati faciat mentionem, cum Orientis Imperatoribus Inſula paruerit. Obſervant tamen Editores, Prætorem Siciliæ Regis nomine ſolitum appellari. Felix Siculorum Chriſtianorum oportet fuiſſe conditio, ſiquidem verum eſt, ſtatim ab initio templis uſos eſſe Chriſtianos, ut Cap. 25 narratur, (niſi ſpeluncæ ſubterraneæ templa ſint autori) quam tamen ſi habuerint, etiam non diu nimis tenuerunt. Cap. 26 enim, quantum a perſecutionibus ſint paſſi, deducitur, reſtitutis denique ſub Conſtantino halcyoniis, quæ cum a Vandalis & Saracenis eſſent turbata, his tandem per Nortmannos ejectis, redierunt. Cap. 27 de ſepulcris martyrum vel ab angelis vel hominibns ſepultorum & ad eadem ſolennitatibus miracu-

Digitized by Google

raculisque tractatur. Cap. 28 de cryptis quibusdam, quas, dubium ipſi ſit, num ad gentiles an ad Chriſtianos referat, diſquirit. Tolletur forte difficultas, ſi promiſcue ſepelitos ob temporum anguſtiam credas. Cap. 29, Thermarum in Inſula, quarum magnus olim ad voluptatem abuſus, hiſtoria continetur, & qua ratione purgatæ ſint per Sanctos a Dæmonibus, illas inſidentibus, exponitur. Syracuſanas Daphne dictas a delitiis putat, pro quibus id vocabuli uſurpetur in numo quodam Conſtantini, qui circa trophæum aliquod habeat inſcriptionem: *Conſtantiniana Daphne*, i. e. Conſtantini delitiæ. Cap. 30 alia refert loca, quibus Dæmones pulſos a confeſſoribus piis aſſerit. Cap. 31, quomodo templa Deorum vel everſa, vel ad veri Numinis cultum conſecrata fuerint, ejectis crucis virtute Dæmonibus, recenſetur. Cap. 32, quantum item Virgo Deipara fidem adjuverit, oſtenditur, ea jam a primis Siculorum Apoſtolis Marciano & Pancratio ſimul cum Chriſto laudata in prædicationibus, quod ex Actis horum SS. Græcis (quæ ipſe tamen Autor ſubleſtæ fidei non ſemel accuſat) probare nititur. Omnia hæc ut & quæ Cap. 33 de antiquo Deiparæ penes Siculos cultu habentur, translata in ejusdem Autoris Tractatum *de illuſtribus Deiparæ per Siciliam ædibus* jam pridem vulgatum dicuntur. Cap. 34 Hæreticos ex Sicilia nunquam prodiiſſe declarat. Porphyrium hæreticum Siculum non fuiſſe, contra Doctores Pariſienſes defendit, & ſi alius is ſit a celebri Philoſopho, cujus habemus ſcripta, neutiquam nominandum addit hæreticum. Fridericum II Imperatorem, in Lugdunenſi Concilio hæreſeos inſimulatum, Eccleſiaſtico ſenſu hæreticum non fuiſſe dicit; quo facit obſervatio noſtra A 1709 M. Dec. p. 533, hæreticos pro rebellibus eo tempore dictos. Ipſius etiam Friderici teſtamentum inſertum huic capiti legas. Cap. 35, quam cito Pelagii hæreſis ſit oppreſſa, quantoque zelo expulſi Judæi, exponitur. Cap. 36 refertur, quam ſtudioſi veritatis divinæ Siculi fuerint, miſſis ad omnia concilia, repetito a Nicæno I ad Tridentinum usque nexu, legatis, ad Arii, Neſtorii, Eutychis &c. errores profligandos. Licet enim ſubſcripſiſſe Nicænis decretis non legantur, Autor tamen, excidiſſe

X Pa-

Digitized by Google

Patrum plerorumque, Occidentalium autem maxime, nomina monet. Cap. 37 Siciliæ urbes Epiſcopali dignitate conſpicuas exhibet, de quarum ætate & dignitate diſſeritur. Syracuſis tribuuntur primæ, contradicentibus tamen *Invegio* & *Pirrho* Panormitanis ſcriptoribus, quin & argumenta pro Syracuſis, ſubjunctis *κατὰ πόδα* reſponſionibus *Canelli*, hic proponuntur. Agitur & de reſtauratis poſt pulſos Saracenos Epiſcopatibus, unde ſuffraganeus nunc eſt Syracuſanus Epiſcopus. Cap. 38, a Romana ſede pependiſſe nullo non tempore Siciliam, demonſtratur, licet CPlitanus Patriarcha nonnunquam illius jura tentaret, titulos uſurpans maxime, ipſis tamen ſedibus ob Saracenorum oppreſſionem vacuis. Cap. 39, qua ratione ditatæ ſint olim Eccleſiæ Siculæ, deducitur. Cap. 40 docetur, in Sicilia ſedem Romanam habuiſſe patrimonium, donec Leo Iſauricus illud eriperet, nunquam reſtitutum, ſupervenientibus poſt etiam Saracenis. Ceterum & donationis formulam, quam ferunt Conſtantini, plane fictam nec extra hanc vel a Conſtantino vel a ſucceſſoribus Siciliam Papæ conceſſam, ſerie continua monſtrat. Poſteaquam vero Leonem Iſauricum Iconomachum omnibus Occidentis provinciis ſpoliaſſet Papa, Romanos ſe Italosque in fidem Romani Pontificis, jurato etiam obſequio, contuliſſe. Siciliam adhuc Orientales tenuiſſe, quæ poſteaquam Carolus M. Imperator fuerit renunciatus, in ejus poteſtatem venerit, a Ludovico deinde Pio donata Pontifici A. 817, ex quo tempore Normannicæ ſtirpis Reges & Duces eam feudatario jure a Papa habuiſſe monſtrantur, quin & poſt Henricum VI Imperatorem Fridericus filius, omnesque ad Philippum III, quem vocat, Hiſpaniæ Regem, inſulæ Domini. Cap. 41 Virginum collegia, per Pancratium apud Jauromenios inſtituta, Eremitas & Monachos jam A. 90 in Sicilia notos, & antiquiſſimos hinc eſſe omnium, contendit. Cap. 42 linguam in Sicilia Græcam ab Eliſa usque, donec Normanni occuparent eandem, obtinuiſſe, poſt quod tempus in ipſa hac Inſula Hetruſcum, quod Italiam univerſam permanavit, idioma ſit effictum. Cap. 43, quomodo recta ſit ab Auguſto inde ad annum 1621 usque Sicilia, prætoria primum provincia, magiſtratibus tamen dictis proconſu-

conſularibus, poſt varias dein mutationes ad Reges Hiſpaniæ devoluta, monſtratur. Denique Cap. 44, quas clades ſubinde Sicilia ſuſtinuerit, usque ad Caroli Andegavenſis tempora exponit, tum quidem Fridericum Auſtriacum Saracenorum claſſem ad ſuppetias ferendas Conradino duxiſſe, affirmans.

TRAITÉ DES CONTRATS DE MARIAge, &c.

i. e.

TRACTATUS DE CONTRACTIBUS MAtrimonialibus, continens epitomen Regularum & Clauſularum in iis caute adhibendarum, ſecundum diſciplinam Provinciarum Gallicanarum.

Pariſiis, apud Damianum Beugnie, 1708, 12.

Alph. 1 plag. 17.

Literis tantum initialibus G. D. T. innoteſcere nobis cupiens Clariſſimus Autor, Advocati perſonam Pariſienſis ultra viginti annorum ſpatium ſuſtinuit. Cumque induſtria illius poſtularetur a multis, qui circa hæc negotia opem ipſius imploraſſent, videretque, ſcientiam hanc articulorum & tabularum nuptialium vel dotalium plus fovere profunditatis ac ſubtilitatis, quam vulgo quidem exiſtimetur, manum ad ſcribendum libellum huncce appulit. Laudat in eo ante omnia eminentiſſimum characterem Conjugii, apud omnes nationes communi conſenſu approbatum. C. 1 Veteres ſane Romanos, utut Gentiles, probe intellexiſſe, non ſubeſſe his actionem aliquam vulgarem, ſed quæ multum habeat myſterii, atque ex Jure Divino ortum trahat, ex ſententia Modeſtini, *L. 1 ff. de rit. nupt.* Doctores deinde Juris Canonici apud Chriſtianos nihil amplius præter dignitatem Sacramenti hic conſideraſſe, anſamque adeo datam fuiſſe Eccleſiæ & Regibus, Gallorum imprimis, determinandi requiſita conjugiorum eſſentialia, quorum numerum ample enarrat Noſter. Quanquam

Digitized by Google

C. 2, vero conſenſus, non contractus faciat matrimonium, omne tamen genus clauſularum, pactionum & conventionum, etiam heredum inſtitutiones & ſubſtitutiones, apud Gallos locum ſuum invenire in tabulis hiſce nuptialibus, dum non repugnent bonis moribus, neque bono publico. Peculiarem etiam hic cerni inviolabilitatem, qualis non occurrat in contractibus aliis, adeo ut nec mutuo partium contrahentium conſenſu, in præjudicium natorum vel naſcendorum, quorum hic velut tertiorum interſit, convelli quidquam, re non amplius integra,

3. poſſit vel debeat. Societatem bonorum inter conjuges expendit deinceps, hodienum apud Gallos receptam, ſecundum jus conſuetudinarium multarum Provinciarum, apud alias tamen, quæ jure Regni ſcripto utantur, non obtinentem. Eſſe vero nihiloſecius in poteſtate neonuptarum, convenire pactionibus, ſocietati illi etiam plane contrariis, facta ſcilicet ſeparatione bonorum, ita ut neutra pars ab altera dependeat circa illorum curam. Sed nec hoc tamen caſu adimi marito adminiſtrationem bonorum uxoris, niſi hanc etiam ſibi illa reſervet. Quodſi etiam facultatem alienandi vel aliter diſponendi de bonis ſuis conceſſerit illi maritus in his pactis, ad ſpeciales tamen actus accedere adhuc debere autoritatem maritalem, judicat Noſter: neque deſinere adeo uxorem eſſe ſub poteſtate viri, cui conventio iſta nequeat obſtare, prohibente Jure Divino & lege publica. Sed & violari alias exiſtimat dignitatem conju-

4. gii ſacramentalem. Ex quarto Capite, quod de Dote agit, juvat annotaſſe, valere utique uxoris renuntiationem ſucceſſionis futuræ, accepta dote a parentibus, propter dubium bonorum circa tempus mortis ipſorum eventum. Dotem autem tunc debere ita eſſe comparatam, ut ſuſtinere queat locum Legitimæ Jure Naturæ ex bonis parentum competentis. Sin minus, legem ipſam inſurgere adverſus talem renunciationem factam, & eam declarare nullam. Atque ideo communi aſſenſu omnium JCtorum, qui hanc doctrinam tractent, pro nulla haberi in Gallia renunciationem factam a Maria Thereſia in contractu matrimoniali, cum moderno Galliarum Rege die 7 Nov. A. 1659 inito. Summam enim ibi in ſtipulationem deductam utique

Digitized by Google

ùtiquè non eſſe proportionatam juribus, quibus *illa* renunciaverit. Imo Philippum IV, Patrem Mariæ Thereſiæ, nihil plane de bonis ſuis, habita ratione hereditatis maternæ, & fratris, Balthaſaris, donaſſe in vim renunciandæ ſucceſſionis in Hiſpaniam, quo caſu nullitas totius renunciationis in aperto ſit. Recitatque Noſter verba pactorum dotalium in illuſtri hac controverſia, cujus momentis fata totius Europæ eventusque armorum jam pridem eſt quod librantur. Moribus C. 5.
porro Galliarum poteſt uxor futura dives in prædiis, ſed carens pecunia aliisque mobilibus, in pactis, de quibus loquimur, partem immobilium mutare per fictionem in qualitatem mobilium, intuitu ſocietatis conjugalis, quod vocant *l' ameubliſſement.* Mortuo marito ſuccedit Duarium Viduæ, *le Douaire,* 6.
ordinatum in iisdem tabulis, veluti penſio alimentaria: etiam aliis populis vicinis ſueta. Aliud deinde eſt *jus præcipui* (*du* 7.
præcipu) viduæ pariter atque viduo ſuperviventi deſtinatum præter portionem ex ipſa ſocietate bonorum debitam, acceditque illud ad naturam Geradæ & Heergewettæ Saxonicæ. Si vero pendente iſta ſocietate alienata ſint quædam ex bonis 8.
alterutrius conjugum, de eo reſarciendo ante omnia, ſi ſolvatur matrimonium, conveniunt: neque juri huic poſſe renunciari. Rurſus etiam viduæ, ſi expreſſe ita ſtipuletur, permit- 9.
titur renunciare, defuncto marito, ſocietati bonorum, ut gaudeat bonis ſuis propriis, & duario, atque præcipuo, liberetur que ab ære illius alieno; quæ renunciatio marito communis non eſt. De iis, qui ad ſecunda vel tertia vota convolant, a- 10.
criter contendit Noſter, ſecundum jura Gallorum, ſi habeant liberos primi matrimonii, eorumque pacta certis ſimiliter regulis includit. Atque hæc omnia tanta libertate ingenii judiciique explicat, ut etiam exteri multa hinc apertius, quam ante, diſcant intelligantque.

EXCERPTA EX LITTERIS GUILIELMI BEST, JCti Batavi, ad J. B. M.

PRo delineatione libelli mei de Ratione emendandi Leges, quam in Actis A. MDCCVIII M. Julio p. 303 non ſine tacita

elogii deprædicatione exhibuiſtis, gratias habeo maximas. Unum hoc admoneo, pag. 307 per errorem typographi editum eſſe: utrum eorum dotalem malit, loco *dotalem eſſe malit*. Non probavi cuncta mea Orbi erudito, neque etiam hoc mihi arrogans ſum pollicitus. Diſſenſere ſermonibus plurimi, epiſtolis nonnulli, ſcriptis, quod ſciam, duo: alter illorum eſt Vir Clariſſimus, Chriſtfridus Wæchtlerus, cujus ἐπίκρισιν ad Caput libelli mei primum Acta M. Novembris A. MDCCVIII p. 513 nobiſcum communicarunt. Gratiſſimum mihi quidem fuit, mea iſto labore digna viſa fuiſſe Viro Clariſſimo, dolui tamen, quod ſolum iſtud Cap. I, in quo præter regulas propoſitas nihil eſt adeo elaboratum, fuerit aggreſſus. Nam non niſi obiter & ſpeciminis loco exempla quædam illic ſunt propoſita. Longe alia ſperans hactenus tacitus ſedi; nunc, quia video nihil ultra moliri Virum Clariſſ. ad ejus Epiſtolam reſpondebo. Præter querelam ſubindicatam, etiam hoc mihi non parum diſplicuiſſe credas, quod me occulte a Viro Cl. in plagii ſuſpicionem adductum videam, ubi minime merebar. Ita ad lectiones a me commendatas in *L. 18 ff. de verb. obl.* in *L. 1 §. 33 ff. depoſ.* in *L. 67 ff. de proc.* ubi ipſe non ſola ratione ſed autoritate quoque aliorum utor, notat etiam alios eadem præmonuiſſe, nec me primum ſcripſiſſe: quaſi vero ego illa pro meis venditaſſem. Conjecturam propoſui de lectione L. *183 ff. de Verb ſign.* nec diſplicuit ea Viro Clar. monet tamen, eo jam collineaſſe Haloandrum, Grotium & Menagium, cum illi *nam* vel *nempe* reponant, ego vero *nomen* loco τοῦ *non*. Video phraſin dubiam: ſed de illa obſcuritate queror. Hæc tamen feſtinationi Viri Clariſſ. non vero malignæ obtrectationi libenter adſcribo. Non nego equidem, nonnullas ex conjecturis meis aliis jam ante in mentem veniſſe: neque aliter fert humani ingenii conditio. In Præfatione ipſe hoc monui. Jam addo, in *L.* 8 §. 2 ff. de pecul. p. 137 etiam Portam edidiſſe *quod alter alteri debet*. Scipionem Gentilem in L. 1 §. 7 ff. ſi quadr. paup. p 229 jam olim emendaſſe *palpatus eſſet*. Tandem in L. 4 Cod. de Crim. expil. hered. p. 251 *domum ſuſcipitur* itidem ante me alios repoſuiſſe, docuerunt me

me Ampl. & doctiſſimi *Bynkershœkii* Obſervationes. Ipſe anteriores lectiones poſt deprehendi. Ad Græcos identidem provocat Cl. Wæchtlerus; laudo inſtitutum. Poteſt tamen φιλελληνεία transverſum agere. Cum quæſtio eſt, an alii, an vero alius in genitivo, ut vocant, ſit legendum, parum apte Græci advocantur, qui habent ἑτέρου. Ipſe autem ignorantiam Græcorum ſum confeſſus; quod etiam a vobis eſt adnotatum. Poſtea accuratius illos conſului, deprehendique, illos aut aperte firmare, aut tacite approbare conjecturas meas aut explicationes de L. 3 §. pen. ff. de minor. p. 79, de L. 14 ff. de fidej. p. 81, de L. 22 ff. ſol. mat. p. 138, de L. 1 ff. de migrando p. 147, de L. 10 §. 20 quæ in fraud. cred. p. 156, de L. 7 §. 2 quib. mod. pign. p. 249, de L. 14 §. 1 de bon. libert. p. 269, de L. 51 pr. ff. locat. p. 275. Iidem nihil omnino proſunt in aliis locis longe plurimis: ſolent enim Græci, omiſſis ſæpe diſputationibus Conſultorum, quæ in Digeſtis habentur, tantum perſpicue & breviter ſententiam eorum proponere. Prorſus autem iidem repugnant emendationi *L. ult. §. 6 ff. quæ in fraud. cred.* Nondum tamen me ab illa dimoverunt. Jam preſſius Clar. Wæchtleri legam veſtigia. Quod Jacobus Gottofredus in L. 5. C. Theod. de reparat. variantem lectionem ne quidem annotaverit, mea parum refert. Exhibet eam Tiliana editio anni 1550, qua tunc utebar. *Nec vacuam* pro nequaquam in L. 78 §. 1 de contr. emt. jam aliis placuiſſe, quod me admoneat Vir doctiſſimus, gratus agnoſco. Illis inventionis laus debita tamen meam regulam confirmabit. An Taurellius in L. 21 §. 2 ff. quod met. cauſ. viderit, alios recte legiſſe per geminationem τοῦ *abeſt*, equidem ignoro. Crediderim tamen, eam ſtatim fuiſſe placituram Viro erudito, utpote ex regula a ſe in præfatione Pandectis præpoſita facillime fluentem. De Græcorum lectione in *L. 1 ff. de ſolut.* jam ora editionis Pacianæ me admonuerat, non tamen perſuaſit Clar. Wæchtlerus: nam utique ſola adſpiratio *haut* pro *aut* rem conficit. Senſum enim eundem habes, quem dabit trajectio vocis *non*. En verba: *Creditor ſolutum debet acceptum ferre in id debitum, quod non eſt in controverſia, haut in illud,*

illud, quod pro alio quis fidejuſſerat &c. Nonne, ad ſenſum quod attinet, plane eadem ſunt cum hiſce: *debet acceptum ferre, non in id debitum quod eſt in controverſia, at in illud quod pro alio quis fidejuſſerat.* Ideoque ego hic adſpirationem præferendam cenſui tranſpoſitioni, quamvis hæc foret magis perſpicua. Neque ego hæſi in *L. 3 §. 2 ff. pro ſoc.* ſenſus enim erat planus, conſtructio impedita, quam ego reponendo *ſit* pro *ſi* facillime explicui. In *L. un. ſi mul. ventr.* ego pro *is* refinxi *ſi.* Cl. Wæchtlero perinde videtur, ſi legas *ei.* Sed major hæc eſt mutatio; quam ideo, licet ad marginem notaretur, ſequi non placuit. Stante lectione vulgata *L. 82 ff. de jur. dot.* verba *& id feciſſe dicatur* poſſent etiam ad uxorem referri; quod tamen, ductoribus Græcis & Cl. Wæchtlero, fieri non debet; ideoque illud *id* mutavi in *is. L. 1 §. 14 ff. de agn. & al. lib.* explicare totam ſcopus meus non fuit; ſed tantum obiter docere, quod illis verbis legis *ceterum ſi eſſe ſatis injurioſum ait* certiſſime corruptis ſenſus reſtituatur *ſi* in *ſic* mutando: quæ ſane medicina fortis eſt. Porta autem edit *ſi ceſſet*, ut poſtea deprehendi. In *L 3 §. 1 ff. ubi pup. educ.* Contio poſthac lectionem illam *ſed ſemper ſic*, a Cl. Wæchtlero edoctus, adſcribam: qui itidem recte Laurentio Theodoro Gronovio tribuit, quod ego errans de Jacobo monueram. Porta & Pariſienſis editio in *L. 15 §. 1 ff. quando dies leg.* plane tollere τὸ *ſi* non dubitarunt, quia videbant id facile poſſe abeſſe. Ego tamen mutationem, quam ſublationem malo. Verum eſt, me in *L. 9 ff. de ſerv. export.* Haloandri lectionem integram non enarraviſſe, ſed ſolum id, quod ad oram Pacianæ editionis erat notatum, attuliſſe. Neque etiam nunc illam, quia nimis a Mediceo codice recedit, probare poſſum, cum mutatio levis τῦ *&* in *ut* rem omnem peragat. Si in *L. 28 §. 1 ff. de lib. leg.* mecum reponas *ut quæque*, ad legata ſola pertinebit quæſtio; ſi retineas *& quæque*, ad alia etiam reſpicias oportet; quod fieri oportere, cum ipſe Vir Clar. neget, non poterit rejici mea emendatio. Quamvis ex *geſſit* difficilius derivetur *geſſit ut* in *L. 41 §. 10 ff. de fid. lib.* malim tamen veſtigia antiquæ manus *geſſit &* reponentis ſequi, quam cum Pariſ.

riſ. ed. infarcire *quod*, cujus veſtigium Florentiæ non extat. Nec conjecturam Viri doct. *quo* emendantis, ſcilicet tempore, damnaverim; idem tamen ſenſus ex vulgata poteſt elici. Quod vero de tempore XIV annorum docent apices Græci, huc non pertinet, ſed ad verba ſequentia *nam alteram conditionem* &c. adeoque ad ſcopum Viri Cl. nihil faciunt. De Martialis loco, ob hariolationem dubitanter propoſitam litigare nolo: poteſt tamen retineri vulgata, cum dictio *&* nonnunquam admirationi inſerviat; cujus rei me admonuit *Cornelius van Eck*, Anteceſſor Trajectinus celeberrimus mihique amiciſſimus. Quod emendationem meam in *L. 100 §. 3 de leg. 3* probet Cl. Wæchtlerus, mihi gratulor. Non tamen ejus explicationi ſubſcribere poſſum: aliud enim eſt ex voluntate teſtatoris rem omnem derivare, ut Labeo; aliud ad materiam vaſorum tantum attendere, ut Proculus, qui proinde non poteſt largiri, tam Labeonis quam Trebatii *omnia vera eſſe*; certe Ulpianus illos commiſiſſe videtur, ſcribens *Proculus vero* &c. In expoſitione *L. 17 §. 1 ff. de adopt.* fluctuat Vir Clariſſimus. Et certe fatendum eſt, illa verba *vel ſanctiſſima adfectione ducti* duriuſcule ad adoptandos referri. Ideoque tentavi, an non longe melius legeretur: *Eorum duntaxat pupillorum adrogatio permittenda eſt*, *quos* (pro *qui*) *vel naturali cognatione vel ſanctiſſima adfectione ducti adoptarent.* Græci, quod verba attinet, nil juvant. Principium enim L. 17 ad finem rejecerunt, in hæc verba compactum, ποθεῖεντες τοὺς ὑπ' αὐτῶν 'επιτροπευομένους. Iidem non diſpulerunt obſcuritatem ex L. 9 § 1 ff. de fund. dot. quæ in ſolis erat verbis. Fluit optime Clar. Wæchtleri emendatio, ſed ego ex verbis *utrum eorum dotalem eſſe malit,* conſultius putavi per unius vocis trajectionem formare *dotalem malit, eſſe*, quam τὸ *malit* retrahere ante *dotalem*. Soleo enim & in re minima eſſe religioſior. Si *alii* in gignendi caſu adeo quibusdam placeat, ego nulli haſce invideo delitias, modo Archaiſmum eſſe fateantur, & quidem adeo *inuſitatum*, ut in libris noſtris non temere alibi reperiatur. Græcos huc non pertinere, ſupra eſt monitum. Bene habet, quod iidem conjecturam meam ſtabiliant

Y in *L.*

in *L. 26 pr. de fideic. lib.* Jam tegat nos eorum auctoritas. An mentem Viri Cl. recte perceperim de Calliſtrati loco in *L. 5 §. 3 de extr. cogn.* dubito. Videtur ille voluiſſe, ut inſerto *quoties*, legatur: *& quoties libertas adimitur.* Sed ita prorſus eadem erit ſententia, quam ego ex Mediceo Codice mutando *id eſt* in *idem eſt*, ut ſæpe fieri ſolet, elicui. Ideoque advenam vocem civitate haud donaverim. Obſcuritas in *L. 3 §. 2 ff. naut. caup.* facile perit, dum legas *ſiquidem exercentes negotium ſuum recipiunt.* Sed ego malim *quo*, quod in textu eſt, mutare in *quando*, quam in *ſiquidem*, ne omnia plane incerta reddantur, & ex quolibet fiat quidlibet fingendi poteſtas. In his verbis *L. 2 C. Theod de inoff. teſt. removeant parentum voluntatem teſtamenta* eſſe gloſſam, inſulſi certe plurimum, puto cuivis facile apparere: non tamen unquam putavi, multum nos ex illo lucrari; neque etiam agebatur de ſalute Græciæ. Hæc habui, quæ ad Clar. Wæchtleri Epiſtolam adnotanda putavi: in quibus neque candorem neque modeſtiam doctiſſimum Virum deſideraturum ſpero. Quod ſi etiam reliquum libelli mei corpus examine ſuo dignum judicare velit, rem præſtabit mihi ſane gratiſſimam, & majoris cujusdam momenti.

Alter autem ex duobus illis, qui etiam ſcripto diverſas a meis prodiderunt opiniones, quoniam video ſub manum opus creviſſe, quisnam ſit, nondum effari puto ſatius: ſi enim absque rationibus ullis nomen nudum impugnare iſthoc pacto auderem, non dubito, quin multum detrimenti cauſa noſtra foret paſſura: quapropter illa differam, donec vobis hæc non diſplicuiſſe intellexerim.

DISSERTATIONE DELLE MORTE IMPROVISI.

i. e.

DISSERTATIO DE MORTIBUS IMPROVISIS, in qua judicium de capillamentis atque acidis fertur; una cum diſcurſu de Nutricum electione; Autore ANTONIO NICOLAO BERNABEO, Picentino, Philoſopho & Medico Romano.

Roma

Romæ, apud Franciſcum Gonzagam, 1708, 4
Plagul. 18 $\frac{1}{2}$.

QUamvis apoplexia Romæ A. 1694 & 1695 ſatis deprehenderetur frequens, frequentior tamen, quæ A. 1706 ibidem fuit, nobiliſſimo noſtro Autori non minus, ac celeberrimo *Lanciſio*, cujus *de Mortibus ſubitaneis libros duos* A. 1708 *Menſe Aprili* recenſuimus, anſam præbuit in mortium improviſarum cauſas inquirendi. Cum vero pro hiſce detegendis *Lanciſius* laudatus multos incidi curaverit, ex omnibus eandem apoplectici ſexagenarii ac plethorici Anatomen, quam nos pariter Menſe allegato p. 177 transſcripſimus, Noſter ita commemorat, ut non ſolummodo rupturam venæ cavæ propo dextram cordis auriculam, ſed & aliorum vaſorum ſanguiferorum cerebri meningum indigitet, hæſitetque, an non vaſorum ejusmodi rupturæ, a ſe quoque in tribus ſubjectis obſervatæ, ſpaſmis potius, ſub mortis articulo contingentibus, debeantur, quod in corporibus athleticis, dum ex improviſo moriuntur, humores corroſivi erodentes abundare videantur atque cauſæ morborum, tum chronicorum, tum acutorum, adeoque mortium itidem ſubitanearum, in ventre infimo latere. Præcipiti quippe morte ſublatorum pro trium ventrum diverſitate tres conſtituens claſſes, in prima harum eos collocat, qui ex ſyncope ſtomachica deceſſerunt, qualesque plures ex plebe fuere, vitio nunc ciborum & aeris, nunc etiam remediorum mercurialium, antimonialium aliorumque propter luem Gallicam copioſe ingeſtorum, & ex diverſorum ſalium in viſceribus occurſu motus varios convulſivos, vaſorumque ſanguiferorum compreſſorum interventu aneuryſmata, polypos, rupturas, ulcera, ſimilesque morbos organicos excitantium. Mortem talem improviſam a doloribus totius, & maxime ventriculi præſagiri, exemplo alicujus ſexagenarii confirmat, menſe Aprili A. 1706, ubi ſanus ſurrexiſſet, ex parco aquæ vitæ hauſtu graviſſimis ventriculi doloribus correpti, ut panni calidi regioni epigaſtricæ admoti haud impedire valuerint, quo minus ſudor frigidus

Digitized by Google

ex facie cadaveroſa erumperet, ipſeque animam efflaret. Neque dubitat, quin tum repentinæ mortis cauſa in abdomine hujus cadaveris, quemadmodum aliorum, ſpeciatim in ventriculo, liene, hepate, ac folliculo fellis, cultro anatomico potuiſſet reperiri; fatetur quippe, ſe ipſum binis jam vicibus ex ſyncope ſtomachica pedem alterum in cymba Charontis habuiſſe. Altera hinc claſſe omnes complectitur, qui ex catarrho ſuffocativo, ab humorum nimiorum vel acidorum in pulmonibus ſtagnatione ſuborto, celeriter perierunt; tametſi duo viri, eques alter, ſummo loco natus, alter artifex opulentus, A. 1705 ejusmodi catarrho idiopathico per promtam & largam venæ ſectionem fuerint liberati. Ultimam denique claſſem ab apoplexia vera jugulatis conſecrans, ante omnia ipſam apoplexiam in catarrhum ſuffocativum aliquando mutari, exemplo equitis, in ſexageſimo quarto ætatis anno conſtituti edocet, utpote qui menſe Martio A. 1706 a primo quidem inſultu apoplectico pulveris cornachini atque veſicatoriorum uſu, ut & ab altero, die quarto revertente, poſt venam jugularem inciſam, fuerit excitatus, ſed mox tribus poſt horis a ſuperveniente catarrho ſuffocativo exſpiraverit, cum die ſecundo, quo febris acuta cum facie humida acceſſerat, omnem ſaguinis miſſionem reſpuiſſet. Stertor ſiquidem, cum ſolitaria etiam combinatus apoplexia, ex qua pater Autoris a brevi itinere in radiis ſolaribus confecto A. 1680 menſe Septembri defecit, ſpirituum animalium motui intercepto adſcribitur. Tum de apoplexiæ non modo diſquiritur cauſis, ſed &, cur apoplexiæ frequentius, quam alii morbi, irruant, curque tales Romæ potiſſimum, quam alibi, crebriores obſerventur. Nempe quicquid motum ſanguinis, a quo ſpiritus animales in cerebro pro ſenſatione ac motione ad nervos ſecerni ſolent, valet lædere, illud æque ac quod ſpirituum animalium ſecretionem imminuit aut tollit, motumve per nervos intercipit, cum *Malpighio* pro apoplexiæ, ſenſum & motum cito inhibentis, reputatur cauſa, atque cum *Bellino* ad ſolam compreſſionem vaſorum, glandularum cerebri aliarumque partium animalium revocatur. Ut mors tamen repentina tales excipiat cauſas, hæ non quales-

qualescunque verum fortes ac violentæ requiruntur cum inſtrumento exquiſitæ ſenſationis motuque celeri ac impetuoſo, inſtar motuum convulſivorum, in ſyncope, catarrho ſuffocativo & nervorum impedimentis concurrentium; uno verbo, æquilibrium omne ſpirituum animalium & ſanguinis, in quo vita conſiſtit, tollentes. Quæ enim ab iſtorum fluidorum æquilibrio, ſaltem plus minus imminuto, in cerebro paralyſes, motus convulſivi, epilepſiæ, in corde autem ſyncopes, dolores cardiaci & palpitationes originem habent, ideo diu aliquando protrahuntur, quod motus pectoris & cordis, ceu muſculis antagoniſtis deſtitutus, paucioribus ſpiritibus animalibus *Bellino* perhibeatur indigere, adeoque in multis quoque apoplecticis ex ipſa ſtructura cordis & arteriarum pulſus non febrilis, ſed rarus & æqualis advertatur. Apoplexia vero quo malum evadat univerſale, populare & ſporadicum, univerſalis oportet accedat cauſa, quæ vel ſola, vel cum aliis complicata univerſalem producat effectum, qualis aer venditatur, omnis generis effluviis, præſertim bituminoſis, ſulphureis, arſenicalibus, vitriolicis, ſimilibusque occaſione terræ motuum exhalantibus, Romæ turgidus, e diverſo aliis, quibus nix putredinem arcens efficitur, plane privatus, prout nix per plures quam duodecim annos atmoſphæra Romana exulaverit. Et licet aer omnibus corporis partibus, & ſolidis, & fluidis, ſeſe inſinuans, pro harum diverſitate, modo catarrhum ſuffocativum, modo ſyncopem ſtomachicam vel cardiacam, modo apoplexiam inferendi extiterit aptus, hanc nihiloſecius tanto crebrius provocaſſe aſſeritur, quanto promtius tenerrima filamenta cerebri, tanquam ſenſorii communis, ab heterogeneis atmoſphæræ corpuſculis queant lædi, quantoque majorem etiam tales aeris moleculæ obtineant habitudinem cerebrum potius, quam aliam partem lædendi. Nec in aliam cauſam, quam ſingularem aeris Romani conſtitutionem, ratione camporum circumſitorum, Tiberis transfluentis, multorum locorum paludoſorum, ventorum auſtralium, &c. rejicitur, quod apoplexiæ ſæpius Romæ, quam alibi occurrant, infantium jamjam capitibus diſpoſitione ad epilepſiam & apoplexiam

Digitized by Google

xiam eo majori inducta, quo minus cruſtæ lacteæ, infantes ab epilepſia alias æque præſervantis, ac fonticulus nuchæ inuſtus, Romæ concedatur egreſſus. In præſervationis demum gratiam ignibus ſalutaribus, inhabitationibus locorum ventis occidentalibus expoſitorum, odoriferis, nicotianæ ſub forma ſive pulveris ſternutatorii, ſive fumi, ſive maſticatorii, adhibitæ uſu moderato, hauſtuque matutino vel liquoris alicujus ſpirituoſi parco, cum pane bis cocto, vel potus coffee, thee, ſalviæ, ſuccolatæ &c. aer tam corrigi præcipitur, quam caput roborari totumque corpus recte ſuſtentari. Etenim robur capiti promittitur, ſi parum Theriacæ, Mithridatii, Diaſcordii, Confectionis de Hyacintho vel Alkermes cum pulvere Radicis Valerianæ, Cinnabaris nativæ, ſuccini &c. ſub noctem aſſumatur, ſingulisque menſibus pilulæ de ſuccino Cratonis interponantur, capiti autem calvo ita capillamentum mundum commendatur, ut varia ſimul perſtringantur damna, quæ ex coma falſa in nobiles pariter ac plebejos ſoleant redundare. In diæta vero dum conveniens victus affectuumque animi regimen cum purgatione vernali & autumnali injungitur, abuſus quidem vini cocti, aquæ vitæ, vinorum acidorum atque aquæ per canales plumbeos fluentis, declaratur nocivus, nonnullorum tamen acidorum uſus ſimul vindicatur, veluti humores bilioſos, corroſivos aliosque acidos ſalutariter corrigentium, quemadmodum in moniali quadam, humorem in ore ſæpius acidiſſimum & vitriolicum percipiente, non niſi acetum profuerit, lapilli autem cancrorum nocuerint. Ceterum primis, tam improviſæ mortis, quam vitæ longæ, ſtaminibus a lacte reſultantibus, quod infans, & in utero, & a mammis matris aut nutricis haurit, in Diſcurſu adjecto qualitates nutricis, cui infans nutriendus imprimis debeat committi, exponuntur. Talis videlicet præ aliis eligitur nutrix, quæ probis ſit moribus, non timida, nec iræ aut vino dedita, vidua potius, quam marita, modicis minusque duris prædita mammis, puſtulis, ulceribus, fluore albo, lippitudine oculorum aliisque morbis haud fœdata, neque infra viginti, neque ſupra triginta ætatis annos conſtituta; quæ bis, aut ſaltem non plus, quam quinquies pepererit, cujusque partus ultimus duos aut tres menſes non

ſes non ſuperet; quæ ſedulam quidem nutritionis & ſanitatis infantis gerat curam, non omni tamen momento hunc mammis admoveat, ſed ipſa victum & potum noxium evitans, in inquietudinis ac planctus tenelli cauſas ſedulo inquirat ac potiſſimum caveat, ne cruſtæ lacteæ eruptionem impediendo, pulmentum maturius ingerendo, liberioremque artubus motum citius permittendo lactantem lædat puſillum.

SPECIMEN ARCHIMEDÆUM, QUO FERDINANDUS ERNESTUS Comes ab HERBERSTEIN cuicunque Sphæræ datæ inſcribit cylindrum rectum, habentem ad ipſam Sphæram eam proportionem, quam coni æquilateri eidem Sphæræ inſcripti ſuperficies ad ſuperficiem Sphæræ.

COnſtat Orbi Geometrico, quanta facilitate & perſpicuitate conterraneus meus, magnum illud Geometriæ lumen, R. P. Andreas Tacquet, e Societate JESU, tum Euclidis Elementa, tum ſelecta ex Archimede Theoremata demonſtraverit, abſolutiſſimis his lucubrationibus id conſecutus, quod Geometra neque Euclidi ſecundus, nec impar Archimedi deprædicari mereatur. Utut autem methodus a Viro hoc acutiſſimo adhibita prorſus ſingularis ſit ac elegans; negari attamen nequit, ductu analyſeos breviori nonnunquam ſemita ad veritatis agnitionem perveniri. Ut enim demonſtretur, ſuperficiem Sphæræ, ſuperficiei cylindri quadrati Sphæræ inſcripti eſſe duplam (quod ipſum laudatus P. Tacquet Prop. inter ſelectas Archimedæas 33 eleganter præſtat) ponatur




Fig. 1 Sphæræ circulus maximus $AECDFB = x^2$. AB latus quadrati ABCD circulo inſcripti $= a$, erit proinde $EF = \sqrt{2a^2}$, & circulus ſuper AB deſcriptus $= \frac{x^2}{2}$, ipſa vero Sphæræ ſuperficies $= 4x^2$. Cumque Prop. 12 inter ſelectas pro priori demon-

demonſtrata ſit hæc analogia: $\frac{1}{4}$:a ſeu 1: $4 = \frac{x^2}{2}$: $2x^2$, unica illatione innoteſcit, & cylindri quadrati ſphæræ inſcripti ſuperficiem eſſe $= 2x^2$, & ſphæræ ſuperficiem $= 4x^2$, cylindricæ hujus ſuperficiei eſſe duplam.

Pariformiter demonſtrata ſemel vi Prop. 35 hac veritate: Hemiſphærii nimirum ſuperficiem ad ſuperficiem coni maximi inſcripti eam habere rationem, quam in quadrato Diameter ad latus, immediata ſequela infertur, eandem Hemiſphærii ſuperficiem eſſe ad coni ſimilis circumſcripti ſuperficiem, ut latus in quadrato ad Diametrum; Eſto enim




Fig. 2. ſuper Diametro L M deſcriptus ſemicirculus ſphæræ maximus $= x^2$. GI $=$ a. ſuperficies coni recti GKI $= y^2$. erit proinde ſemicirculus ſuper GI deſcriptus $= 2x^2$. GK $= \surd \frac{a^2}{2}$. ſuperficies Hemiſphærii minoris $= 4x^2$. majoris vero $= 8x^2$. cum igitur, a: $\surd \frac{a^2}{2} = 8x^2$: y^2, erit dimidiando antecedentes $\frac{a}{2}$: $\surd \frac{a^2}{2} = 4x^2$: y^2. Q. E. D

Iisdem porro manentibus facile demonſtratur ſphæram ad quadratum rhombum conicum ſibi circumſcriptum & ſuperficie & ſoliditate eam proportionem habere, quam in quadrato latus ad Diametrum; cum enim ſit, $\frac{a}{2}$: $\surd \frac{a^2}{2} = 4x^2$: y^2, erit duplicando conſequentes $\frac{a}{2}$: $2\surd \frac{a^2}{2} = 4x^2$: $2y^2$. & quadrando, $\frac{a^2}{4}$: $2a^2$ ſeu, $1:8 = 16x^4$: $4y^4$. hincque 1: $\surd 8 = 4x^2$: $2y^2$. & duplicando antecedentes 2: $\surd 8 = 8x^2$: $2y^2$. præterea, cum ſphæræ ſuperficies ſit $= 8x^2$, baſis vero coni $= 4x^2$ erit ſphæræ ſoliditas $= x^2 \surd 8\frac{a^2}{9}$ ſoliditas vero rhombi quadrati circumſcripti $= \frac{4ax^2}{3}$, atque adeo,

$\surd \frac{8a^2}{9}$: $\frac{4a}{3} = x^2 \surd \frac{8a^2}{9}$: $\frac{4ax^2}{3}$.

Lubet hic quoque inſignis illius Theorematis, ab Archimede tantopere æſtimati, ut tumulo ſuo ſphæram cylindro inſcri-

ſcriptam apponi voluerit, veritatem, cylindrum nempe rectum, Sphæræ, cui circumſcribitur, & ſoliditate & ſuperficie tota eſſe ſeſquialterum, analytice demonſtrare: poſitis itaque




Fig. 3 $NP = 2r$ $NO = NQ = OR = r$. circulo Radio NO deſcripto $= x^2$, erit cylindri ex circumvolutione Rectanguli NPQS geniti ſoliditas $= 2rx^2$, ſoliditas vero Sphæræ $= \frac{4rx^2}{3}$. Ergo, $2r : \frac{4r}{3} = 2rx^2 : \frac{4rx^2}{3}$.

Sed, $2r : \frac{4r}{3} = 3 : 2$, eſt igitur cylindrus rectus Sphæræ, cui circumſcribitur, ſoliditate ſeſquialter; cumque quarta pars Diametri Baſeos ſit ad cylindri latus, ut ipſa Baſis, ad cylindri ſuperficiem ſecluſis ipſius Baſibus, in cylindro autem genito ex circumvolutione Rectanguli NPQS. Diameter Baſeos æquetur lateri NP, eritque $\frac{2r}{4} : 2r$ ſeu $1 : 4 = x^2 : 4x^2 =$ ſuperficiei cylindri demtis Baſibus: quibus proinde additis, emergit tota cylindri ſuperficies $= 6x^2$ habens ad Sphæræ ſuperficiem $= 4x^2$ Rationem ſeſquialteram.

Pari facilitate oſtendi poteſt, ſuperficiem Sphæræ ad totam Coni Æquilateri ſibi inſcripti ſuperficiem eam proportionem habere, quam 16 ad 9; ponatur enim





Fig. 4 Radius $ZY = a$. circulus ſuper TW deſcriptus $= x^2$. Coni Æquilateri TXW ſuperficies demta Baſi $= y^2$: erit itaque $TW = \sqrt{3a^2}$ & circulus $TXWZ = \frac{4x^2}{3}$. atque hinc Sphæræ ſuperficies $= \frac{16x^2}{3}$, & quia TV eſt ad TW ut circulus ſuper TW deſcriptus ad Coni Æquilateri ſuperficiem excluſa Baſi, erit $\sqrt{\tfrac{3}{4}a^2} : \sqrt{3a^2} = x^2 : y2$ & quadrando $\frac{3a^2}{4} : 3a^2$ ſeu $1 : 4 = x^4 : y^4$ & $1 : 2 = x^2 : y^2 = 2x^2$. unde tota Coni Æquilateri ſuperficies eſt $= 3x^2$, hincque $\frac{16}{3} : 3$ ſive $16 : 9 = \frac{16x^2}{3} : 3x^2$. quo


Digitized by Google

præcognito, Speciminis Archimedæi hoc pacto abſolvetur.




Conſtructio. Sit Fig. 5 Semicirculus ACBD datæ Sphæræ maximus: ſecetur ejus Diameter AB. quadrifariam in E & F. erectisque normalibus EC. FD. connectantur puncta C & D. Recta C D. Dico Sphæram genitam ex circumvolutione ſemicirculi ACDB, ad cylindrum ex ſimultanea circumvolutione Rectanguli CEDF genitum eam proportionem habere, quam 16 ad 9; Eſto enim $AG = EF = CD = r$, circulus Radio CE deſcriptus $= x^2$. erit igitur $AB = 2r$. $AE = \frac{r}{2}$. $EB = \frac{3r}{2}$. $EC = \sqrt{\frac{3r^2}{4}}$; circulus autem Radio AG deſcriptus $= \frac{4}{3}x^2$. cylindri proinde ſoliditas erit $= rx^2$; ipſa vero Sphæra $= \frac{16rx^2}{9}$: eſt autem $\frac{16r}{9} : r$. ſive $16:9 = \frac{16rx^2}{9} : rx^2$, habet igitur cylindrus determinatus ad Sphæram datam eam Proportionem, quam tota Coni Æquilateri eidem Sphæræ inſcripti ſuperficies ad ſuperficiem Sphæræ. Q. E. F.

Mantiſſam adjicio circa determinationem Rationis, quam Sphæræ ſuperficies habet ad ſuperficiem conicam, eidem Sphæræ inſcribi poſſibilium maximam, occupatam: indubitatum autem eſt, hanc ſuperficiem obtineri, ſi Triangulum Rectangulum Fig. 6 HLK. ſub cujus hypothenuſa HL. & latere LK comprehenſum ſit Rectangulum poſſibilium maximum, ſui circumvolutione conum deſcribere concipiatur; quod ipſum Triangulum hoc pacto determinatur; poſitis nimirum



$HI = a$ Rectangulo omnium poſſibilium maximo $= y^2$. $HK = x$. hincque $KI = a - x$ $KL = \sqrt{ax - x^2}$ & $HL = \sqrt{ax}$, erit $\sqrt{ax}\sqrt{ax - x^2} = y^2$. & quadrando $a^2x^2 - ax^3 = y^4$. quare $2a^2xdx - 3ax^2dx = 4y^3dy$. atque adeo

adeo $\frac{2a^2x - 3ax^2}{4y^3} = \frac{dy}{dx} = \frac{o}{dx}$. unde $2a^2x - 3ax^2 = o$. pro. indeque $2a^2x = 3ax^2$ & $\frac{2a}{3} = x$. Eſt igitur KI $= \frac{a}{3}$. KL $= \sqrt{\frac{2a^2}{9}}$ HL $= \sqrt{\frac{2a^2}{3}}$. ponatur ſuperficies conica $= \omega^2$. circulus Sphæræ maximus Radio HM. deſcriptus $= z^2$. eruetur itaque circulus Radio KL deſcriptus, ſi fiat $\frac{a^2}{4} : \frac{2a^2}{9}$ ſeu $9 : 8 = z^2 : \frac{8z^2}{9}$ quibus poſitis, eſto Triangulum Rectangulum OPQ






Fig. 7, cujus unum latus PO alterius OQ ſit ſubquintuplum, fiat porro Fig. 8 OR æqualis PQ, ducaturque Recta RP. Dico, ſuperficiem ſphæræ ad ſuperficiem coni ex circumvolutione Trianguli Rectanguli HKL geniti eam habere proportionem, quam PR ad duplam OP. cum enim ex demonſtratis ab Archimede ſit $\sqrt{\frac{2a^2}{9}} : \sqrt{\frac{2a^2}{3}} = \frac{8z^2}{9} : \omega^2$, erit quadrando $\frac{2a^2}{9} : \frac{2a^2}{3}$ ſeu $1 : 3 = \frac{64z^4}{81} : \omega^4$. atque adeo: $1 : \sqrt{3} = \frac{8z^2}{9} : \omega^2$ & $1 : \sqrt{3} = 8z^2 : 9\omega^2$: hincque $\frac{1}{2} : \frac{1}{9}\sqrt{3} = 4z^2 : \omega^2$, & quadrando $\frac{1}{4} : \frac{3}{81}$ ſeu $27 : 4 = 16z^4 : \omega^4$, ac proinde $\sqrt{27} : 2 = 4z^2 : \omega^2$. Sed PR ad duplam OP eſt ut $\sqrt{27}$ ad 2: aſſumpta enim OP pro unitate, erit PQ $=$ OR $= \sqrt{26}$, hincque PR $= \sqrt{27}$. Quare ut PR ad duplam OP, ita ſuperficies ſphæræ ad ſuperficiem coni ex circumvolutione Trianguli HKL. geniti. Q. E. D.

C. A. H. CONJECTURA CRITICA DE PHIloſophumenis, quæ ſub ORIGENIS nomine & a pleriſque laudantur, & a Cl. GRONOVIO edita ſunt Tomo X Theſauri Antiquitatum Græcarum.

O*Rigenem* hujus libri Autorem haberi poſſe, a Cl. *Wolfio*, qui libellum iſtum cum doctiſſimis annotationibus ſeparatim edidit, merito adverſus Celeb. *Gronovium* negatur, eo potiſſimum argumento, quod inter *Origenis* ſcripta, ſive edita, ſive *ἀνέκδοτα*, ſive deperdita, nulla fiat illius libri mentio. Alii proinde eruditi Viri inſpiciendos ſibi putarunt deperditorum librorum titulos, eo conſilio, ut inde verum Autorem probabili conjectura aſſequerentur. Sed nemini res ex voto adhuc ſucceſſit. *Huetii* enim de *Epiphanio* & *Galei* de *Aëtio* conjectura firmis rationibus a Cl. *Wolfio* rejecta eſt. Lectori igitur artis criticæ intelligenti expendendum relinquo, quantum roboris inſit meæ ſententiæ, qua *Didymo*, celeberrimo illi ſcholæ Alexandrinæ theologicæ præfecto, libellum illum aſſertum eo. Id ut rite fiat, primum obſervo, verum illius libelli titulum eſſe: Ἔλεγχος κατὰ πασῶν αἱρέσεων, *Refutatio hæreſium omnium*. Uti enim ipſum hoc argumentum in procemio & concluſione hujus libri perſpicue indicatur: ita & ipſe ille titulus ab ipſo Autore proponitur ſtatim *prima pagina* editionis *Wolfianæ*. Recte & *Mabillonius* in *Muſeo Italico* T. I P. I p. 168 MStum hunc codicem, quem *Gronovius* deſcripſit, occaſione Bibliothecæ Laurentianæ commemorans, vocat *librum contra ſectas & hæreſes, ſed mutilum ab ea parte, qua refutationem continebat*. Scriptum autem eſſe iſtum librum cum ſequentibus, qui jam deſiderantur, contra hæreticos in eccleſia Chriſtiana, non contra ſectas Philiſophorum, quippe ex quibus tantum hæreſium incunabula deducere Auctor conatus eſt, indidem patet, nempe & ex procemio ſuperſtitis libri & ex concluſione. Porro eundem Autorem antea ſcripſiſſe breviorem libellum *de dogmatibus hæreticorum*, perſpicue ipſe indicat in procemio *pag*. 7 hiſce verbis: ὧν (ſubaudi, *hæreticorum*) καὶ πάλαι μετρίως τὰ ΔΟΓΜΑΤΑ ἐξεθέμεθα. Jam vero dilucide probabo, *Didymum* illum & de hæreticorum ſectis copioſius, & de dogmatibus eorundem ſtrictius ſcriptis libris egiſſe.

Hoc primum aliorum, deinde & ipſius *Didymi* firmabo teſtimoniis. *Hieronymus*, qui aliquo tempore diſcipulus *Didymi*

dymi fuit, in *Catalogo Scriptorum eccleſiaſticorum cap. CIX* diſerte refert, *Didymum* ſcripſiſſe librum *de Dogmatibus. Theodoritus* quoque *lib. IV Hiſt. Eccl. cap. 29* commeminit, *Didymum* libros *Dogmatum* edidiſſe adverſus hoſtes veritatis. Sed audiamus ipſum *Didymum*, cujus *libros III de Spiritu Sancto*, ab *Hieronymo* verſos, inter hujus Opera *Tomo IX editionis Fridericianæ* reperire licet. Hic *libro II p. 332* hæc leguntur: *Ex quibus oſtenditur, eſſe Spiritum Sanctum creatotorem, ut jam in DOGMATUM volumine breviter oſtendimus. Breviter*, inquit: plane ut in *Philoſophumenis p. 7*: ΜΕΤΡΙΏΣ τὰ δόγματα ἐξεθέμεθα. Porro idem *Didymus* bis *libro primo* teſtatur, ſe copioſius & liberius ſcripſiſſe *contra ſectas* ſive *hæreſes*. Ita enim p. 323 ſcripſit: *Quod autem ab aliis capiatur Spiritus Sanctus, & alia non capiat, & nunc & in SECTARUM volumine, prout potuimus, expreſſimus.* Et prorſus in fine ejusdem libri: *Spiritus Sanctus*, inquit, *non accipiens aliunde ſapientiam, dictus eſt ſpiritus ſapientiæ. Hoc enim ipſum, quod ſubſiſtit, ſpiritus ſapientiæ eſt, & natura ejus nihil aliud eſt, niſi ſpiritus veritatis & ſpiritus DEI: de quibus jam ABUNDANTER in SECTARUM volumine diſputavimus.* Ex quibus verbis primum id efficitur, quod ex ſilentio *Hieronymi* in *Catalogo* non poſſit argumentum duci, ut negetur, *Didymum* de ſectis ſive adverſus hæreticos ſcripſiſſe. Ut enim omittam, *Hieronymum* in aliorum quoque libris recenſendis interdum unum alterumque prætuliſſe: hoc unum ſufficit, quod ipſe id *Didymus* fatetur, & iis quidem libris, quos, niſi *Hieronymi* diligentia fuiſſet, haberemus. Deinde & hoc ex ſuperioribus colligo, libros illos *Didymi* de ſectis oppoſitos fuiſſe omnibus hæreticis ea tempeſtate notis, eosdemque amplos & copioſos fuiſſe, ut adeo minima eorum pars ad nos pervenerit. Quapropter & *Caspar Barthius Adverſar. lib. LIV cap. 10* recte *Volumen illud Dogmaticum Didymi* ab ejusdem *contra ſectas* libris diſtinguit. Contra doctiſſimus *Dupinius* omnino in errore verſatur, cum in *Bibliotheca Auctorum eccleſiaſticorum Tomo II p. 223 (edit. Lat.) Didymi* librum *de Dogmatibus* cum ejusdem *de ſectis* opere manifeſto

 confun-

confundit. An vero ex alteruiro *Didymi* libro depromta ſit ſententia illa *Pythagoræ*, quam ex *Epitome Didymi* producit *Stobæus* p. 557, (edit. Geſneri A. 1543) me fateor ignorare. Quod idem mihi dicendum eſt de alio *Stobæi* loco, quem ex *Didymi de Sectis* opere affert, teſtibus *Jonſio lib. III de Scriptor. hiſt. Philoſ. cap. 2 p.221*, & *Scheffero de Philoſ. Ital. cap. I p. 3* & *cap. VI p. 38*. Neque hunc locum in Stobæo mihi, quanquam diligenter inveſtiganti, invenire licuit. Illud tamen agnoſco, majori veroſimilitudine locos illos *Stobæi* noſtro *Didymo* tribui, quam alteri *Didymo Alexandrino* Grammatico, cujus librum περὶ Πυθαγορικῆς Φιλοσοφίας memorat *Clemens Alexandrinus* libro primo *Stromatum*. Hic enim, ut ex allato titulo patet, non de ſectis in univerſum ſcripſit: quod vero a noſtro Didymo factum eſſe, tam firmiter probatum exiſtimo, ut, qui negare id auſit, loqui contra Solem videatur.

Verum ut pergam in afferendis iis, quæ faciunt ad vulgata illa a *Gronovio* & *Wolfio* Φιλοσοφέμενα *Didymo* vindicanda, ipſe hic libellus non contemnenda ſuppeditat indicia. Primum enim magna ex eo libro elucet Hiſtoriæ Philoſophicæ peritia. Atqui *Didymum* ejus fuiſſe imprimis gnarum, *Sozomenus* teſtatur *lib. III Hiſt. Eccl. cap. 14*, *Didymum*, ſcribens, *Philoſophorum opiniones accurate percalluiſſe.* Quem ſequitur Nicephorus, *lib. IX Hiſt. cap.* 17 hæc tradens de *Didymo*: Ἐπὶ τόσον τὰς διαφόρους δόξας τῶν φιλοσόφων ἠκρίβωσεν, ὡς ἄλλο μηδὲν εἰδέναι δοκεῖν. Deinde multa ex *Didymi de Spiritu Sancto* libris ita conſona ſunt quibusdam locis horum Φιλοσοφουμένων, nihil ut dubitem, utraque ab eodem autore profecta eſſe. En duo exempla! *Didymus* libro I *de Spir. S.* ab initio: *Quoniam*, inquit, *quidam temeritate potius*, *quam recta via etiam in ſuperna eriguntur*, *& hæc de Spiritu Sancto jactitant*, *quæ neque in Scripturis lecta*, *neque a quoquam Eccleſiaſticorum veterum uſurpata ſunt*, cetera. Jam vide plane ἀδελφὰ τούτοις in proœmio τῶν Φιλοσοφουμένων *pag.* 16 & 17: *Hæc auſi ſunt* (hæretici) *nihil eorum adepti ex ſanctis Scripturis*, *neque alicujus Viri ſancti dogmata ſequentes*.

Digitized by Google

tes. Verba Græca hæc ſunt: Μηδὲν ἐξ ἁγίων γραφῶν λαβόντες ταῦτα ἐπεχείρησαν, ἢ τινὸς ἁγίου διαδοχὴν φυλάξαντες ἐπὶ ταῦτα ὥρμησαν. Rurſus *Didymus* libro II *de Spir. S.* p. 333: *Satis hæc abundeque juxta ingenii noſtri paupertatem de præſenti evangelii capitulo dixiſſe ſufficiat. Si quibus autem Dominus revelaverit, & in viciniam veritatis adducti ſunt, magisque poſſunt cernere veritatem, diſputationi illorum concedamus meliora, quibus ille ſuffragatur, qui eſt ſpiritus veritatis, & petimus eos, qui lecturi ſunt, ut ignoſcant imperitiæ, ſtudioque dent veniam, cupienti totum DEO offerre, quod potuit, licet ſuam non quiverit implere voluntatem.* Non longe ab his recedunt, quæ in prooemio τῶν φιλοσοφουμένων *pag.* 14 & 15 leguntur his verbis, ex Latina verſione brevitatis ſtudio adductis: *ſed neque univerſis animi & corporis viribus laborantes defetiſcimus, dignam digne DEI beneficio gratiam referre conantes: res tamen ſic æqua vice compenſantes, niſi quod neutiquam in iis remittamus, quæ nobis ſunt credita, ſed exſequamur cujusque temporis officia, & quæcunque ſuppeditat Sanctus Spiritus, ea ſine livore cum omnibus communicantes.*

Jactis hiſce ſententiæ meæ fundamentis, refellam, quæ opponi videntur poſſe. Præter ſilentium *Hieronymi*, quod quo minus mihi fraudi eſſet, jam antea proſpexi, illud contra conjecturam meam poteſt afferri, quod Auctor τῶν φιλοσοφουμένων in prooemio *p. 14* ἀρχιερατείαν ſibi tribuit, quam vocem eccleſiaſtici Scriptores Græci interdum adhibent ad dignitatem *Epiſcopi* deſignandam. Hoc idem vocabulum & *Huetio* in *Origenianis*, atque Cl. *Wolfio* in præfatione ſua §. III & IV obſtare viſum eſt, quo minus is, de quo loquor, libellus *Origeni* tribui poſſit: quippe cum is Epiſcopi gradum nunquam ſit conſecutus. Quæ ratio ſi firma eſt, ego quoque fruſtra ſim neceſſe eſt, qui *Didymo* eum librum vindicare aggrediar, nec ipſi unquam ad illud in eccleſia faſtigium evecto. Sed ſalva res eſt, & ipſo illo ex loco reſponſionem depromam, quæ Lectori non nimis pertinaci ſatis poſſit facere. Id ut rectius fiat, ipſa illa verba ex *pag.* 13 & 14 τῶν φιλοσοφουμένων appo-

apponenda duco, quæ ita fluunt: *Nec ea refellet alius, quam Spiritus Sanctus, quem priores adepti Apoſtoli, eundem recta fide præditis impertivere:* ὧν ἡμεῖς διάδοχοι τυγχάνοντες τῆς τε αὐτῆς χάριτος μετέχοντες ἀρχιερατείας τε καὶ διδασκαλίας, καὶ φρουροὶ τῆς Εκκλησίας λελογισμένοι, i.e. *quorum nos ſucceſſores facti, participes ejusdem gratiæ cum archiſacerdotii tum doctrinæ, atque cuſtodes eccleſiæ habiti*, cetera. Ex his verbis liquet, ejusmodi ἀρχιερατείαν intelligi, quali gaviſi ſunt Apoſtoli. Unde dicitur τῆς αὐτῆς, *ejusdem* ἀρχιερατείας. Jam vero Apoſtolorum ἀρχιερατεία non conſiſtebat in dignitate Epiſcopali, quæ nec primo illi ſeculo nota fuit, nec ab Apoſtolis geri poterat, ſed in munere docendi. Hic ſtatim, ne obſcuritati forte locus eſſet, ipſe Auctor ſuorum ſe verborum interpretem præbet, cum ἀρχιερατείαν illam exponit per διδασκαλίαν. Ac ſane doctores Chriſtianiſmi non inconcinne vocari poſſunt ἀρχιερεῖς. Cum enim ſtylo Scripturæ ſacræ omnes Chriſtiani ſint ἱερεῖς, ut conſtat ex prioris Petrinæ Epiſtolæ *cap.* II, 9 & *Apocal.* V, 10: merito doctores eorum ἀρχιερεῖς appellari queunt. Quid? quod diſerte teſtatur *Theodoretus* in *Dialogis*, omnes eccleſiæ miniſtros olim certa ratione ἀρχιερέας appellatos eſſe. *Origenem* autem ac *Didymum* illud nominis potiori jure mereri, non eſt, quod dubites, cum uterque ſcholæ Eccleſiaſticæ doctor fuerit Alexandriæ: id quod de poſteriori conſtat ex *Ruffino Hiſt. Eccl. lib. II cap.* 7, & *Sozomeno lib. III cap. 24*. Quali profecto qui funguntur munere, nihil obſtat, quo minus & φρουροὶ τῆς Εκκλησίας habeantur dicanturque: quem in modum *Cicero* in *Orat. ad Quir. poſt red. cap. IV C. Marium cuſtodem civitatis* & *cap. X* conſules tribunosque plebis *cuſtodes Reip.* vocavit. Præterea etiam doctiſſimus vir, *Jo. Caſpar Suicerus*, in *Theſauro Eccleſiaſtico* (ſub voce ἱερεύς) docet certo ſenſu omnes Chriſtianos a Patribus eccleſiæ vocatos eſſe ἱερέας & ἀρχιερέας.

Reliquum eſt, ut diſpiciam, quæ fuerit occaſio, hunc librum tribuendi *Origeni*. Celeberrimus ille *Gronovius* videtur quadam ſtyli συμφωνία adductus eſſe, ut crederet libellum iſtum ab *Origene* profectum eſſe. Unde complures hujus libri

bri voces phraſesque cum Origenianis contendit. Sed ut taceam, Cl. *Wolfium* in *Præfat.* §. X, XI, XII & XIII luculenter oſtendiſſe, illam ſtyli ſimilitudinem eſſe ejusmodi, eodem ut argumento cuivis veterum Græcorum ille liber tribui poſſit: illud animadverti velim, non eſſe mirandum, ſi vel maxime oratio propius accedat ad formam dictionis Origenianæ. *Origenis* enim tantus cultor fuit, *Hieronymo* teſte, *Didymus*, ut vel errores ipſius amplexatus ſit: quod & inde manifeſtum fit, quod *Didymus* commentatus eſt in *Origenis* libros *de principiis*, eosdemque acriter contra *Origenis* adverſarios defendit, quod relatum legimus a *Socrate lib. IV Hiſt. Eccl. cap. 20.* Quis jam magnopere miretur, ſi *Didymi* ſcribendi ratio colorem traxerit ſtyli Origeniani? Sed a *Gronovio* progredior ad librarium, perſcrutaturus, qua re is inductus ſit ad credendum aliisque perſuadendum, fœtum illum eſſe *Origenis.* Potuit quidem accidere, ut librarius lucelli cupidine flagrans illuſtriſſimum *Origenis* nomen fronti libri affixerit: quod olim ſæpe factum nemo ignorat. Veruntamen crediderim, ſuppoſitionem illam non tam fraudi, quam errori librarii eſſe tribuendam. Cum enim libellus iſte & titulo careret & fine, nec tamen lectione videretur indignus ob argumenti jucunditatem, facile a ſe librarius impetravit, ut ſuſpicaretur, libellum tam doctum ab *Origene* confectum eſſe, cujus cum eruditio ſingularis ſatis eſſet explorata ac teſtata, etiam ex *Euſebii Hiſtoria Eccleſiaſtica lib. VI cap. 19* ipſius *Origenis* verba noſſe potuit, quibus fatetur, ſe diligenter perſcrutatum eſſe dogmata Philoſophorum veterum.

ANDREÆ ADAMI HOCHSTETTERI COLlegium PUFENDORFIANUM, ſuper Libris duobus de Officio Hominis & Civis XII Exercitationibus inſtitutum.

Tubingæ, ſumtibus Gottofredi Stollii, 1710, 4.
Alph. 3 plag. 18.

QUod iteratis, poſt magnum Verulamium, concordibusque deſiderarunt votis eruditi, extare in Practica Philoſophia,

 ac

ac Jure potiſſimum univerſali opus, quod ſervato naturali pædiæ ordine, rem omnem ex principiis, tanquam cauſis deduceret, poſitisque lucidis argumentorum definitionibus diviſionibusque, fundamenta deciſionum exceptionumque conſtitueret, & Alumnis ſcientiæ tam neceſſariæ tamque fructuoſæ certam rationem præberet, omiſſa ſupplendi, errata emendandi, & quousque hodie, divino beneficio, Virorumque cordatorum induſtria provecta diſciplina ſit, uno velut obtutu inſpiciendi; ejus equidem inſtituti ſpecimen in præſenti libro exhibet Celeberrimus Autor, *Andreas Adamus Hochſtetterus*, S. Theol. D. & Profeſſor ordinarius ac Superintendens in Eccleſia & Academia Tubingenſi, noſter a multis annis Collega perinduſtrius, indito ei Collegii Pufendorfiani titulo, quod anno jam 1700 in celeberrima Univerſitate Tubingenſi inſtituit, cum demandato ſub id adhuc tempus Philoſophiæ Practicæ Profeſſoris officio fungeretur. Nimirum cum longa rerum experientia didiciſſet, quantum Reip. Litterariæ damni adferat inordinata diſciplinarum tractatio, &, ut Verulamius dixit, Inventariorum in iis defectus; ſe practicarum, qua patent, diſciplinarum promtuarium condendi Viris doctis occaſionem & magni juſtamque in molem evalituri operis initium ſuppeditaturum exiſtimavit. Quibus, ſi hac plana facilique via incedere, neque, quod quibusdam cum ingenti diſcentium damno diſciplinarumque confuſione in more eſſe docet, vel nova de iisdem rebus vocabula comminiſci, vel ſub ſingulari eruditionis ſpecie jam reperta adſpernari placuerit, non jam difficile futurum eſſe monet, ſua opera collectis inventisque plura addere, quibus de augmento utiliſſimæ ſcientiæ boni omnes merito ſint gratulaturi. In quam etiam ſpem eo magis erigitur Summe Rev. Autor, quo commodior hunc in finem Pufendorfii libellus ſit, ſi molem, exiguus, at ſi ordinatiſſimam rerum practicarum prope omnium compagem, infinitorumque conceptuum nexum ſpectes, vere magnus, imo fere inexhauſtus. Quod illos omnium optime judicaturos cenſet, qui poſt lectos Cicerones, Gentiles, Grotios, & in hos Commentatores, Annotatores, Obſervatores, ipſumque Pufendorfii opus de J. N. & G. ad hoc opuſculum de Officio denuo regreſſi, attenti id repetierint, atque

cen

Digitized by Google

ceu par eſt, velut illorum omnium compendium, & quod pauci capiunt, admirabile ſupplementum evolverint. Ceterum Commentarium non ſcribere ſe ait, qualem, cœpto jam labore ſuo, ediderit Conſultiſſimus Titius, & apud Giſſenſes, Vir Cel. Immanuel Weberus. Inde factum eſſe, ut ſingula ſignanda magis duceret, quam copioſe tractanda, etſi nihil neceſſarii temere fuerit prætermiſſum. A quorum doctrinis receſſerit, eos tamen cenſet de violatis modeſtiæ limitibus cauſam conquerendi habituros nullam; ſuum etiam ſe cuique tribuiſſe, oſtenſa in aliorum laudibus ingenuitate, ſtatutoque eorum laboribus pretio, ac repetita Virorum de his ſtudiis bene meritorum memoria. Et cum ipſe quotidianum libellorum proventum doleat, quorum præcipuus videatur uſus eſſe, ut antiquiores melioresque ſtudioſæ juventutis manibus excutiantur: ideo Noſter ad antiquos probatosque ſcriptores lectorem conſtanter manuduxit, multiplici dato ſpecimine, non nova eſſe, ſed a præſtantiſſimis jam olim Viris tradita, quæ pro novis ſolent haberi. Jurisprudentiæ etiam univerſalis dogmata aſſumtis e ſanctiore diſciplina exemplis, ad vitæ honeſtæ & Chriſtianæ uſum illuſtravit, ac leges præcipue Moſaicas forenſes plerasque, & rationes earum interiores examinavit, illasque non minus, quam exempla in ſacris obvia luculenter expoſuit. Denique cum Theologia Moralis nihil aliud quam pars doctrinæ Moralis de officio Chriſtiani ſit, pari fere ordine, eademque methodo, qua illa de officio hominis & civis, tractanda: primas ſimul ejus diſciplinæ lineas duxit, ad quarum deinceps normam, poſitisque his generalioribus & ubique agnitis fundamentis, hac alibi ſerie hacque amplitudine non obviis, Theologiæ Studioſos ad exactiorem Theologiæ Moralis pædiam manuducere, quæque in natura deficiunt, e gratiæ promtuario ſupplere decrevit. Acceſſit operi ſub finem triplex index, primus in tabula mnemonica totius libelli Pufendorfiani, & hujus quoque, quod recenſemus, Collegii conſpectum nexumque exhibens; alter Legum Moſaicarum exemplorumque ac aliorum locorum Scripturæ ſacræ, tertius denique rerum notabiliorum. Quem excipit Tractatio ſynoptica de JURE POENARUM, ſecundum nunc edita, aucta, & a nobis Anno M DCC VII fuſe

Digitized by Google

recenſita. Ceterum ut ex ingenti rerum in compendio propoſitarum copia nonnulla excerpamus, Lectoremque ad ipſius operis lectionem invitemus, in prima quidem Exercitatione Philoſophiæ Practicæ hiſtoriam omnem ad noſtra uſque tempora pertexit, atque ipſius etiam *Sam. Pufendorfii*, cujus familiari olim, in peregrinatione litteraria, converſatione uſus eſt, vitæ operumq; ac animi non minus quam corporis characterem habitumq; ſignanter deſcribit. In altera Exercitatione, quid officium? quid Moralitas objectiva? quid intellectus? quid indifferentia? quid conſcientia? ex inſtituto oſtenditur, addito notabili de Prudentia cum in genere, tum in ſpecie, ſupplemento; cui lu-
p. 63 ſſ. culenta argumenti de Decoro & characteriſtia corporis tractatio accedit. In tertia de jure ac lege diſquiritur, *Lexque* potiſſimum poſitiva univerſalis adverſus nuperas Viri celebris exceptiones defenditur; cum argumento de *colliſione* Legum. Quarta principium cognoſcendi ea quæ ſunt Juris naturalis exhibet, inſtituta memorabili ſocietatis cum ex ipſa hominis natura tum aliis argumentis demonſtratione, repetitoque Ciceronis conſenſu, ac examinatis aliorum propoſitionibus, imprimis Hobbeſiana, cujus Autor temere gloriatus ſit, philoſophiam ſuam non antiquiorem eſſe libro, quem de Cive ipſe ſcripſerit. Eodem loco, quomodo Lex Naturæ cordibus dicatur inſcripta, declaratur: & locus de Naamane II Reg. V, 18, 19 pro diſpenſatione in lege naturali facta adferri
176. ſolitus ita exponitur; condonet, quæſo, Dominus, quod in Rimmonis æde incurvavi me. Inde ad officium erga Deum proceditur, & adverſus Atheos ex profeſſo diſputatur, hocque inter alia monetur, ut, antequam cum Atheo in diſceptationem congrediare, poſtules ab ipſo, ut argumenta prius noſtra deſtruat: deinceps, ut plauſibiliores adferat rationes: ac poſtremo, ut probet, per Atheiſmum humanæ ſocietati magis conſuli quam per catholicam de exiſtentia Numinis profeſſionem. Quæ poſtulanti non poſſit non denegare, ac ſuam forte profeſſurus ſit ſtoliditatem. Examinatur etiam nupera
198. Viri Cl. propoſitio: non poſſe paganum ex ratione convinci, quod Sol, quem adorat, non ſit cauſa rerum prima; exploſa

ſa

ſa ejusdem diſtinctione idololatriæ in rationabilem & irrationabilem; ac oſtenſo, cultum Dei externum utique ex lumine naturali poſſe demonſtrari. Phraſis etiam Puſendorfii, quod p. 204.
religio naturalis in hac vita terminetur, exponitur; ſubjuncta demonſtratione Providentiæ divinæ, ac diſcuſſis adverſus eam 206.
objectionibus. In quinta Diſſertatione de cura animi & corporis, de defenſione ſui violenta, de duellis, de jure iræ ac neceſſitatis; in ſexta de Reſtitutione, argumento paucis tacto, ac ſummopere neceſſario, ac in ſpecie etiam de officio erga defunctos agitur, memorabilisque inſcriptio monimenti 258.
Judaici, quod Baſileæ, cum ſtudiis ibi operaretur Cl. Autor, obſervavit, inſeritur. In ſeptima doctrinæ de pactis ac promiſſis, de veritate item ac mendacio diligenter & cum judicio proponuntur, expenſis præcipue exemplis, quæ in Sacris occurrunt, & a magnis quoque Viris & Theologis, ob moralis diſciplinæ imperitiam, non ſatis potuerunt exponi. Accedit luculenta tractatio de Juramentis, & quæſtionis, quam Kulpiſius propoſuit, ſed non reſolvit: an, ſi Atheus juret per Deum, quem nullum credit, verum dici poſſit juramentum? reſolutio. Octava de Dominio agit, ejusque translationem, pretium item ac varios contrahendi modos exponit, cum doctrina de Interpretatione. Speciatim, quid communio ſit, oſtenditur, & contra Virum doctiſſimum diſputatur: an in ſtatu integro locum habuiſſet proprietas? Digna etiam de communione primorum Chriſtianorum obſervatio, quæ expendatur. In nona Exercitatione de ſtatu naturali ac de ſocietate matrimoniali diſquiritur, expenſis, præter plures alias, quæſtionibus: an vagi concubitus ſint contra I. N? an matrimonium certis in gradibus I. N. prohibitum? atque inprimis, occaſione nuperrimæ litis, an defunctæ uxoris ſororem ducere liceat? Rurſus: quod fundamentum turpitudinis in inceſtu Parentum 407.
& liberorum? cujus rei difficultates magno ſtudio ſolvuntur; adjecta luculenta argumenti de Polygamia tractatione, & allatis Friderici Barbaroſſæ ac Philippi Haſſi exemplis; ut & argumento de Jure divortii, ſolutisque Jo. Miltoni objectionibus, quem repudiata ſexta uxore in Anglis famoſum eſſe 402.

Digitized by Google

ex litteraria peregrinatione memorat Auctor. Decima impe-
p. 411. rium paternum ac legem difficilem Deut. XXI, 18 de filio immorigero expendit, addito ſpecimine ampliſſimo demonſtrationis a neceſſitate FINIS ad jus mediorum. In undecima de generatione Civitatis, ac quæſtione inprimis: an Majeſtas immediate ſit a DEO? moderate & cum judicio diſquiritur.
465. Jus Regis 1 Reg. VIII, 10 tot difficultatibus obnoxium de Regno ejusque ſtatu conſtituendo exponitur. Tum enim Fiſco ſeu patrimonio Principatus opus fuiſſe, ad quem conſtituendum agros, vineas, decimas, aliosque reditus deſtinari, & a privatis Civium poſſeſſionibus decerpi neceſſarium omnino eoque & juſtum eſſe, eo loco declaret Deus. Sed fiſco conſtituto peccaſſe Ahabum, vinea ſua Nabothum privando, 1 Reg. XXI, 2 ſeq. Quam expoſitionem ceteris antefert Autor, cum quod iis, quæ reliquos ſententias premunt, difficultatibus obnoxia non videatur, tum quod vim textui non faciat, & Regis pariter ac Civium Jura illibata tueatur. Quibus ita expoſitis, quidquid de Juribus Majeſtatis, belli præcipue ac pacis, de ſucceſſione in civitatibus, de fœderibus, de Dominio eminenti, de civibus denique in Jurisprudentia Univerſali memorabile occurrit, ex fundamento atque perſpicue docetur; ſubjuncto epiphonemate:

Nil ſcribitur totum: quis hoc mare effundet?
Multum valent reciſa parva de magnis.
Divina diligenter & fide ſancta
Suffecerit tractaſſe; nullus abſolvet.

NOVA LITTERARIA.

Tiguri in Helvetia *Johannes Scheuchzerus*, Med. D. Acad. Naturæ Curioſ. Collega, dictus *Philippus*, propoſitum de edendo novo Opere Agroſtographico publicavit edita ſchedula, quam in gratiam Orbis eruditi hoc loco inſerere placuit:

Dedi haud ita pridem in Lucem Agroſtographiæ Helveticæ Prodromum, (vide Acta anni ſuperioris p. 79) *ubi binas Graminum Helveticorum Decades, ari inciſas, ac quam fieri potuit, accuratiſſime deſcriptas Orbi Erudito, ſpeciatim Botanico, expoſui. Species, quas deſcripſi, plerumque nova ſunt, aut ob*

inqui-

inquiſitionis difficultatem haud multum ab ipſa novitate diſtantes. Hocce Specimen cum viderim ab eximiis in re Botanica Viris quodam cum applauſu exceptum, ipſum Opus Agroſtographicum moliri mecum ipſe conſtitui, ut tandem Botanice quoad materiam Graminum (quæ difficillima dici facile meretur) reddatur magis perſpecta, quæ hucusque tenebricoſis difficultatum tricis hæret involuta. Ducentas & quod excurrit, poſſideo Graminum Helveticorum ſpecies, quas tum in certum quendam redigere ordinem, tum accuratiſſime deſcribere, ſimulque æri nitidiſſime incidi curare animus eſt. Multiplicandi adhuc haſce ſpecies anſa daretur, ſi eaſdem juxta Auctores Botanicos jam diſtinctas, & eandem ſæpe ſpeciem, ſub multiplici nomine diverſæque ſpeciei ſchemate occurrentem, relinquere ducerem conveniens, quod tamen vetant ipſæ, quas quædam Graminum ſpecies ſubeunt, ſucceſſivæ metamorphoſes, de quibus hactenus vel nihil, vel perparum ab Autoribus memoratum fuit. Hoc in Opere difficultates, quæ in Bauhinorum Operibus quoad Gramina ſunt frequentes, pro viribus diluere, atque deſcriptionibus accuratiſſimis ita illuſtrare conabor, ut poſthac in aliis Europæ Regionibus degentibus Botanicis tanto facilior præparetur via, ipſa apud eoſdem provenientia Gramina cum noſtratibus conferendi, & illa quæ in Opere, aut Herbario meo non occurrunt exactius deſcribendi, & in ordinem reducendi. Quod vel ex hoc ſolo intuitu neceſſarium videtur, quod Bauhinorum opera Helveticas præcipue plantas deſcribant, & deſcriptionibus ab invicem diſtinguant nimis brevibus, & huic ævo, quo Botanice ſummum quaſi nacta eſt faſtigium, non amplius proportionatis. Hoc meum opus Agroſtographicum, ut intra biennium, vel ad ſummum intra triennium ad umbilicum perducatur, promovere poterunt ipſi variarum Regionum Botanophili, ad quos præſens Charta Invitatoria pertigerit, quibus etiam dilucidatio occurrentium in Botanica notitia difficultatum curæ eſt, ſi quilibet, qui meos ſublevare conatus benevole geſtit, pro tabula una æri incidenda, ſive pro ſolvendis duobus Ludovicis aureis ſeſe ſubſcribere dignetur. Talium ultra centum requirit Tabularum æri incidendarum multitudo. Numerum ſufficientem ſubſcriptorum poſtquam

nactus

nactus fuero, ipſum opus illico & ſculptori & typographo tradam, hocque ſingulis ſubſcriptoribus per literas ſignificabo, ſequentesque conditiones ſedulo obſervabo.

1. Cuilibet Subſcriptori liberum eſto duos Ludovicos aureos vel in ipſo operis initio mihi tradere, vel ejusdem quanti ſaltem dimidium ab initio ſtatim ſolvere, reliquum autem, operis parte dimidia abſoluta.

2. Singulorum Subſcriptorum nomina cuivis Tabulæ incidenda curabo juxta ordinem Alphabeticum, qui naturaliſſimus eſt & dignitatis omnem prærogativam excludit.

3. Operis dimidiam partem abſolutam ſtatim ac prelum evaſerit, Subſcriptori cuivis tranſmittam, vel pro lubitu opere abſoluto integrum opus ſimul & ſemel.

4. Imprimi dictum opus curabo Charta ſcriptoria optima & nitida, prout in ipſo Prodromo edendo idem obſervatum fuit.

In Foro Livii (*Forli*) in Italia Joannes Peregrinus Dandi Abbas, qui ante Diarium Parmenſe ediderat, hactenus interruptum, novum Diarii genus ſub titulo: *Faſti eruditi della Biblioteca Volante*, ſub auſpicio Marchionis Ferdinandi Centurioni, atque duodecim doctiſſimorum Virorum ope, edere hoc anno cœpit, quavis ſeptimana continuandum; cui & Nova Literaria, ſeu ut vocat, *Effemeridi del Mondo Novelliſtico* addere ſuevit. Cumque præterea octo ſonulos (*ſonetti*) quavis die Dominica publicare conſtituerit, novam quoque Academiam erexit, quam vocat *Academia dell' Onore Letterario*, cujus ſymbolum eſt examen apum flores circumſedentium, cum epigraphe: *& nobis & aliis.* Vidimus & M. Januarium Diarii novi Veneti, cui hic eſt præmiſſus titulus: *Giornale de Letterati d' Italia, Tomo primo, Anno MDCCX. All. Altezza Sereniſſima di Ferdinando III Principe di Toſcana. In Venetia, 1710; appreſſo Gio. Gabriello Ertz*, in 12.

Prodiit nuperrime Amſtelodami & proſtat Lipſiæ apud Jo. Fridericum Gleditſch & Fil. Novum Teſtamentum Græcum cum Lect. variantibus &c. fol. antea a Jo. Millio Oxonii editum, & nunc a Ludolpho Kuſtero meliori ordine diſpoſitum, noviſque acceſſionibus locupletatum, cui editioni Jo. Clericus Epiſtolam de utilitate hujus editionis præmiſit.

Digitized by Google

ACTA ERUDITORUM,

publicata Lipſiæ

Calendis Maji, Anno M DCC X.

HISTOIRE GENEALOGIQUE DE LA MAISON d' Auvergne.

i. e.

HISTORIA GENEALOGICA DOMUS ALVERNENSIS; Autore STEPHANO BALUZIO.

Tomi duo.

Pariſiis, apud Carolum Dezallier, 1708, fol. ch. aug. Conſtat Alphab. 16, plag. 15, Tabb. æn. 17 & Figuris plurimis paſſim inſertis.

Celeberrimus Baluzius, quem tot annorum in Eccleſiaſticis monimentis labores omnibus fecere notum, novum nunc metæ jam propinquior curſum eſt orſus, infinito propemodum ſtudio feliciter peractum. Sic igitur plane cum *Juſtello* componendus, qui cum Eccleſiaſticis tractavit etiam Genealogica, hanc ipſam ſcientiam edito *de Vicecomitum Turenio-rum familia* Commentario illuſtrans. Hunc cum avidius rerum patriarum amore perluſtraret Noſter, eo perductus eſt, ut, cujus gentis unicam familiam deſcripſerat *Juſtellus*, illam totam hoc libro explicatam daret ipſe, non ſine conſenſu forte Illuſtriſſimorum ejus Capitum, quod ex ſplendore libri privatos ſumtus excedente colligas. Hiſtoriam igitur Alvernenſis domus, ex antiquis Aquitaniæ Ducibus, Alverniſque Comitibus oriundæ texit. In varias prius familias gens iſta diducebatur, nunc in ſolis adhuc Dominis de Turre (*de la Tour d' Auvergne*) Bullionii Ducibus ſubſiſtens. Et hujus potiſſimum familiæ gratia (forte & ſumtibus)

bus) ſuſcepta videtur a Baluzio hæc opera, firmandis eorum ex Alvernenſi genere originibus impenſa. Quapopter in ipſa Præfatione hanc in rem aliquot collegit teſtimonia, ex antiquorum ſigillorum ectypis, ubi conjunctim Dominorum de Turre inſignia cum Alvernenſibus repræſentantur, ipſas quoque familias neceſſitudine junctas demonſtrans. Hinc *Juſtellum* allegat, qui primus in publicum has origines ante hos ſexaginta annos protraxerit, quique ſuam ſententiam, multis licet argumentis deſtitutam, quorum poſtea facta ſit copia, *Sammarthanis* fratribus probaverit. Variis poſtea ex decimi quinti usque ſeculi hiſtoria teſtimoniis non fruſtra, ut quidem videtur, utitur.

Progreditur inde ad inſignium in hiſce familiis deſcriptionem, eos ſe non ſequi declarans, qui uſum eorum primum ad expeditionum in Terram ſanctam initia referant. Ad illam potius inclinat opinionem, quam *Caſanova* (de Caſeneuve) in *Gallicæ lingvæ originibus* tuetur, fixa familiarum inſignia & hæreditaria cœpiſſe tum, cum ſub Hugone Capeto feuda bonorum fierent hereditaria. Ceterum Alverniæ Comites vexillum habent pro inſigni, quod cum antiquitus virtutis fuerit ſymbolum, variæ ſunt opiniones de occaſione, qua Comites hi illud acceperint, aliis dicentibus, eos ſigniferos Eccleſiæ quinto jam ſeculo fuiſſe, aliis illud ad ſanctas expeditiones referentibus, quod & Noſter facit, Guilielmo ex ſeculo XI primum illud tribuens. Domini de Turre, de quibus agitur ex inſtituto, turrem prius ſolam habuerunt, cui addita poſtmodum ſub Philippo Auguſto lilia circa turrem undique disſeminata. Hinc & de *ſcutariis telamonibus* (*ſupports*) TAB. IV. Fig. I. *galeisque* (*timbres*) quædam diſſerit. Utrumque olim non neceſſarii fuiſſe uſus, nec conſtantis, demonſtrat. Curioſum eſt ex hac parte, quod exſculpi propterea curavimus inſigne Mariæ Comitis Alverniæ & Bononiæ. Ejus enim apici omiſſa galea leo inambulat, a lateribus autem duo cygni ſuſtinere illud videntur.

Opus quidem ipſum duobus diſtinguitur Tomis, quorum alter eſt hiſtoricus, alter diplomaticus, monimentâ continens, quibus confirmatur Hiſtoria. Prior Tomus in quinque porro Libros diſpeſcitur, quorum *primus* complectitur eos Alverniæ Comites, qui ab Anno 886 usque ad 1416 vixerunt,

ſecun-

Digitized by Google

TAB.

Fig. 2.





Fig. 1.



Fig. 7.



TAE
Fig

Digitized by Google

ſecundus Delphinos Alverniæ ab A. 1166 usque ad 1436, *tertius* Ilpiſæ & Combrondæ Dominos ex Alvernenſibus oriundos ab anno 1424 usque ad 1439, *quartus* Dominos de Turre ab anno 918 usque ad 1501 & *quintus* denique ex Dominis de Turre genitos Vicecomites Turenios, Duces Bulionenſes Alverniæque Comites ab anno 1315 usque ad noſtra tempora percenſet.

Libro I illos ſtatim reprehendit, qui arctis nimium limitibus circumſcribant Alverniæ Comitatum, quippe qui non Claromontanam ſolum regionem, ſed Lugdunenſes etiam, Auguſtodunenſes & Nivernenſes ſit complexus. Inter Comites, quorum hic fit mentio, memoratu maxime digni ſunt ſequentes. *Bernhardus*, Pater omnium, quas ſupra memoravimus, familiarum, qui A. 886 contra Boſonem Burgundum pugnans eſt occiſus. *Wilhelmus I*, qui anno 892 Aquitaniæ prioris, ubi Biturigum urbs erat metropolis, Dux eſt creatus. *Acfredus I*, Adelindæ Bernhardi filiæ conjux, ipſe quidem non niſi Biturigum & Carcaſſonum Comes, ut Autor contra Cheſnium & Juſtellum exiſtimat, attamen ex hac uxore omnium Alverniæ Comitum & familiarum eo pertinentium genitor. *Bernhardus II*, genitor Dominorum de Turre, in quo ſeries Comitum Alvernenſium eſt interrupta, uſurpante Comitatum Geraldo Æquitaniæ Duce. *Guido I*, ad quem poſt quadraginta annos Comitatus iſte, tanquam ad juſtum Dominum, poſtliminio rediit. *Robertus V*, qui primus fuit Comes Bononiæ inter Alvernenſes, quamvis jam pater ejus per matrimonium hunc Comitatum acquiſiviſſet.

P. 1. 10. 13. 25. 26. 99.

Libro II *Delphinus* occurrit primo loco, Wilhelmi VII Alverniæ Comitis filius, ſucceſſione per Wilhelmum VIII patruum excluſus, qui Delphini poſtea nomen, cum novo Delphini inſigni, per familiam ſuam propagavit. Poſtrema eſt *Johanna*, poſt cujus obitum ad Borbonicam domum Delphinatus Alverniæ matrimonii jure tranſiit. Inter *S. Ilpidii* Dominos, quorum Libro III fit recenſio, primus eſt *Robertus*, Roberti III Delphini Alvernenſis filius, ultimus *Guichardus II*, quem fatale cum Anglis in Atrebatibus prælium rebus humanis eripuit.

158. 211. 216. 239.

Libro IV Dominorum de Turre, qui nunc, ut ſupra monitum, ſoli reſtant ex Alvernenſi gente, primus *Gerardus* eſt, ne- 251.

pos Alfredi I Alverniæ Comitis ex filio Bernardo. Hujus
p. 259. deinde filii partim *Dominis de Turre Dupiniis*, partim *Turrianis* Mediolanenſibus dederunt originem, quod pluribus in Gerardi
350. noſtri Hiſtoria deducitur. Ultimus eſt *Johannes III*, avus *Catharinæ Mediceæ*, Galliarum Regi matrimonio junctæ; cujus bre-
358. vem dat Autor Hiſtoriam, illa maxime tangens quæ ab Imperatore ſunt mota, quo minus iſtud contraheretur matrimonium.

Antequam Libro V ad Bullionenſes Duces accedatur, qui ſoli nunc ex hac gente reſtant, Domini *Oliergii* (d'Oliergues) recen-
371. ſentur, a quibus hi Duces trahunt originem. Horum primus (ex Alvernenſium ſcilicet progenie) eſt *Bertrandus*, Bertrandi III Domini de Turre filius, qui a Ludovico Hutino, Galliæ Rege ſpeciale obtinuit privilegium, ut ejus Dominatus Coronæ (qui ſtylus eſt iſtorum temporum) annecteretur. Anno 1445 *Anne-*
398. *tus IV* Oliergii Dominus per matrimonium ſuæ genti acquiſi-
403. vit *Belloforcum & Vice-Comitatum Turenenſem*, terminans ita
433. controverſiam ante diu agitatam. *Henricus* eodem modo *Bullionenſem Ducatum* & *Principatum Sedanenſem* priſtinis familiæ ſuæ ditionibus junxit, & cum in Reformatorum tranſiiſſet caſtra, bellis ſub Henrico III civilibus in Gallia nomen ſibi fecit maximum. Filius autem Henrici hujus, *Fridericus Mauritius*, qui Romanæ etiam religioni ſe rurſus addixit, Richelii Cardinalis artibus Sedanum Regi tradere fuit coactus. Alter ejus filius *Hen-*
457. *ricus*, ſub uno *Turenii* nomine ſatis notus, itidem Romanam religionem amplexus, ictu tormenti, quod omnibus notum, in Germania occubuit. Et hujus etiam elogiis ex oratione parentali Lamoignonii, & Evremontii ſcriptis, Operis hujus Tomus I finitur, inter quem & Tomum II interjicitur *Epiſtola* Anno 1698 Pariſiis a Baluzio edita, qua antiquitas Bullionenſis familiæ, & ejus ex Comitibus antiquis Alverniæ ortus, contra quædam ſcripta illam negantia defenditur. Ceterum ſunt etiam in hoc opere plurima velut Epiſodia ſatis curioſa. Sic, quid *defenſor*
37. *Monachorum* antiquitus fuerit, explicat. Monachos ſcilicet fundatores ſuos cum eorum poſteritate paſtorum quaſi laicorum & tutorum loco habuiſſe, quibus & ipſi poſtea caſtellum aliquod vel regionis portionem feudi jure tradiderint, in ſymbolum ſuſceptæ

ab

Digitized by Google

ab illis defenſionis. Seculo XIII non infrequens fuiſſe obſervat, ut Principes etiam fœminæ amarent Poetas & ab iis redamari cuperent, quem tamen amorem honoris cauſa exercitum nihil contaminarit inhoneſti. *Nutritum* pro notho dici, & in Burgundia filios naturales appellari *donatos* (donnes) docet. More illo homagium faciendi Eccleſiis ob certam terrarũ portionem non feudale quoddam conſtrictum fuiſſe vinculum aſſerit, ſed eum pro actu habendum religioſo, quo divina protectio tanto certius iſtis regionibus concilietur. Non ſtatim de falſitate chartarum antiquarum ſtatuendum eſſe dicit ex erroribus ibi quandoque obviis. Probat enim exemplis pluribus, irrepſiſſe hos ex ſcribarum incogitantia, quibus datum fuerit ſtylum (ſeu, ut nos loquimur, Curialia) moderari, quibusque ſæpius aliquid exciderit, alias conſuetum, in hac vero vel illa charta minus oportunum, utpote annorum numerus atque dierum, Regum nomina & reliqua. De contraſigillis notatu digna ſunt, quæ obſervat, illa ſcilicet non plurium ſolum provinciarum fuiſſe ſignum, quod egregie deduxit ſumme Reverendus Heineccius in ſyntagm. de Sigillis, p. 166, ſed & materna Principum ſigna ſæpiſſime contraſigillo impreſſa deprehendi. De fune, qui viduarum ſigilla ſolet ambire, diſſerens ejus originem non ad Annam Britannicam Galliæ Reginam, ſed Ludovicam de Turre Sec. XV fœminam docet eſſe referendam, cujus exhibet inſigne hoc ornamento conſpicuum, additis verbis: *J'ai le corps delié*, unde nomen *Cordeliere*, quo funis hic appellatur, deducit. Variarum præterea familiarum, quibus aliqua cum Alvernenſibus conjunctio interceſſit, genealogiæ identidem ab Autore illuſtrantur, ut *Comitum Bononienſium* (Boulogne) p. 88, *Ducum Ventaduriorum* p. 384, *Paparum Clementis VI & Gregorii XI* p. 315. Hæc adeo de hoc opere, tum typis, tum inſignium & monimentorum ectypis commendatiſſimo dixiſſe ſufficiat. De Tomo enim altero, qui meris documentis conſtat, nihil addere neceſſe eſt.

p. 159.
185.
266.
271.
290.
327.
TAB. IV. Fig. 2.

IS. CASAUBONI EPISTOLÆ, ACCEDUNT HUIC TERTIÆ editioni præter 300 ineditas Epiſtolas, IS. CASAUBONI Vita, ejusdem Dedicationes, Præfationes, Prolegomena, Poemata, Fragmentum de Libertate Eccleſiaſtica, item

MERICI CASAUBONI Epiſtolæ, Dedicationes, Præfationes, Prolegomena & Tractatus quidam rariores, curante THEODORO JANSONIO ab ALMELOVEEN.

Roterodami, typis Caſparis Fritſch & Mich. Bœhm, 1709, fol. Alph. 13 pl. 17.

POſt harum Epiſtolarum editiones a Cl. Gronovio, Grævioque adornatas, illas etiam, quas Colomeſius & ipſe Mericus Caſaubonus moliti ſunt, interceptas, celeberrimus Editor adjutus ampliſſimis ſymbolis Eduardi Bernhardi, Thomæ Smithi, Joannis Batelii, Joannis Hudſonii, Joannis Harduini, nec non Petri Burmanni, novam hanc eſt aggreſſus. Is Epiſtolas ſecundum annorum, quibus conſignatæ ſunt, ſeriem diſpoſuit, paucis exceptis, quæ aut ſero ad manus ejus pervenerunt, aut ſine anni indicatione ſcriptæ, in finem ſunt rejectæ. Præterea numerum Epiſtolarum Scaligeri, Baudii, Lipſii, aliorumque, ad quas Noſter reſpondet, nec non quo loco illorum ad Caſaubonianas reſponſoriæ legantur, indicavit. Aliorum vero quaſdam adhuc ineditas, cum ſuo loco, tum in fine adjunxit. Ubique clavem Pauli Colomeſii ad oram appoſuit, non paucis vero ipſe lucem affudit. Vitas Caſaubonorum, quæ merito hactenus a multis deſideratæ ſunt, diligenter congeſſit, præſertim ex ipſis Epiſtolis ac diario Iſaaci. Natus hic eſt Genevæ A. 1559 die XII Cal. Mart. quem diem ipſe indicat Ep. 162, ſed Ep. 453 ait, ſe natum eſſe 8 Februarii, & Ep. 931 die 18 Februarii in anno Gregoriano. Patrem Arnoldum habuit, qui Burdegala Delphinatus oppidulo Genevam propter vivicomburii periculum confugerat: ipſe tamen Ep. 453 ex Vaſconia, & Ep. 879 ex Aquitania Parentes ſuos profugiſſe teſtatur. Inde vero Chreſtam ſeu Chriſtam, exiguum in Epiſcopatu Valentinenſi oppidum, ad miniſterium vocatus, Diæ ſeu Deæ Vocontiorum A. 1586 ætatis climacterico LXIII placide obiit. Immanis itaque eſt impudentia Andreæ Eudæmono-Johannis, Cretenſis, qui quod p. 1, 2, 3. laqueo ſibi guttur fregerit, rei capitalis damnatus, exprobrare Iſaaco audet. Hic vix novem annos natus cum Latine non loqui ſolum expedite ſciret, ſed & ſcribere, annum tamen duodeci-

mum

Digitized by Google

mum ingreſſus, ne proprium quidem nomen declinare potuit. Pater enim, quo præceptore utebatur, officii cauſa abfuerat; reverſus vero ſtudia diligentiſſime redintegravit, &, cum uterq; lanienæ Pariſinæ tempore perſecutorum crudelitatem per ſylvarum montiumque latibula fugeret, Græcarum literarum elementis eum imbuit. In iis proprio deinde Marte tantum profecit, ut Genevam A. 1578 miſſus, ætatis anno XXIV Præceptori ſuo, Franciſco Portæ, Cretenſi, in Linguæ Græcæ profeſſione ſucceſſor conſtitueretur pene invitus. Ubi cum A. 1584, ſub Iſaaci Hortiboni nomine, Theocriticas lectiones Henrico Stephano inſcriberet, eo ipſo ſibi conſuetudinem præſtantiſſimæ Stephanorum familiæ recluſit. Ex qua etiam filiam Henrici Florentiam A. 1586 die 28 Apr. in matrimonium duxit, viginti liberorum matrem, & eximiis virtutibus ita cumulatam, ut ipſe poſtea fateretur, iis ſecundum Deum tribuendum eſſe, quicquid ſibi literæ debeant, aut debituræ eſſent. Fractus poſtea laborum gravitate, quippe cum Philologicis Philoſophiæ quoque & Jurisprudentiæ ſtudia conjungens, graviſſime decubuit. Cum vero convaleſceret, ad Sacra ſtudia animum applicabat, utque ad ea paratus accederet, Rabbinicis literis ſub Præceptore Petro Cevallerio navabat operam ſedulam. Quibus poſtea Pariſiis Arabicæ linguæ ſtudia junxit, Hadriani imprimis Guilielmi, Fliſſingenſis, Stephani Huberti, & Thomæ Erpenii inſtitutione uſus. Attamen ſteriles poſtea Muſas Genevæ expertus, rei familiaris anguſtia, ſoceri moroſitate, aliisque calamitatibus domeſticis eo adactus eſt, ut poſt aliquot annorum tergiverſationem, oblatam Montispeſſulani profeſſionem, maximorum amicorum conſiliis morem geſturus, tandem A. 1597 in ſe reciperet. Hic ſummis primum honoribus exceptus, moxque a Senatu, promiſſis non ſtante, jejune ſordideque habitus, ac multo tædio ex ſuo & uxoris morbis, cladibusque aliis domeſticis pene confectus, literis Henrici IV biennio poſt A. 1599 ad Profesſionem Pariſinam evocatus eſt, & licet bis ab itinere propter difficultates atque injurias domeſticas Genevam retractus, Lutetiam A. 1600 venit. Quanquam nec hic ſatis proſpectum ſibi fore, facile prævidit, ob incredibilem Profeſſorum aliquot, præcipue Theodori Marcili, faſtum. Nec vanus metus fuit, Amicorum enim per-

Marginal references (right margin, in order): p. 4, 5. — 6, 7. — 74. — 8. — 31, 32. — 11, 12. — 23. ſeq. — 15. ſeq.

Digitized by Google

perfidia, inter quos ipſe quondam ejus amiciſſimus Philippus
Canajus a Fraxinis, Jeſuitarum inſultibus, rumoribus de facto ad
Pontificios tranſitu, invidia, calumniis , rei familiaris anguſtia,
mirum quantum exagitatus, a publica Profeſſione vero ob reli-
p. 37. gionem remotus, plenam moleſtiarum vitam traxit. Cumque
tandem poſt trium annorum vanam exſpectationem Cuſtos Bi-
bliothecæ Regiæ conſtitueretur A. 1603, quo ejus anteceſſor
Goſſelinus, moroſus ſenex, miſere erat fato functus; frendebant
cum ipſo Pontifice adverſarii, aut Scaligerum, aut Lipſium, aut
41. ipſum denique Grotium commendantes. Illorum machina-
44 ſeq. tionibus accedebant A 1605, publicus novæ lanienæ metus, ne-
46, 48. ceſſariorum funera & extremæ miſeriæ, continuæque cum vafer-
rimis Pontificiorum diſputationes, quibus illum Cardinalis Per-
45. ronius aliquando jam prope ad incitas redegerat. Nec multum A.
1608 aberat, quin cum uxore filiisque, Joanne & Merico, in flu-
mine periiſſet, cum ſcapha, quæ Carentonium S. Synaxin cele-
braturos vehebat, repentino magnæ navis ictu percuſſa ſubſide-
30. ret. Inter tam indigna & triſtia Dux Bullioneus Sedanum eum
41. trahere nitebatur: ipſe vero modo in Germania, modo paulo an-
49. te parricidium Henrici in Anglia meliores fortunas quærere con-
ſtituebat. Neque tum tamen, neque cum a Nemauſenſibus A.
40. 1605 ad ornandam Academiam vocaretur (Ep. 456) impetra-
re abeundi veniam a Rege ipſius amantiſſimo potuit. Qui ne
31. quidem indulſit, ut A. 1601 amicos in Belgio inviſeret, ut eſt in
Ep. 225. Clemens VIII autem fruſtra ſpe ſtipendii 900 aureo-
rum & Baronius humaniſſimis aliquot literis eum Romam trahe-
re ſunt anniſi, aureas quippe illas libertatis ſuæ compedes aver-
ſantem, in Ep. 878. Et Heidelbergenſis vocatio, cujus A. 1608
44, 46. facta ſpes erat, parum ex voto ſuccedebat. Tandem A. 1610 poſt
50. ſeq. luctuoſiſſimum ſibi filii Johannis , quem Auguſtinum alii falſo
nominant, ad Pontificios tranſitum, & Regem ipſum trucidatum,
Angliam menſe Octobri petiit. In illa magnus Eccleſiæ Epiſco-
53. palis æſtumator incredibili clementia Regis, ſtipendioque am-
57. pliſſimo exceptus, maxima tamen Bibliothecæ, in qua compa-
60. randa res omnes exhauſerat, parte deſtitutus, quæ apud Thua-
num doliis compacta latebat, cum neque eam neque plenam di-
miſſio-

Digitized by Google

miſſionem a Gallica aula impetrare poſſet, præcipuam ope-
ram refutando Baronio,quod maxime urgebat Rex, impendit,
Intervenit deinde mors A. 1614 cal. Jul. poſtquam aliquot men- 60—68
ſes tuſſi, febri, dyſuria & ſtranguria, ex monſtroſa veſica ori-
undis, miſere erat confectus. Indole fuit prorſus ad virtu-
tem compoſita, ſine ſuperſtitione pius, fidei tenaciſſimus, &
fere cum aliqua ἐκλογῇ patiens, ſobrius, modeſtus, natura
quamvis ad iram concitatior, candidus, facilis, ad officia prom-
tus, amicorum obſervantiſſimus, uxoris liberorumque mire a-
mans, in neceſſarios beneficentiſſimus, ab avaritia, quam ob-
jicere Pontificii ſolebant, alienus, & rei familiaris tantum pro-
pter numeroſam familiam ſtudioſus, Corpusculum illi fuit 65.
exſangue & tenue, color citreus, pilus niger, oculus cavus,
ſed vividus, ingenium acre quidem & velox, tenax tamen ſi- 551.
mul, quæque vel ante triginta annos legerat, oportune ex-
promens, & laboris patientiſſimum, ſiquidem adeo infuſo ocu-
lis aceto ſomnum ſubinde pepulit. Quæ nunc demum pro- 73.
deunt ejus Epiſtolæ, aſteriſco ad oram ab antea jam editis di-
ſtinctæ, maxima quidem ſui parte aut ad privatas tantum
res optimi Viri faciunt, aut ea complectuntur, de quibus jam
ex prioribus conſtabat. Habent tamen & ſingularia quædam
de Doctorum laboribus, quamvis poſtea interceptis. In Ep. 1
A. 1584 Joſiæ Mercero Juvenalem & Perſium edituro varias
ſuas lectiones, & Ep. 220 A. 1601 Joanni Arcerio novam
editionem Jamblichi adornanti ſuas obſervationes promit-
tit. Ep. 382 A. 1604 ſcribit, impoſitum ſibi a magnis Viris
negotium emendandi ex antiquis membranis Hiſtoriam Na-
turalem Plinii, & propterea a Jano Lernutio exemplum, in
quo id jam præſtiterat Victor Giſalinus, petit. Ep. 654 A. 1610
ad Joan. Rutgerſium, optat, ut Joſ. Scaligeri Diatriba de Nu-
mis, Leges Atticæ, & alia inedita prodirent, cujus propoſitum
vitam Scaligeri explicandi valde laudat & urget Ep. 666. Johan-
nem Serranum ad edendos Commentarios ſuos de Platonicæ & A-
riſtotelicæ Philoſophiæ collatione hortatur Ep. 976 A. 1594.
Interdum & judicat de Viris ſive antiqua, ſive ſua ætate claris,

Digitized by Google

corundemque operibus. Sic Ep. 648 A. 1609 Mericum tum puerum jubet Terentium totum memoriæ mandare, additque: nemo latine loquetur bene, qui Terentium non contriverit. Ep. 707 A. 1611 ad Thuanum, Regis ſuisque verbis dolet, quod ille in conſignandis Mariæ Scoticæ rebus, Buchanani fidem ſit ſecutus, quem meliorem Poetam quam civem appellat, affirmatque, curare Jacobum, novam eamque veriſſimam a Nobili Scoto illarum rerum Hiſtoriam edi, ab ipſo Rege recenſendam, & Thuano ut ſuam emendaret, transmittendam. Ep. 839 A. 1612 ad Cardinalem Perronium ait, ignorare eruditionem Theologicam Jacobi Regis, quotquot illum aliena induſtria in controverſiis fidei uti credant. Ep. 996 A. 1594 magnifice prædicat Joachimos Camerarios, & præcipue Patrem ampliſſime laudat. De Leuenclavio autem ad Marcum Velſerum, qui ſpem fecerat Νομικȣ̃ Græci, quod ille congeſſerat, edendi, ſcribit, in Dione ita verſatum eſſe, ut propter multa craſſa & fœda peccata juraret aliquis, nec linguæ Græcæ, nec Hiſtoriæ Romanæ, nec Juris ullam eum habuiſſe cognitionem, Ep. 994 A. 1595. Joannis Stanislai Sapiehæ, Patris & Filii, Magnatum Polonorum, affectum in literas, & hujus imprimis ingenium laudat Ep. 675 & 1041. Reboullum ſeu Rebulii virulenti adverſus Jacobum Regem libelli autorem, ob ipſam illam impotentiam, Abbatem autem du Bois, Gallum, potisſimum ob odium ſuum in Jeſuitas ſuspendio Romæ necatos memorat in Epiſtolis 1050 & 1051, A. 1612 ſcriptis. Et Jeſuitis, poſt parricidium Henrici poteſtatem docendi, a Regina impetratam, in Curia quoque Pariſienſi ambientibus, hac lege eam promisſam eſſe, ſi ipſorum Generalis ſequentibus articulis ſubſcripſiſſet: 1 Concilium eſſe ſupra Papam, 2 Papam in temporalibus nullum jus habere in Reges, neque poſſe Regem Galliæ excommunicare, 3 Regem in ſuo Regno ſummum jus obtinere, etiam in eccleſiaſticos, 4 Confeſſionem in periculo publico aut alias magno eſſe detegendam, in Ep. 1050 narrat. Aliquando illum una Epiſtola bis uſum eſſe, & ita una fidelia duos dealbaſſe parietes, deprehendet, qui Ep. 1099 ad Philippum

lippum Canajum a Fraxinis cum 615 ad Jo. Stanislaum Sapieham contulerit. Ex illis, quorum ad Caſaubonum literæ inſertæ ſunt, Ep. 335 A. 1603 Daniel Eremita apoſtaſiæ ſuæ culpam partim diluere, partim defendere conatur. Ep. 662 A. 1610 Erpenius Salmurio ſcribit, parum abfuiſſe, quin plane Arabicis Muſis valedixiſſet, cum illas licet patrimonio ſat amplo pollens, ſpe honeſti & opimi officii deſtitutas vidiſſet, doletque neglecta a ſe Græcæ Latinæque linguæ ſtudia, & opus ſe moliri ſcribit de Ebrææ, Arameæ & Arabicæ affinitate, eoque multa V. T. dubia ſolutum iri. Idem Ep. 680 Kirſtenium, qui Avicennæ verſionem aggreſſus erat, nugatorem cœptisque ſuis vocat imparem, ejusque Grammaticam lectu indignam eſſe pronuntiat in Ep. 38, quæ eſt inter annexas in fine aliorum literas, petitque, ut vendat ſibi Alcoranum, cui multa Hadrianus Guilielmus annotaverat. Ep. 796 Petrus Bertius ſuam ſententiam vindicat, aſſeritque, Bezam, dum Pelagii errorem vitare voluit, in Manichæum incidiſſe. Ep. 811 Frater Paulus Venetus (Sarpius) petit, ut Regi ſtudia ſua commendet, geniumque Baronii ita delineat, ut magis ſtupidæ levitatis & ſecuritatis, quam fraudis & doli mali reum agi poſſe arbitretur, hominem ſimplicem, & ex alienis judiciis pendentem. Reſpondet Caſaubonus, conſtituiſſe Regem, paratum ſemper illi aſylum præbere. Sed ni fallimur has duas jam olim Jo. Gottl. Möllerus Bœcleri Hiſtoriæ univerſali ſubjecit, præmiſſas etiam Kortholti Disquiſitionibus Anti-Baronianis. De Dedicationibus, Præfationibus aliisque Iſaaci opuſculis, quæ hic recuſa deprehenduntur, nihil addimus.

Pars II deſtinata eſt Merico Caſaubono. Ille natus Genevæ A. 1599 19 die cal. Septembris, primum in Ludo Sedanenſi, & poſtea in Academia Oxonienſi, ubi Ædis Chriſti alumnus erat, inſtitutus, anno ætatis 21 Artium Magiſter factus, & hinc in Clerum receptus, Eccleſiæ Cantuarienſis Præbendarius, ut vocant, & Rector Jækhamienſis, ad quartum inde lapidem, anno vero ætatis 36 Profeſſor Theologiæ eſt conſtitutus. Utroque munere excidit bello civili, cum Regi adhæreret, quo tempore etiam maxi- p. 74

 mam

Digitized by Google

mam propriæ Bibliothecæ partem (Paternæ enim pars Pariſiis manſerat, pars in Bibliothecam Regiam Londinenſem venerat) divendidit, ne pejus, quod parti jam contigerat, periret ut eſt in Merici Ep. 16. Vixitque utplurimum ruri procul ab urbe libriſque, donec Carolo II reſtituto & ipſe reſtitueretur. Obiit Cantuariæ, cum lectulo plerumque hærens, ægritudine, ætate, atque valetudine fractus, a multis annis, quid in Rep. Literaria gereretur, ignoraſſet, A. 1671 d. 14 Julii, anno ætatis, ut in epitaphio refertur, 75; quanquam ita calculus annorum quos vixit, male ſubductus videatur. Uxorem optimæ indolis, & opulentam, quam poſt diuturnum morbum A. 1651 amiſit, filiamque bene moratam & Latinæ linguæ gnaram habuit; filium autem degenerem, ut ipſe queritur in Ep. 12. Librorum, quos edidit, catalogus exhibetur p. 74 & 75. Præter illa multum Stanlejo ſuppeditavit in Æſchylum, nec parum juvit Seldenum in exponendis Marmoribus Arundelianis. Non pauca habuit in Livium, & Platonem, in quo mille fere loca a Serrano male verſa deprehenderat. Inſuper Indicem etiam Græcum molitus eſt omnium verborum Philoſophicorum, quæ apud Antoninum leguntur, cum Latinis proprie iis reſpondentibus ex Seneca, Cicerone, aliis. In Gaſſendum quoque ſtringere calamum voluit, probaturus, quod ubique loca in gratiam Epicuri corruperit. Ex opuſculis ejus Pietas in Patrem, Vindicatio adverſus Impoſtores, qui ſub Iſaaci nomine librum de Idololatria vulgaverunt, Diatriba de verborum uſu, & Epiſtola de editione Homeri Hackiana, denuo hic Præfationibus ejus & Epiſtolis ſunt adjunctæ. Promittit & in præfatione Cl. Editor Commentationis de IV Linguis Partem I de Lingua Ebræa & Saxonica ſed fruſtra eam hic quæſiveris. Epiſtolæ tantum ſunt XVIII, quarum illas, quas ad Jo. Fridericum Gronovium dedit, communicavit filius Jacobus. Ep. 6 graviter apud Thomam Gatakerum conqueritur, quod in ſuo Antonino acrius inſectatus ſit ſuas hallucinationes, quas tamen ante 20 jam annos, in ſecunda Anglicæ verſionis editione correxerat; & quod multas conjecturas, quibus in Græco - Lai-

na

na ejus editione & textum & verſionem Xylandri ſanaverat reſtitueratque, modo diſſimulaverit, modo pro ſuis, neglecto Caſauboni nomine, venditaverit. (Conf. Ep. 15.) Eadem commendat urgetque Cl. Grævii inſtitutum edendi Philoſtratum, in quem, (præcipue in ejus vitam Apollonii,) multa ſibi fuiſſe notata, librum vero cum aliis divenditum, teſtatur Ep. 13. Carteſianam quoque Philoſophiam ibidem queritur literas in Anglia in magnum periculum adducere, cum juvenibus bonos libros e manibus excutiat. In Ep. 9 Antonio Clementio, Plauti editionem adornanti, operam ſuam promittit. Sed hæc ſpeciminis loco ſuffecerint.

CASAUBONIANA, SIVE ISAACI CASAUboni varia de Scriptoribus librisque Judicia, Obſervationes ſacræ in utriusque Fœderis loca, Philologicæ item & Eccleſiaſticæ, &c. nunc primum eruta notisque illuſtrata a JO. CHRISTOPHORO WOLFIO, Prof. Publ. Philoſophiæ Extraord. in Academia Wittebergenſi.

Hamburgi, ſumtibus Chriſtiani Libezeit, 1710, 8.

Alph. 1 pl. 4.

EN alium Iſaaci Caſauboni fœtum, quem dignum utique cenſuit Cl. Editor, quem in publicam lucem protraheret. Collectus is eſt ex variis Adverſariorum, Collectaneorum & Ephemeridum voluminibus, quæ ipſius Caſauboni manu exarata in Bibliotheca Bodlejana hodie adſervantur, in quam ex Alberici Filii, Canonici quondam Cantuarienſis, donatione pervenerant. Ad hæc excutienda admiſſus Cl. Editor ea hinc inde conquiſivit, quæ ad Hiſtoriam literariam, ac Philologiam ſacram pariter & profanam illuſtrandam referuntur. Primo loco exſtant varia de ſcriptoribus librisque judicia, quæ in Ephemerides ſuas referre Autor conſueverat, ubi a lectione libri cujuscunque receſſiſſet. Boethii de diſciplina Scholarium librum mirum ſcriptum vocat pag. 1, quem imperitiſſimi hominis par-

tum eſſe jures, cum illa tam multa ſpectes fatua & inepta, toto libro ſparſa, quanquam rurſus eruditionis non protritæ multa ibi appareant veſtigia. Ubbonis Emmii Hiſtoriam Friſicarum rerum laudat p. 2, eumque Virum pium probum atque eruditum appellat. Agrippæ librum de vanitate & incertitudine Scientiarum non magni quidem facit p. 3, ſed eo tamen nomine commendat, quod Pontificius de erroribus Pontificiis multa præclare diſputet. De Poſſevini Apparatu ſacro judicans p. 5, cum alia de hoc opere egregie monet, tum ſcriptorem multæ diligentiæ, eruditionis mediocris, judicii oppido exigui vocat. Lipſii ſuperſtitionem & levitatem, imo impietatem, ob Mariam, Deæ Divæque nomine appellatam, caſtigat p. 6. Votum pium exſtat p. 8, quod nuncupavit, cum ſe ſcriptioni Anti-Baronianæ accingeret. Catecheſin Eccleſiarum Polonicarum graviter deteſtatur p. 9. Varia in Photii Bibliotheca, imprimis autem ordinem & accurationem, deſiderat p. 12. Plethonis Chorographiam Theſſaliæ ait eſſe ψευδεπίγραφον & totam ex Strabone deſumtam, p. 14. In Palæphati libro de Incredibilibus depravata quædam loca reſtituit p. 14. Poſtremos duos Dioſcoridis libros non ab alio, quod Cornarius & Guillandinus ſtatuunt, ſed ab ipſo Dioſcoride ſcriptos eſſe p. 15 ſq. & MSS. autoritate & ſtili ratione demonſtrat, ac de ipſo opere alia non vulgaria obſervat. Ariſtotelis libros XIV de Myſtica Philoſophia ſpurios eſſe probat contra Carpentarium p. 18, quem non ex Arabico, ceu videri vult, ſed Petri Nicolai Faventini verſione Latina ſuam feciſſe & incruſtaſſe evincit. Epiſtolas Melanchthonis ad Camerarium & ipſum Melanchthonem laudat p. 21. De Serario multa legas p. 25 ſq. de Sixto Senenſi p. 26 ſq. Camerarii Vitam Melanchthonis & Epiſtolas laudat p. 29 ſq. De ſcriptis a Paulo Sarpio & Bellarmino in cauſa Reip. Venetæ, quam Paulus V P. R. fulmine percuſſerat, editis, multa leguntur p. 31 ſq. De Caſſandro ſententiam dicit p. 37. In Robertello δοκησισοφίαν & maledicentiam in Viros magnos exercitam reprehendit, ac diſſertationi ejus de arte corrigendi antiquorum libros parum tribuit p. 38. Alia id genus

genus commemorare hic omittimus, cum ex his de reliquis facile judicari poſſit. Inter Philologicas obſervationes numeramus eas, quæ veterum phraſes, κοινωνία ἀπὸ συμβόλων & ζαίνειν εἰς πῦρ exponunt p. 49 ſq. Sic Herodiani locus quidam emendatur p. 51 & p. 52 ſq. varia θαυματοποιῶν genera recenſentur, ex quibus manifeſtum fiet, quid ſint τοιχοβάται quid χοινοβατία, quid τροχοπαίκτειν, quid κυβίστησις. Magna induſtria collecta ſunt ex Græcis æque ac Latinis ſcriptoribus verba, quibus animalium quorumcunque e. g. aquilarum, apum, canum &c. ſoni exprimuntur. Collectio iſta ſecundum animalium nomina ordine literarum diſpoſita exſtat p. 56 ſq. Hinc patet, anſeribus gingritum, apibus bombitionem & βομβεῖν, aquilis κλαγγὴν, βρυχηθμοὺς & clangores, aſinis βρωμᾶσθαι, canibus ἰυγὴν, ὠρυθμὸν, ὀρυγμὸν &c. tribui. Stricturæ quædam Caſauboni ad oram operis Bellarminiani exaratæ leguntur p. 64 ſq. Obſervationes elegantiſſimæ de ſtilo Polybii ejusque cum dictione Novi Inſtrumenti convenientia exſtant p. 69 ſq. Polybium cum Livio comparat p. 73. Sequuntur Annotationes in varia S. Scripturæ loca, quæ ſacro Codici ex profanis potiſſimum ſcriptoribus eorumque ratione dicendi lucem affundunt. Sic p. 74 exponit, quid ſit Cor. III, 15 σώζεσθαι ὡς διὰ πυρός. Luc. XIV, 18 ἀπὸ μιᾶς interpretatur p. 75 per *ſimiliter*, *pariter*, ſuſpicaturque, Græcam eſſe locutionem, e circo petitam cum ſupplemento βαλβίδος. Marc. IX, 18 τὸ ῥήσσειν palæſtræ verbum eſſe, oſtendit p. 76. Locum 2 Cor. XII, 2 ex ineditis Anaſtaſii Contemplationibus Anagogicis explicat p. 77. Hebr. IV, 13 τὸ τραχηλίζειν de victima ad extiſpicium aperta olim dictum putat. Quid ſit πυρφόρος in verſione τῶν LXX Obadiæ v. 18, ediſſeritur p. 79. Iidem Interpretes in Pſalm. XII illuſtrantur p. 80, ut & in Eccleſiaſte p. 81 ſq. De voce παραβουλεύσασθαι Phil. II, 30, an rectius cum παραβολεύσασθαι permutetur, erudite disputat p. 83. Vox κεχαριτωμένη Luc. I, 28 a Pontificiorum ψευδερμηνεία vindicatur p. 85 ſq. idemque eſſe oſtenditur, quod Latine dicitur *gratia repleta*. Τὸ περιΐστασο 2 Tim. II, 16 vertendum putat per *devita* p. 90. Σκυθρωποὺς

θρωπὺς Matth. VI, 16, ait eſſe *mæſtos & turbatos* p. 91. Quid ſint κεράτια Luc. XV, 16 explicat p. 96. De loco 2 Tim. III, 16 disquirit p. 97. Jo. V, 39 per imperativum τὸ ἐρευνᾶτε interpretandum cenſet. Omittimus cetera id genus, obſervationum Eccleſiaſticarum nunc etiam exempla quædam tradituri. De ἀκυρολογίαις Patrum quædam obſervat p. 100. Patrum de Euchariſtia ſententiam, adductis veterum locis, explicat p. 101 ſq. Novitatem cœlibatus Clericis injuncti evincit p. 103 ſq. Iconolatriam itidem recens in Eccleſiam invectam eſſe, p. 105 ſq. idoneis Scriptorum teſtimoniis demonſtrat. Varia loca ex ineditis Anaſtaſii Contemplationibus Anagogicis afferuntur p. 107 ſq. Quid apud veteres in S. Cœna τὸ ἀντίτυπον ſignificet, diſquirit p. 109, itemque, quid de Arcani diſciplina & laicorum Sacerdotio ſit habendum, p. 111, 112. Hinc, explicatis p. 119 vocibus quibusdam Punicis, ſpeciatim illis, quæ in Plauti Pœnulo leguntur, exhibentur p. 123 ſqq. animadverſiones Anti-Baronianæ hactenus ineditæ, quas Caſaubonus in exteriore Annalium Baronianorum margine ad Tomos IX priores ſua manu ſcripſerat. Inter eas multas obſerves, quæ Baronium vel imperitiæ vel malæ fidei arguunt. Imprimis autem dignæ ſunt, quæ p. 134 legantur de Pauli ſtilo obſervationes. Sequuntur p. 180 ſqq. binæ Caſauboni Epiſtolæ ad explicandam vocem περπερεύεσθαι, qua Paulus & Cicero uſi ſunt, & illuſtrandam phraſin Græcam 2 Maccab. IV, 12 ὑπὸ πέτασον ἄγειν pertinentes, quæ nec in Gronoviana nec Græviana Epiſtolarum Caſauboni editione leguntur. Περπερεύεσθαι itaque p. 183 ait eſſe idem, quod μετὰ βλακείας ἐπαίρεσθαι h. e. ad oſtentationem alicujus rei, quam quis habet, laude dignum dicere aliquid aut facere. Τὸ ὑπὸ πέτασον ἄγειν p. 186 denotare putat *imbuere diſciplina & moribus Græcanicis*. Subjicitur p. 189 ſq. præfatio, qua Caſaubonus librum ſuum de libertate Eccleſiaſtica ex parte editum & raro nunc obvium inſtruxerat. Iſta omnia p. 199 excipiunt Notæ Cl. Editoris in Caſauboniana, quales ad ſingula fere eorum momenta vel illuſtranda vel confirmanda vel nonnunquam etiam emendanda ſpectant. Sic p. 201 ſq. mul-

ſq. multa afferuntur de controverſia, quæ quondam in Academia Cantabrigienſi inter Epiſcopum Vintonienſem & Jo. Checcum circa genuinam Græcæ linguæ pronuntiationem agitata fuit. De Mariolatria Pontificiorum varia obſervantur p. 206, de Lancelloti cum Bellarmino controverſia p. 208, de Eduardo Livelejo ejusque in rem literariam meritis p. 211 ſq. de Jo. Rainoldo ejusque miro cum Guilielmo Fratre certamine, religionis cauſa ſuſcepto, p. 214, de opere Dionyſii Thracis Grammatico p. 220, de Th. Eraſto, ejusque ſcriptis Theologicis p. 229, de epiſtolis & ingenio Melanchthonis p. 230, de Balæi & Lolandi commentariis ad hiſtoriam ſcriptorum Britannicorum pertinentibus p. 236, de Paulo Sarpio p. 243. ſq. de imperfecto Caſauboni libro de libertate Eccleſiaſtica p. 245, de Theſauro Orthodoxæ Fidei Nicetæ Choniatæ p. 252, de ſcriptoribus Harmoniæ Evangeliſtarum ac ſpeciatim de Adamo Oſiandro & ejus ὁμοψήφοις p. 255, de ſenſu plantarum p. 267, de Curis Caſauboni Polybianis ἀνεκδότοις p. 272, & quæ ſunt hujus generis alia. Loca etiam varia Scripturæ S. illuſtrata ſunt, e. g. p. 208 1 Cor. II, 4, Hebr. IV, 13 p. 283, Matth. XVI, 18 p. 285, Matth. VI, 11 p. 288, 1 Tim. III, 15 &c. De Patrum circa Euchariſtiam ſententia diſputatur p. 299, de Clericorum cœlibatu p. 302, de iconolatria p. 303. ubi ſimul ex MS. Nicetæ Choniatæ Theſauro quædam hactenus inedita & Thomæ Barlovii, Epiſc. Lincoln. obſervationes de eodem argumento ex MS. exhibentur. De purgatorio ex Gentiliſmo derivando dicuntur nonnulla p. 305, de Catechumenorum deſiderio ſcriptoribus Eccleſiaſticis celebrato p. 311, & p. 312 locus quidam τῶν φιλοσοφουμένων, ſub Origenis nomine a Cl. Gronovio primum ex Codice Mediceo editorum, & Hamburgi ab ipſo Caſaubonianorum Editore prelo iterum ſubjectorum integritati ſuæ, miſere antea depravatus, reſtituitur, beneficio collationis cujusdam cum ipſo illo Mediceo Codice inſtitutæ, ex qua alia ejusdem opuſculi loca alias emendaturum ſe idem pollicetur. Sic etiam ſpem facit fragmentorum variorum ex Græco Panopliæ Euthymianæ Codice, in Bodlejana Bibliotheca obvio, edendo-

Digitized by Google

rum. Nominatim ea ex hoc opere promittit p. 233, quæ de hæreſi Bogomilorum in eo relata leguntur, eodem conſilio vulganda, quo Jacobus Tollius olim ex eodem Codice illa edidit, quæ ad Meſſalianorum hæreſin ſpectant. Alia etiam ſperare jubet p. 253 ex Nicetæ Choniatæ Theſauro Orthodoxæ fidei, quem Græco ſermone elegantiſſime & luculenter ſcriptum in Bodlejana Bibliotheca uſurpavit. Præmiſſa eſt his Caſaubonianis Præfatio longior, qua diſſeritur de Scaligeranis, Menagianis & omnibus illis ſcriptis, quæ ſub eadem inſcriptionis ratione prodierunt. De iſtis nihil nunc dicemus, præter illud, quod §. 29 *Jameſiana & Gronoviana* promitti videantur.

S. IGNATII EPISTOLÆ GENUINÆ, Juxta exemplar Mediceum denuo recenſitæ, una cum veteri Latina verſione: annotationibus D. JO. PEARSONI & THOMÆ SMITHI illuſtratæ. Accedunt Acta Martyrii S. Ignatii, Epiſtola Polycarpi ad Philippenſes, & Smyrnenſis eccleſiæ Epiſtola de S. Polycarpi Martyrio, cum veteribus verſionibus, & annotationibus THOMÆ SMITHI.

Oxonii, e Theatro Sheldoniano, 1709, 4.

Alph. 1 pl. 4.

Quam variæ proſtent Epiſtolarum *Ignatii* editiones, quantæque de iis ortæ ſint inter eruditos controverſiæ, alienum eſt ab hoc loco recenſere. Factum hoc jam eſt a Celeberrimo noſtro quondam Ittigio in diſſertatione, *Bibliothecæ Patrum Apoſtolicorum* præfixa, §. 84 ſqq. p. 260 ſqq. Illud autem prætermitti non debet, ab Anglis illis, quos hierarchicos & Epiſcopales vocant, ex omnibus Ignatio tributis Epiſtolis ſeptem probari, a Voſſio & Uſſerio editas, nempe *ad Smyrneos, ad Polycarpum, ad Epheſios, ad Magneſios, ad Philadelphienſes, ad Trallianos,* & *ad Romanos.* Has illi libenter pro genuinis admittunt, propterea quod inde contra Genevenſis diſciplinæ cultores dilucide probari poſſit, diſcrimen inter Epiſco-

piſcopos & Presbyteros jam Ignatii ævo obſervatum. Contra confictas omnino & ſubdititias eas eſſe, contenderunt alii doctrina & judicio præſtantiſſimi viri, Salmaſius, Blondellus, Albertinus, Dallæus, Larroquanus, Samuel Baſnagius, nec Spanhemio juniori refragante: quibus ex noſtris poſt Centuriatores Magdeburgicos & Martinum Chemnitium acceſſere Joſua Arndius & Tenzelius. Nec facile Lector ab omni partium ſtudio alienus horum poſteriorum ſententiam damnare poterit, quippe quam Canon ille criticus firmat: *Quicunque liber non refert animum & affectum ejus, cujus præ ſe nomen fert, ſed plane diverſum, is non poteſt non eſſe ſuppoſititius.* Uti enim hinc recte colligimus, Pauli ad Senecam epiſtolas eſſe ὑποβολιμαίους, cum haudquaquam ſpirent robur illud animi, ſapientiam & affectum illum Chriſtianum, quo Paulum conſtat fuiſſe præditum: ita nec vitio cuiquam verti poſſe videtur, qui præter alias Ignatio perperam tributas Epiſtolas, etiam ſeptem illas, Anglis Epiſcopalibus nimis caras, repudiat, cum omnia in illis ſint frigida, jejuna, inepti tumoris affectatæque grandiloquentiæ plena. Nec multum earum patronos tutoresque juvat Euſebii ac Hieronymi, eaſdem nominatim laudantium, autoritas: cum non ignotum ſit, ab hoc etiam putidas illas nænias, quæ ſub Pauli nomine ad Senecam exſtant, probatas eſſe, & pleroſque Eccleſiæ Patrum non tam fuiſſe acutos, quin Sibyllinis carminibus aliiſque hujus furfuris libellis imponi ſibi paterentur. Præterea dubitari non poteſt, quin in Critica omni quæſtione argumentum externum (quale eſt illud ab Hieronymi & Euſebii citatione ductum) interno, quod paulo ante prolatus canon criticus continet, ſit poſtponendum. Verum hiſce immorari nobis non licet, diſſerturis potius pauliſper de præſenti editione. Nimirum Jo. Pearſonus, Epiſcopus Ceſtrienſis, in *Vindiciis Ignatianis P. II cap. 15 p. 203* receperat, ſe novam harum Epiſtolarum editionem, uberioribus dilucidatam notis, adornaturum, idque promiſſum ut exſolveret, nihil fecerat reliqui, variaſque annotationes in illas Epiſtolas ſtudioſe congeſſerat. Cum vero earum editionem mors ipſius præ-

Digitized by Google

vertiſſet, inciderunt in manus Joannis Alleni, Collegii S. Trin. Socii, a quo eas accepit edendas Thomas Smithus, vir aliis quoque monimentis in orbe litterario clariſſimus. Poſtea cum eodem Smitho (qui hæc grato animo in Præfatione indicat) Joannes Thanus, ſororis Pearſoni filius, cummunicavit obſervationes Pearſoni MStas in epigraphen Epiſtolæ Ignatii ad Smyrnæos, & ſchedas Jo. Ledgardi, complexas varietates lectionis, quas rogatu Pearſoni Florentiæ olim ex collatione editionis Amſtelodamenſis cum codice originali, ex quo Iſ. Voſſius primus has Epiſtolas Græce edidit, collegerat. Smithus itaque haſce Pearſoni annotationes poſthumas, nec ab autore reviſas inque ordinem redactas, cum multum bonæ frugis in iis deprehenderet, publica luce dignas exiſtimavit. Initio autem ſeptem illas Ignatio a pleriſque tributas Epiſtolas exhibet, facta e Mediceo codice eorum emendatione, quæ in Voſſiana editione præ feſtinatione omiſſa vel perperam exſcripta fuerant: & in ima pagina ſubinde additis conjecturis criticis & perbrevibus ſcholiis. Appoſuit item veterem Latinam verſionem ab Uſſerio primum ex codice MS. Cantabrigienſi, ante quadringentos circiter annos ſcripto, publicatam, quam Pearſonus in ſuis annotationibus ſubinde corrigit, quamque p. 23 putat ante annum Chriſti 650 factam fuiſſe. Cum vero a codice Mediceo illa ad Romanos Epiſtola abeſſet, ejus Græcum textum, cui vetus illa Latina verſio fere in omnibus reſpondet, a Theodorico Ruinarto e MS. Colbertino primum Pariſiis 1689 editum, hic adjunxit. Subjunxit Smithus Acta Martyrii S. Ignatii, præmiſſaque his ſingulari præfatiuncula, oſtendit, pauciſſimis exceptis, quibus tamen nihil detrahatur horum Actorum αὐθεντίᾳ, pura ea eſſe atque genuina. Tum ſequitur S. Polycarpi ad Philippenſes Epiſtola, quam facilius credas eſſe genuinam, a Petro Halloixio primum vulgata, cujus itidem antiquam verſionem, quanquam mendoſiſſimam, Smithus retinuit. Agmen denique claudunt Acta Martyrii S. Polycarpi quondam jam ab Uſſerio edita: quorum etiam verſio, quam & ipſam *paſſim mendoſam*, *ineptam & corruptam*

Digitized by Google

ptum pronuntiat Smithus, hic retenta eſt vetuſtatis ſuæ cauſa. Nunc demum ſequuntur Annotationes Pearſoni in ſeptem illas Ignatianas Epiſtolas, quibus ſubnexa eſt brevis ejusdem Diſſertatio, qua probandum ſuſcepit, Ignatium ad beſtias damnatum ſub finem Anni Chriſtiani 116, eodemque anno has ſcriptas eſſe Epiſtolas: quam ſententiam etiam Guilielmo Lloydio & Antonio Pagio probatam eſſe, in Præfatione monet Smithus. Tandem libro finem imponunt ipſius Smithi annotationes, non in Ignatii ſolum epiſtolas, ſed & in Acta Martyrii ejus, item in Epiſtolam Polycarpi & ejusdem Acta Martyrii. De utriusque doctiſſimi Viri annotationibus generatim obſervandum, eſſe eas quidem doctiſſimas, ac Pearſonum annotationibus philologicis, Smithum paraphraſibus lucem Epiſtolis illis fœnerari ſtuduiſſe: ſed indidem ſimul apparere, utrumque id negotii ſibi datum eſſe credidiſſe, ut frigidis affectatisque Ignatii (hunc enim verum harum Epiſtolarum auctorem eſſe neutri dubium eſt,) dictis commodus concilietur ſenſus. Quo conſilio & prætereunt interdum, quæ nimium difficultatis habent. Nam cum Ignatii Græcis verbis quædam Latina ſint immixta, ut p. 6 n. XII, p. 12 n. II & p. 31 n. III ἐξεμπλάριον, *exemplarium* ſive *exemplar*; p. 9 n. VI δεσέρτωρ, *deſertor*, & δεπόσιτα *depoſita*; item p. 10 ἄκκεπτα, *accepta*; a neutro ad hæc loca monitum quippiam invenias. Ceterum ut ex his annotationibus nonnulla delibemus, p. 1 Pearſonus agit de nomine *Ignatii*, quod Romanum eſſe credit, factum ex *Egnatius*, nomine olim perquam uſitato: non ab *igne*, ut putarunt alii. Quæ opinio Lectori ſe facile probabit, recordanti, multa Romanorum nomina ab urbibus deducta eſſe. Uti enim a Vitellia *Vitellius*, a Corfinio *Corfinius*, ab Hadria *Hadrianus*, a Laurento *Laurentius*, & ἀναλόγως a Tarento *Tarentius*, poſt mutatum in *Terentius*, a Pontia *Pontius*, a Tiberi fluvio *Tiberius*; ita ab Egnatia, urbe Apuliæ, *Egnatius*, quod proclivi nec inſolenti μεταβολῇ tranſiit in Ignatius. P. 26 ſq. docte docet, præmia athletarum a veteribus vocari ſolita eſſe θέματα. P. 25 putat, ex loco Mathæi

VIII, 17 colligi poſſe videri, Matthæum ſuum Evangelium Hebraice ſcripſiſſe, cum ibi ſequatur Hebræum codicem, non LXX interpretes. Quando vero Pearſonus p. 22 exiſtimat, ἀσύγκριτον in Epiſtola ad Smyrnæos vertendum eſſe *incomparabilem*, Smithum non habet conſentientem, qui p. 66 ſtatuit, eſſe nomen proprium, cum idem occurrat in Epiſtola Pauli ad Rom. XV, 14. Contra cum Smithus p. 8 n. IV in Epiſtola Ignatii ad Polycarpum pro ὀυ δὲ legendum cenſet σὺ δὲ, ſcilicet inductus a malo interprete, oblitus eſt, interpretem eo loco p. 28 jam correctum, & vulgatam lectionem acute defenſam eſſe. P. 100 ſq. Smithus eorum tuetur ſententiam, qui dictum Ignatii: Ὁ ἐμὸς ἔρως ἐσταύρωται, de Chriſto capiunt. Porro cum in Epiſtola eccleſiæ Smyrnenſis de Martyrio Polycarpi §. XVI p. 72 tradatur, corpore viri ſancti gladio transfixo, non ſolum ſanguinis copiam protinus profluxiſſe, ſed & *columbam* de ipſius proceſſiſſe corpore: Smithus ad *h. l.* putat, hanc hiſtoriolam, omnibus vetuſtis ſcriptoribus tacitam ac proinde fabuloſam, inde ortam eſſe, quod pius aliquis lector ſui codicis margini eo loco adſcripſerit vocem περιστερὰ, alludens ad morem ἀποθεώσεως Romanæ, quo accenſa pyra *aquila* dimitti ſolebat, verſus cœlum avolatura: quæ deinceps in textum a librario ſit intruſa. Verum ipſemet Autor merito dubitat, an hæc conjectura ſagaci ſe Lectori ſit probatura. Ex criticis Smithi conjecturis unam attingere liceat, qua p. 55 in Epiſt. Polycarpi ad Philipp. n. II pro: ἐν ᾧ μέτρῳ μετρῆτε, legendum cenſet: ᾧ μέτρῳ μετρεῖτε. Sed in priori quidem emendatione aberravit, ſuſpicatus, eum locum deſumtum eſſe ex *Luca* VI, 38: cum tamen petitus ſit ex *Matth.* VII, 2, ubi eadem plane verba habentur. Alterum vero μετρεῖτε rectiſſime repoſitum eſt, quippe quod & in Matthæo exſtat & in Luca.

ENTRETIENS SUR LA RELIGION.

i. e.

DIALOGI DE RELIGIONE.

Rote-

Digitized by Google

Roterodami, apud Abrahamum Acher, 8
Alph. 1 plag. 14 & dimidia.

AMplior forma hujus tituli eſt, quam materia libri, qui contra ſolos Romanenſes conſcriptus videtur, niſi quod ſub finem generalia quædam annectantur, & creditur ejusdem Autor doctiſſimus apud Roterodamenſes Baſnagius.

In Præfatione recitatur non levis illa ſacrorum in Flandria cataſtrophe, quando, liberata ex Gallorum poteſtate haud exigua ejus regionis parte, plura hominum millia ad cultum Reformatorum publicum rediere, quorum majores ſub Hiſpanico Gallicoque jugo ope Novi Teſtamenti & aliquorum libellorum Polemicorum clanculum veritatem animo retinuerint. Simile quid in Galliis eventurum ſperat Autor, atque hunc in finem edidiſſe præſentem librum videtur. Qui quindecim Colloquiis abſolvitur, dignis, quæ diligenter excutiantur. Nam primo ille Colloquio rem ex obliquo aggreditur, fingens, Romanæ Eccleſiæ aſſeclam quempiam exprobrare homini ex Reformatis ad ſacra Romani Pontificis nuper traducto, quod aliud mente recondat, quam ore profiteatur, ac interiori animi cum averſatione ad Miſſæ cumprimis ritum accedat. Equidem perſonatus quidem hic apoſtata nihil non excuſationum conquirit, quibus illi, qui Indifferentiſmum moliuntur ac defendunt, uti ſolent; confutatur autem ab adverſario tam valide, ut tandem vitium ſuæ ſimulationi ineſſe fateatur, ac ingenue Pontificiorum errores reprobet. Hinc ſecundo Colloquio de receſſione Proteſtantium a cœtu Romanenſi agitur, evinciturque, illam fuiſſe oppido neceſſariam, neque unitatem illam Eccleſiæ, quam Chriſtus poſcit & quæ fidei ſit, hac ratione ſolutam eſſe, etſi mere humana conſociatio in commoda Romani Pontificis facta, & temporum caliginoſorum lapſu confirmata, graviter concuſſa ſit. Tertio Colloquio de ſalute in cœtu Romano-Catholico acquirenda diſputatur, & negatur, tum ob errores, tum ob ſuperſtitionem illis admixtam (quam in ipſo mortis articulo hoſtiam allatam adorantes ſervent) ſalutem Pontifi-
ciis

Digitized by Google

ciis adſcribi poſſe, etſi de illis, qui ex ignorantia peccent, non ſit plane deſperandum, ſed preces, exemplo Chriſti, pro iis fundendæ. Hinc de Henrici IV cumprimis & Principis cujusdam Sereniſſimæ exemplo ſigillatim diſquiritur, negaturque, Theologos Proteſtantes impunitatem ſecedendi a noſtris ſacris unquam illis feciſſe, aut ſuaſiſſe etiam, docendo, quod in Eccleſia Romana ſalus obtineri poſſit. Hic, excuſſis ſubinde circumſtantiis, defenduntur maxime Helmſtadienſes, quæque de conſilio ab illis dato ſparſa ſunt, diſcutiuntur, ipſius autem conſilii hypotheſes examinantur ac refutantur, p. 18 ſq. Quarto Colloquio ſigillatim de Miſſæ ſacro agi cœptum eſt, & impugnatur ipſa realis corporis Chriſti in S. Cœna præſentia, conſtipatis fere omnibus, quæ hactenus contra eundem produci ſolita ſunt, maxime ex Patribus, quos plane ab illa alienos fuiſſe, Autor evincere ſtudet. Quinto Colloquio evertitur Transſubſtantiatio argumentis ſatis ſolidis, id quod in ſexto Colloquio ipſi etiam Miſſæ ſacrificio accidit. Poſtquam enim de Calice Laicis erepto graviter diſputatum fuerat, excutiuntur latibula Romanenſium prope omnia, illa maxime quæ celeberrimus Boſſuetus pro ſacrificio incruento aſſerendo adornavit. Præclare Autor *p. 233* ex Mabillonii Liturgia Gallicana oſtendit, quam longe a Miſſæ ritu hodierno & erroribus illi adſitis aliena fuerit vetus Eccleſia Gallicana, ut vel maxime iſta omnia repudiarit. Septimo Colloquio adoratio & circumgeſtatio hoſtiæ, quam vocant, conſecratæ idoneis rationibus enervatur, argumentis aliquam partem a I. B. Thiers petitis, qui peculari libro eandem oppugnavit. Quæ p. 258 ſq. ex libro de ceremoniis ſacris Aquisſextienſibus recitantur ceremoniæ ſacrorum ſcenicorum tam paganorum, quam Judaicorum & Chriſtianorum, & publicæ pompæ, legi merentur. Colloquium octavum invocationem Sanctorum tanquam indignam Chriſtiano nomine & abſurda plurima ſecum ferentem, ſub cenſuram vocat; nonum vero reliquiarum cultum, ubi cumprimis de reliquiis umbilici & lacrumarum Chriſti multa ſingularia & lectu digna commemorantur, maxime controverſia illa, qua Cabilonenſi nuper Epiſcopo cum Cle-

Clericis Diœceſanis de umbilico iſto, quem turpiter confictum Epiſcopus in ſolenni viſitatione deprehenderat, interceſſit. De imaginum veneratione Colloquium decimum tractat, oſtenditque, fraudulenter agere illos Romanenſium Doctores, qui negent, imaginibus cultum exhiberi & intrinſecam virtutem ac afficaciam tribui. Undecimum colloquium contemplatur Pœnitentiam & Confeſſionem, duodecimum ſatisfactiones, indulgentias & purgatorium, decimum tertium denique doctrinam de Juſtificatione, brevius paulo quam præcedentia. Poſtremo recapitulatio aliqua capitum religionis Chriſtianæ præcipuorum Colloquio decimo quarto inſtituitur, ut nexus veritatum neceſſario retinendarum in promtu ſit, & ultimo præterea Colloquio teſtes defenſæ hactenus veritatis per omnia ſecula nec non ſuperſtitionis incrementa commonſtrantur. Additur Cabilonenſis Epiſcopi Epiſtola ad Procuratorem generalem Pariſinum de controverſia, quam ſupra commemoravimus.

CODE MILITAIRE OU COMPILATION des reglemens & ordonnances de Louis XIV Roy de France &c.

h. e.

CODEX MILITARIS, SIVE COLLECTIO Legum & Diplomatum Ludovici XIV Galliarum Regis ab anno 1651 usque ad præſentia tempora publicatorum in cauſis militaribus; Autore Dn. de SPARRE, Equite & Duce bellico.

Pariſiis, apud Dionyſ. Mariette & Jo. Baptiſt. de Leſpine, 1708, 12. Alph. 1 plag. 3.

IN prima ſtatim juventute atque anno ætatis adeo decimo quinto ad arma bellumque aſſuefactus illuſtris Autor didiciſſe ſe profitetur, quam ſit difficile plurimis, magiſtris æque militiæ militibusque ipſis notitiam Legum omnium militarium verumque intellectum earum ſibi comparaſſe. Tantam enim

illarum eſſe multitudinem, ut XVI pene Volumina occupent: easque magnam partem iterum mutatas, vel augmento adjecto, vel reſectis partibus aliis, aliisque renovatis, prout ratio temporum id poſtulare videbatur. In novo tamen Duce caſtrorum perinde atque in quocunque milite, qui ipſo actu rerum ſit conſtitutus, perfectam requiri harum rerum ſcientiam. Et cum in iis, quæ extant, compendiariis Tractationibus ſervatus fuerit ſolus ordo publicationis, ſpreta omni cohærentia materiarum, quæ ibi proponuntur, applicandum ad diſtinctiorem elaborationem illarum eſſe calamum rectiſſime arbitratus eſt Illuſtris Dn. Autor. Incipit enim, veluti in formam artis redacturus opus totum, a primo quaſi momento, quo quisque ad ſequenda caſtra invitatur primum & albo illorum inſcribitur: delatusque inde ad recenſendam totam diſciplinam militarem, & officia, quæ cuique incumbunt, ordinem naturæ ſecutus, deſinit tandem in plenaria iterum dimiſſione a vinculo illo bellico. Ita vero cum totum apparatum Legum Gallicarum per dimidiam ſeculi partem & quod excurrit, libris XI, qui titulis ſuis iterum diſtinguuntur, mira brevitate abſolviſſet, nihil attulit, cui alibi jam derogatum aliquid, vel quod plane foret abolitum. Neque etiam recedendum ſibi putavit a tenore verborum, ſed preſſe ſequitur ſcripturam atque contextum ipſarum legum: omiſſis tandem præloquiis, &c, quæ ſub finem ſubinde repetuntur, iisdem ubique clauſulis. Factum vero hac ratione cernimus, ut articuli cujusque Tituli ex pluribus componerentur ut plurimum Edictis atque Diplomatibus Regiis, quæ diverſiſſimis temporibus quandoque prodierunt, & de eodem quidem argumento, ſenſu tamen magis perſpicuo quam alibi, concepta ſunt. Qua in parte laudem induſtriæ exactiſſime meretur Illuſtris Dn. de Sparre, neque potuit vires ingenii ſui, quod ſupra captum genii militaris cultum eſt, in argumento nobiliore, poſtquam quieti ſuæ redditus fuit, experiri. *Hereux*, ait ipſe, *ſi par mon travail je puis epargner jusqu' au ſimple Soldat un ſeul moment d' Arreſt, ou la moindre reprimande des fautes, qu' il pourroit commettre*

tre par ignorance. Et ſola hæc obſervatio excuſabit nos apud omnes Martis alumnos, ſi intacta tota hæc ſacra, citra ſuetam alias nobis excerpendi libertatem, ipſis relinquamus. Sunt enim quidam libri ea arte compoſiti, ut niſi toti inſpiciantur, pulchritudo ipſorum intelligi nequeat. Et vero ab illa ſchola bellorum, quæ ſub auſpiciis tanti Regis ad invidiam ſeculi adhucdum excelſiſſime effloruit, nihil utique debet exſpectari, niſi profundum, & ſubtiliter ad omnes cardines occurrentium negotiorum actuumque publicorum exhauriendos excogitatum. Nam & ultimo libro nondum defecit copia dicendorum, ſed recitatur quoddam edictum Regium A. 1691, quod alibi forte vix deprehendas: ubi nimirum ducibus æque & reliquis omnibus cujusvis ſexus & qualitatis ludi complures, *de Hoca, Pharaon*, ſeu *Barbacole*, & *de la Baſſette*, ſeu *Pour-& contre*, ſub quocunque nomine vel forma occultentur, ſeveriſſime prohibentur: mille librarum multa dicta ludentibus, & mille librarum iis, qui luſus iſtos apud ſe aliis quacunque vice permiſerint: & quatuor menſium carcere vel arreſto ſtatuto prioribus, poſterioribus autem unius anni, ſi nummis deſtituantur: ademptaque præterea omni licentia excipiendi adverſus executionem vel adeo appellandi etiam. Libro quarto Tit. 2 exhibuerat Autor nervum Edicti Regii A. 1677 adverſus Duella ducum militarium. Ad calcem Codicis autem integrum enarrat Edictum recentius A. 1679 de iisdem, articulis adeo XXXV conceptum. Ubi in principio laudat Ludovicus XIV hoc veluti beneficium divinum maxime inſigne, firmitatem ſcilicet conſtantiamque conſilii a Deo ſibi inſpirati ad exequendam ſtrictiſſime prohibitionem Duellorum, ab anteceſſoribus fruſtra tentatam. Certat ibi ſapientia inventrix multorum argumentorum, quæ ex recondita plane philoſophia depromta ſunt, cum pondere prudentiæ regnatricis, quæ ex omni genere caſuum ibi deciſorum ſponte intelligitur. Neque diſſimulandum eſt, per Electoralem noſtram Saxoniam A. 1706 publicatum fuiſſe Mandatum Regium ejusdem ferme ſpeciei, quod volupe fuerit Lectoribus, inſtituta comparandi arte, invicem penitius

intueri. Et ecce in fine Codicis Declarationem Ludovici XIV adhuc aliam peculiarem ex illo genere Diplomatum Regiorum, quæ vocantur *les Lettres d'Etat*, A. 1702, cui magis congruus locus vix poterat reperiri. Favore Ducum iſtorum militarium, quorum vita pro defendendo Rege & ſalute publica exponitur, concepta eſt articulis XXVIII adverſus moleſtias litium forenſium, quibus ab adverſariis in judiciis eo tempore vexantur apud ſuos. Viderat Rex, Juſtitium hoc varie limitandum ac circumſcribendum eſſe ad coercendos illius abuſus. Neque quenquam Lectorum pœnitebit, accuratius inſpexiſſe ſapientiſſimum ejus contextum.

HISTOIRE DE L' ACADEMIE ROYALE des Sciences. Année M DCC VIII.

h. e.

HISTORIA ACADEMIÆ REGIÆ SCIENtiarum Anni 1708, cum Commentariis Mathematicis & Phyſicis.

Pariſiis, apud Johannem Boudot, 1709, 4.

Conſtat Alph. 3 plag. 11 Tabb. æn. 17.

NOtum eſt experimentum, quo *Lemery* geneſin fulguris atque tonitru illuſtravit. Si ſcilicet Spiritui Vitrioli aqua limpida affundatur & Martis limatura addatur; halitus producitur ſulphureus, qui admoto cereo inflammatur & tonitru inſtar fragorem edit. Imo ipſimet experti ſumus, quod halitus, ſi orificio vitri obdurato exitus negaretur, ipſum perfoderit. Cumque aliquando in vitro ſatis amplo copioſum accenderemus, tanto id fragore in mille fruſta disjecit, ut in adſtantibus ad tempus ſurditatem efficeret. Idem ſuccedit, ſi oleum vitrioli ſpiritui ſubſtituas. Enimvero materia ſemel accenſa diſſipatur, novoque fulguri producendo novus deſtinatur halitus. In nubibus contra fulgur unum continuo excipit alterum. Cauſam hanc reddit *Hombergius*, quod aer ſuperior ob tenuitatem ſuam

Digitized by Google

ſuam aſcenſum negans halitui accenſo impediat, quo minus diſſipetur. Unde idem iteratæ fulguris productioni inſervire poteſt, donec tandem per fluvias diſſipatio fiat. Cum mutationes in Tubo *Torricelliano* non ſatis notabiles exiſtant, *Hugenius* in Diario Gallico A. 1672 aliud propoſuerat barometri genus, in quo graduatio longe major erat quam in communi. Id ulterius perfecit Dn. *de la Hire*, ut mutationes aeris adhuc leviores indicere queat. Conſtructionem ipſam Figura 3 TAB. IV. declarat: ad quam nota, vaſorum A & B diametrum eſſe $4\frac{1}{2}$ Fig. 3. linearum, tubi CD nonniſi unius, altitudinem vero duorum digitorum. Diſtantiam vaſorum A & B eſſe $28\frac{1}{2}$ digitorum. Utrumque ex parte Mercurio, reliquum vero vaſis B cum tubo GD oleo Tartari, vas denique ſuperius D petroleo repleri. Quodſi jam aucto pondere atmoſphæræ Mercurius ex L in A aſcendat, oleum Tartari ex M in G & petroleum ex N in K deſcendet. Mutatæ igitur gravitati aeris reſpondet effectus MG, cum in ſimplici non reſpondeat niſi L A vel K N. Cum idem *de la Hiere* alia paulo ratione, quam *Amontons* fecerat, vim aquæ ebullientis in augendo aeris elatere examinaret, incrementum ſemper minus tertia parte ponderis atmoſphærici (quam menſuram conſtituerat *Amontons*) nec tamen omni tempore idem deprehendit. Uſus vero eſt tubo recurvo ABC cum globo vitreo D, cui tubulus capillaris Fig. 4. EF annectebatur, hermetice ſigillatus, quamprimum Mercurius per orificium A fuerat infuſus. Idem experimentum ſum- Fig. 5. ſit in tubo recurvo ABC globo deſtituto, ita ut pars tubi CD aere repleta trium digitorum exiſteret, ut conſtaret, num quantitas aeris varietatem aliquam inducere valeret: ſed majus fere in hoc, quam in altero caſu elateris incrementum notavit. Ulterius eam in rem inquirens didicit aerem humidum magis dilatari minus humido; cum enim parietibus inſtrumenti prioris interioribus 11 granorum aqua adhæreret, aeris expenſi ſpatium erat octuplum ejus, quod in inſtrumento probe exſiccato occupabat. De eodem argumento experimentum Bononia ad *Caſſinum* perſcripſit *Stancari*, qui aerem ex tubo aquæ ebullienti immiſſo expellens poſteaque frigidam in illius lo-

Digitized by Google

cum aſcendere paſſus didicit, plus aquæ frigidæ aſcendere, ubi tubus a præcedente experimento adhuc madebat, quam ubi madefactus non fuerat. Hinc rationem reddit *Fontenellius*, cur aer liber non comprimatur in ratione ponderum, quemadmodum in incluſo notarunt *Boyle* atque *Mariote*, & poſt ipſos alii, quia ſcilicet ſuperior ob humiditatem magis elaſticus. His & ſimilibus experimentis inductus *Parent* aeris elaterem in dubium vocat ejusque dilatationem a quantitate materiæ ætheriæ ac rapidiore ipſius agitatione deducit. Hypotheſin ſuam ſequente experimento illuſtrat. Pluribus globis vitreis (quorum diameter erat unius digiti, colli longitudo 8 vel 10 digitorum, diameter unius lineæ) diverſorum fluidorum, aquæ nimirum, vini, ſpiritus vini, olei Tartari, petrolei, Mercurii exiguam quandam portionem infudit & collis vaſi ad antliam aptato immiſſis aerem eduxit, tandemque tubos ad flammam lampadis liquefactos hermetice ſigillavit. Una cum hisce globis alios ſolo aere plenos carbonibus candentibus impoſuit: illi cum fragore disjiciebantur, hi liquefacti per foramen exiguum aerem ſine ſibilo emittebant. Inde infert, materiam ætheriam non potuiſſe eam vim adhibere adverſus interiores globorum parietes mediantibus aeris, quam liquorum craſſiorum particulis. *Parentianis* hiſce objectionibus doctrina de vi elaſtica aeris non oppugnari videtur, plurimi enim eam per motum rapidum materiæ ætheriæ partes corporum craſſiorum disgregantis dudum explicarunt. Nec mirum eſt, quod aer humidus calore magis dilatatur, quia aquam ei incluſam vi caloris vapores elaſticos emittere conſtat. Præterea obiter notamus, globos quoque vitreos ſolo aere plenos cum fragore disjici, modo carbones candentes non contingant, ſed ſoli calori exhalanti admoveantur, ut liquefactio contingere nequeat, quæ a liquore infuſo (uti in vulgus conſtat) in reliquis prohibetur: quemadmodum globum cupreum rite afferruminatum maximo cum fragore & impetu disjici, ſi ſolo aere plenus carbonibus candentibus imponatur, & ipſi experti ſumus, & ante nos experti ſunt alii. Syſtema *Halle-*

janum

Digitized by Google

ſianum de acus magneticæ declinatione novis obſervationibus confirmatur in itineribus maritimis annotatis. *Hombergius* in foco lentis 13 digitorum laminam elaſticam vibrationes edentem obſervavit, radiorum ſolarium vim percutiendi inde colligens. Idem glaciem in vacuo facilius liquefieri, quam in aere expertus eſt. Cauſa conjicitur in copiam materiæ ætheriæ. Ex nimia in ſolennitatibus quadrageſimalibus ſaltatione in febrim acutam & hinc porro in delirium incidit non nemo; ſed medicorum ope fruſtra implorata morti fere vicinus intra horæ quadrantem per Muſicam curatus.

Methodum Geometrarum, qua exemplo *Sluſii* æquationes per duorum Locorum combinationem conſtruunt, omnibus modis deficere contendit *Rollius*. Falſo enim credi, tot eſſe radices reales, quot ſunt interſectiones linearum, quæ ad conſtruendum adhibentur, quoniam ſæpiſſime plures eſſe poſſint quam linearum interſectiones, immo radices reales dentur, Curvis ſe prorſus non interſecantibus; contra plures ſæpius ſint interſectiones quam radices, immo multæ interſectiones fiant, radicibus omnibus imaginariis; &, quod majus eſt, tot ſæpius fiant interſectiones, quot ſunt radices reales, nulla tamen illarum ullam harum prodat. Urget præterea, quod methodo iſta uſus in Loca imaginaria frequenter incidat, quæ nec Curvam nec rectam exprimunt. Ad hæc quidam verentur, ne Dn. *Rollii* objectiones contra Methodum *Sluſianam* non ſint fortiores, quam quas olim dedit contra *Leibnitianam*, dudum a viris doctrina inſignibus diſſolutas. Laudandus interim eſt, quod difficultates proponit, quæ enodari merentur, etſi ab ipſo pro inſolubilibus haberi videantur. *De la Hire* ſymptomata infinitarum Conchoidum in genere conſiderat, pro lineis rectis in geneſi *Nicomedea* curvas quaſcunque ad libitum variatas ſupponens. *Nicole* rectificationem Cycloidum ex rotatione circuli ſuper alio circulo quocunque formatarum ad rectificationem Ellipſeos reducit. *De Reaumur* earum Curvarum ſymptomata Analytice expendit, quarum geneſis ita concipitur. Sit AMGH linea quæcunque ſive recta, ſive curva, CB li- TAB. IV. Fig. 6.

Digitized by Google

CB linea recta, F punctum fixum in ea ad lubitum aſſumtum. Moveatur recta MN ita, ut ſemper hæreat in puncto F, altera vero ſui extremitate M percurrat Curvam AMGH, deſcribet punctum N Curvam ONBD. *De la Hire* methodum proponit magnos arcus ſectionum Conicarum deſcribendi, in Tangentium quadam proprietate fundatam: quæ cum uſui eſſe

TAB. IV. Fig. 7. poſſit in praxi Architectonica, eam huc tranſcribere libet. Sint duæ tangentes BA BF Curvæ, ſibi mutuo occurrentes in B illam contingentes in punctis A & F. Sit FC pars alicujus diametri per punctum F tranſeuntis. Ducta AF biſecetur in D, eritque BDC pars alicujus diametri. Ex puncto D ducatur DE ipſi FC parallela, quæ rectæ FB in E occurret. Biſecetur BE in P & ex E erigatur EG ad FB perpendicularis, ex P vero tanquam centro deſcribatur radio PF arcus rectam EG interſecans in G. Hinc ducatur FM parallela ipſi BDC fiatque FL = EG aut parti ipſius aliquotæ, & per B agatur recta MN. Tandem agatur NL, quæ ſecabit BD in H. Erit H punctum Curvæ. Per H ducatur QHO parallela ipſi FA, quæ Curvam in puncto H modo invento tanget; & aſſumtis tangentibus QF,QH vel OA, OH eodem modo, quo ante inveniatur aliud Curvæ punctum. Et ita porro.

Die 16 Junii A. 1708 h. 8. 5′2 *Maraldi* reditum maculæ in diſco Jovis advertit, ſæpius olim a *Caſſino* obſervatæ & ex qua is motum vertiginis Jovis collegerat 9 h. 56. *Caſſinus* nimirum primus eandem conſpexit A. 1665, continuoque apparentem notavit usque ad annum 1667. Redibat rurſus anno 1672, ſed 1674 denuo diſparens usque ad A. 1677 latebat. Utut autem illo anno ſe conſpiciendum præberet, mox tamen conſpectui ſe rurſus ſubtrahebat & usque ad annum 1685 occultabatur, quo cum rediiſſet, usque ad annum 1687 quotidie comparebat. Occultabatur hinc usque ad annum 1690, quo per breve tempus videbatur. Anno tamen 1692 rurſus aderat, & circa finem 1693 abibat. Viſa a *Caſſino* ultimo A. 1694 & ab eo tempore fruſtra quæſita usque ad annum 1708, quo *Maraldi* reditum ejus notavit, & ex ejus revolutione motum verti-

Digitized by Google

vertiginis Jovis deduxit 9 h. 55′ 58″. *Caſſinus* globum conſtruxit perpetuum in cujus ſuperficie circa Polum Eclipticæ deſcriptus eſt circulus, ut in ejus peripheria Polus Æquatoris ad datum tempus aſſumi queat. Cometa, quem *Caſſinus* Pariſiis, *Manfredus & Stanconis* Bononiæ a die 25 Nov. 1707 usque ad priores dies Januarii A. 1708 in conſtellatione Capricorni obſervarunt, & ſtationarius & retrogadus Planetarum inſtar viſus. Nudo oculo inſtar ſtellæ nebuloſæ apparebat, ad Jovis tamen magnitudinem accedebat. Per teleſcopium in medio nucleus detegebatur comatus, qui lumine admodum debili fulgens non ſatis rotundus erat, ſed hinc inde interruptus. Noctibus ſubſequentibus magnitudo apparens continuo decreſcebat, ita ut d. 16 Dec. nudo oculo detegi non poſſet. Omni cauda conſtanter carebat. D. 30 Jul. 1708 circa Solis occaſum *de la Hire* vidit Iridem rubro unice colore tinctam eoque admodum vivido. Spatium arcu ſemicirculari comprehenſum eodem colore, debiliore tamen, revulgebat. Extra arcum cœlum nigricabat, & in ea cœli parte alius adhuc arcus, coloris tamen multo debilioris, conſtituebatur. Alias obſervationes Aſtronomicas, quæ larga manu promuntur, recenſere prohibemur.

Quamvis vero Academia Scientiarum non curioſe inquirat, quid veteres ſciverint, ſed in id potius omnibus viribus incumbat, ut, quæ jam ſcimus, vel ulterius illuſtret, vel promoveat, & quæ nondum ſcimus, detegat; haud quaquam tamen ipſi diſplicuit, quod *de la Hire* contra receptam opinionem locum ex *Ariſtophanis* Nubibus adduxerit, ubi diſertis verbis habetur, lentes cauſticas veteribus etiam fuiſſe cognitas. Similiter ex *Plinii* lib. 36 & 37 atque *Lactantii* libro de Ira Dei liquet, conſtitiſſe veteribus, quod radii Solis globo vitreo aqua pleno collecti incendant. Denique *Parent* quædam de reſiſtentia trabium meditatur, & *Varignonius* ingenioſas de reſiſtentia medii, in quo corpora moventur, meditationes prolixe continuat.

Mortuus eſt anno 1708 d. 18 Dec. Botanicus celeberri-

Digitized by Google

mus, *Joſephus Pitton de Tournefort*, qui Aquis Sextiis in Provincia ex nobili proſapia die 5 Jul. 1656 natus, Philoſophiæ Scholaſticæ, quam a Jeſuitis docebatur, pertæſus invito parente principia Philoſophiæ *Carteſii* multa cum voluptate in prima juventute evolvit, plantarumque cognitioni non admonitus totum ſe dedit. Mortuo A. 1677 parente, genio ſuo indulgens anno ſubſequente montes Delphinatus & Sabaudiæ plantarum colligendarum ergo percurrit, cumque anno 1679 Monte Peſſulano ſtudio Anatomico & Medico incumberet, omnem circa urbem tractum indefeſſo pede ad plurium leucarum diſtantiam emetitus, collegit, quicquid Plantarum ſibi nondum cognitarum reperire poterat. A. 1681 menſe Aprili montes in Catalonia viſitavit montesque Pyrenæos perluſtravit. Domum redux Herbarium vivum ex plantis in Provincia, Occitania, Delphinatu, Alpibus & montibus Pyrenæis indefeſſo ſtudio conquiſitis conſtruxit. A. 1683 Pariſiis horto Medico Regio præfectus & Profeſſor Botanices eſt conſtitutus: quæ tamen ſparta non impediit, quo minus denuo in Hiſpaniam & in ipſam Portugalliam excurreret. Bataviam quoque & Angliam peragravit, cumque *Hermannus* in ejus favorem Profeſſioni Botanices in Academia Lugdunenſi valedicere vellet, ut ſenex ſucceſſorem dignum nanciſceretur, illam modeſte recuſavit. A. 1691 illuſtris Abbatis *Bignonii* beneficio in Academiam Scientiarum Regiam receptus, A. 1694 Elementa Botanices edidit & in numerum Doctorum Medicinæ Facultatis Pariſienſis admiſſus A. 1698 Hiſtoriam plantarum circa urbem Pariſiorum naſcentium publicavit. Elementorum Gallice ſcriptorum verſionem Latinam multoque auctiorem ſub titulo Inſtitutionum Rei herbariæ 3 Voll. in 4 A. 1700 dedit: quo ipſo anno juſſu Regis, comitibus *Gundelsheimero*, Potentiſſimi Boruſſiæ Regis p. t. Archiatro, atque pictore quodam perito, ad plantas exoticas conquirendas in Aſiam profectus, de quibus Corollarium Inſtitutionum Rei herbariæ A. 1703 impreſſum teſtatur. Locum denati in Academia Scientiarum occupavit *Mognolius*.

De Medicis Obſervationibus, quæ in hoc Volumine occurrunt, dicemus alio tempore.

JOAN-

JOANNIS CONRADI BARCHUSEN Hiſtoria Medicinæ, in qua ſi non omnia, pleraque ſaltem Medicorum ratiocinia, dogmata, hypotheſes, ſectæ &c. quæ ab exordio Medicinæ usque ad noſtra tempora inclaruerunt, pertractantur.

Amſtelodami, apud Janſonio-Waesbergios, 1710, 8.

Conſtat Alphab. 1 plag. 20.

QUanquam plures ſint, qui Hiſtoriam Medicinæ evolverunt, quos inter *Danielem Clericum* nominaſſe ſufficiat, neminem tamen ſibi ſuccenſurum, vel vitio verſurum eſſe confidit Clariſſimus Barchuſen, cujus peritia Chymica & Pharmacevtica hactenus nota ſatis & inſcriptis aliquoties comprobata fuit, quod idem thema tractandum ſumſerit, & quæ ipſe lectione quantacunque profecit, cum urbe literato communicaverit. In Dialogos vero coercuit, quæcunque dicenda erant, eorumque XIX conſtituit, in quorum I de origine & progreſſu Medicinæ in genere; in II de Elementis, Natura & Cauſis; in III de Anatomiæ uſu in Medicina; in IV de Natura hominis, ſemine genitali, ſede animæ & ſanitate; in V de Temperamentis & Facultatibus naturalibus; in VI de Morbis, ſymptomatibus, Morborum quorundam novitate; Medicamentorum inventione, & facultatibus, de Magia, Arte gymnaſtica, Frictione, & Balneis; in VII de ſecta Empiricorum. in VIII. de ſecta Methodicorum; in IX. de Doctrina Hippocratis; in X de quorundam veterum Dogmaticorum placitis; in XI de Aſtrologia; in XII de placitis Aſclepiadis, Celſi, de Pneumaticæ, Epiſyntheticæ, & Eclecticæ ſectæ decretis; in XIII de placitis Galeni; in XIV de Typis, & de Græcorum, Arabum, Latinorumque, qui poſt Galeni exceſſum inclaruerunt, ut & de Chinenſium Medicorum placitis; in XV de Doctrina Paracelſi; in XVI de Severini Crollii, Scheunemanni & Helmontii hypotheſibus; in XVII de ſententia Takenii, Sylvii & Williſii; in XVIII de ratiociniis theoriæ Geometrarum vel Mechanicorum nixis; in XIX de

Andry, de Moor, & Stahlii placitis ſermonem facit; quibus ſub calcem libri orationem de Nepenthe ſubjunxit. Nos ſpeciminis loco, quæ de ultimi inter recenſitos Medicos, Stahlii nempe, opinionibus diſſeruit Noſter, jam communicabimus, cujus mentem num aſſecutus fuerit hic, judicium ſit penes Lectorem.

Scilicet in *Phyſiologicis* duo jacet Stahlius Theoriæ Medicæ fundamenta, quæ innituntur conſideratione corporis, quatenus id mixtum & vivum eſt. In mixtione corporis conſiderat partim materiam, ſubtilem ſcilicet terram, pinguedinem & aquam, partim finem, qui in eo ponitur, ut corporis conſtitutio ſit flexilis, tenax, minimeque fragilis. Vitam dicit eſſe conſervationem corporis, ejusdemque mixtionis ab omni corruptione, cui alias id reſpectu materiæ obnoxium eſt, hancque conſervationem fieri abſolute motu; quem revera rem incorpoream vocat, corpori adjunctam, generice ejusdem indolis, qualis ipſa anima eſt. In numero actionum, quas vulgo vitales appellant, duplicis generis ponit actus vel motus, altero ea, quæ corpori adverſaria ſunt, removeri, altero, quæ quoquo pacto fuere ſublata, iſtis partibus admoveri. Hujus generis eſt nutritio, illius ſecretio & excretio. Secretionum & excretionum negotium in materiæ movendæ proportione rectius, quam in ulla organorum neceſſitate conſiſtere putat. Enumeratas actiones peragi pergit præcipue partium ſolidarum motu, eoque duplici, quorum alter intrinſecus ordiatur, & forinſecus terminetur, quaquaverſum, ſingulariter, æqualiter, & generaliter pulſu cordis, & quadantenus reſpiratione, alter a foris introrſum quaquaverſum, ſingulariter, & inæqualiter motu partium tonico perficiatur, cujus ope partes modo relaxentur, modo conſtringantur. In fluidis itidem motum concedit, eumque progreſſivum, quem in ſanguine duplici impulſu perfici exiſtimat, altero inteſtino, cordis videlicet contractione, altero externo, diſtentione partium ſolidarum mollium, ſeu motu tonico, præcipue vero muſculorum. Præterea differentiam facit inter tonicum, ſpaſticum, & convulſivum mo-

motum. Illum dicit naturalem, & partibus ſolidis mollibus familiarem, lenem, ſucceſſivum, & a nemine hactenus obſervatum; iſtum motus tonici repentinam exacerbationem, contractoriam, ſingularem, in quibusdam muſculis exortam; hunc vero motus tonici completi, nempe contractorii & relaxatorii, exacerbationem in muſculis factam. In doctrina ſpirituum hæret Stahlius, exiſtimat potius, motus quoslibet corporis vitales revera ab anima adminiſtrari: corpus vero propter animam rationalem ſubſiſtere, ideoque hanc re ipſa non modo tali corpori ineſſe, verum per iſtud agere, ſentiendo, in iſtud agere, motus producendo. Eam enim omnium, quæ in corpore fiunt, actionum rectricem eſſe putat, peragereque ſingula, motu ſecundum incorporeas circumſtantias: id eſt, ſecundum gradum, tempus, loci directionem, organique electionem, imo ad corporis temperamentum ſe accommodare; quod in legitima ponit partium ſolidarum & fluidarum inter ſe mutua proportione, qua utrarumque debitus motus, purgatio & conſervatio per ſecretiones & excretiones in fluidis, & debita flexilitas in ſolidis continuatur. Qualiscunque nunc corporis ſit conditio, animam illum typum, quem primæ ac jugiter peragendæ vitalium actionum principi, motui humorum videlicet per meatus certæ proportionis adhibet, ſervare eidemque parere conſueſcere in tantum, ut illum plerisque omnibus actionibus quoque adhibeat; unde huic motuum typo reſpondere etiam morum ſeu intentionis ac proportionis omnium actionum typum. *Pathologica* quod ſpectat; quod homines crebrius brutis ægrotent, id Stahlius animæ tribuit, cujus perturbationes non ſolum motus vitales alterare, ſed etiam illorum ordinem atque legitimum progreſſum & decurſum juxta novas ideas immutare poſſunt; quibus perverſos animi mores & errores in diæta adjungit. Morbos plerosque ſtatuit minime reſpectu mixtionis & ſtructuræ læſæ, ſed imprimis ratione motus oboriri. Imo motuum læſionem, inæqualitatem & perverſitatem plus pollere ad morbos quosvis progignendos, quam ullam humorum intemperiem. Inde verum generaliſſimumq; ægritudinis ſub-

Digitized by Google

UT Tibi, qua truculentia contagio plurimas Poloniæ partes peragrando depopulata ſit, quantum reſcire licuit, ſatisfaciam, non ſolum huic civitati Cracoviæ a neglectu negotii ſanitatis publici, verum & mœrore, timore & immunditie hæc febris peſtilens immiſſa eſt, quæ a tempore Caniculorum circa decimum octavum menſis Auguſti anni 1707 non tantum ab eſu nimio cucumerum in copia exiſtentium plerumque immaturorum & plus ſolito acidorum producta, ſed & ex vicinis locis, præcipue Leopoli, ubi jam ultra biennium graſſata eſt absque ulla curatione aut præſervatione, per Hebræos huc translata fuit. Præterea ab æſtate eadem præter modum ſicca & calore excedente corpora aut cacochymica aut macie conſumpta ita erant diſpoſita, ut facillime luem hanc reciperent. Præter plebejos enim inopes vix divitum unus aut alter inficiebatur. Conſiſtebat morbus hic epidemicus contagioſus, aut in tarda & impedita ſanguineæ maſſæ circulatione, ab acido minus volatili & corroſivo inducta, aut ab ejusdem maſſæ tentura diſſoluta & relaxata cum apparentia exanthematum variorum colorum præcipue nigrorum, & ſymptomatum horrendo apparatu, unde ita variabat, ut ad nullam hactenus obſervatam peſtilentem febrim referri poſſit, Protheoque mutabilior extiterit. Mox enim miaſmata illa contagioſa agebant in corpora, ita diſſolvendo compagem ſanguinis, ut in ſeroſum abierit liquorem, & ad accendendum fuerit plane ineptus, unde ceſſabat pneumatoſis tam in corde quam in cerebro, corporaque manebant vappida proſtrata. Mox in aliis figebatur maſſa ſanguinea. Hinc phænomena oriebantur valde diverſa, modo corripiebat hæc malignitas homines cum febre epiala, modo cum lypiria, quæ ſequebantur anxietates præcordiorum, triſtitia ſumma, vomitus croceus aut viridis viſcoſus, cum vigore & horrore totius leni, mox calore notabili ſubſequente, quibus ſe jungebant laſſitudo ſpontanea, membrorum omnium quaſi confractio, cephalalgia intolerabilis cum facie horribili, deliriis & jactationibus continuis; imo fœminæ multæ ſine pudore nudæ ad inſtar maniacarum plateas percurrebant donec includerentur; tremebant pedibus & quaſi convellebantur, tormina

mina ventris circa regionem glandularum pancreaticarum percipiebant ſubtilia, urinam plurimi mittebant cruentam, pulſus erat parvus, languidus & inæqualis, ſitis modo inexpugnabilis, modo nulla; lympha in partibus glanduloſis turbata ac collecta ſtagnando in tumores attollebatur, unde bubones aut ſub axillis aut in inguinibus, præcipue in ultimis, plus minus lethales, ſi tractati fuiſſent, nullis apparentibus carbunculis, oriebantur; maculæ ſive petechiæ a vaſorum capillarium corroſione & laceratione, ubi ſanguis inſtar ſugillationis extravaſatus ſtagnabat, plerumque nigræ, non in omnibus tamen, obſervabantur. Et ita lues nullo particulari diſtincta ſymptomate plurimos alias ſanos intra tertium diem abſumpſit, multumque de morbo capitali ſeu febre Hungarica participare & per contagium propagari videbatur, quod contagium a ſquallore & effluviis varie inter ſe concreſcentibus & colluctantibus, qua data porta, ab infectis exſpiratis corpus ingrediebatur, brevique ob fermenti mumialis ſymboliſationem dramata ludebat funeſtiſſima. A ſalinis ſiquidem particulis meninges inflammabantur, unde deliria phrenetica exſurgebant horrenda, uti mihi obſervari contigit in quodam ſtabuli præfecto, qui nona die phreneticus obiit. In aliis jam affectus ſoporoſi ex craſſioribus & viſcidioribus particulis nervorum principia obſtruentibus producebantur, hyemali tempore in plateis correptorum artus ſphacelabantur, & ita nefanda lues plurimos devoravit. Cui malo nulla præſervatio aut curatio ſuperſtructa fuit, cum ſane omnia, quæ ſanguinis mixtionem rectam ſervaſſent, neceſſario obſervanda ac adminiſtranda fuiſſent, imprimis diæta, in rerum non naturalium omnium, præcipue animi, pathematum regimine conſiſtens; & licet alias ſereniſſimus minime peſtiferis impraegnatus particulis aer, circa domicilia ſolum infectus, & ab effluviis ac miasmatibus, a cadaveribus exſpiratis & per contagium communicatis, infelix hic editus ſit partus, nil tamen conſultius ſibi bene habentes duxerunt, quam juxta illud tritum hactenus ſecuriſſimum peſtis prophylacticum & præſidium potentiſſimum, *Mox, longe, tarde, cede, recede, redi*, periculo ſeſe ſubducere: id quod & magiſtratus ipſe & artis periti,

 deno-

denegato centies ſtipendio, fecere. Unde invaluit malum a mœrore & metu: miſeri enim derelicti, quo ſe verterent, ignorabant, quo ſe præſervarent, non habebant; ubi quis jam infectus credebatur, ſtatim cum ceteris ſanis ædibus occludebatur; nec ſanis ad edendum, nec infectis ad medicandum porrigebatur; inde peribant miſeri. Aliis ad noſocomium locum miſerrimum delatis ex ordinatione Conſulis purgantia ac vomitiva hebdomatim exhibebantur, quibus morbo plerumque in vigore exiſtente moriebantur, ubi tamen bene ordinatum vomitivum hac in occaſione primo inſultu exhibitum verum fuiſſet antidotum, quatenus cruditates acidæ ventriculi poris impactæ ſtatim ab initio expreſſæ liberas effluviis reddidiſſent vias, quæ in membranoſis illis partibus ſtagnantes & continuo laceſſentes & rodentes, inquietudines & anxietates circa præcordia inſtituebant; imo ad depravata contenta educenda vomitorio nihil fuiſſet ſalutarius, uti obſervatum fuit per D. Schönbergerum S. R. P. Med. campeſtrem jam ætate & arthritide in lecto detentum, qui ultra trecentos partim vomitorio partim ſuo Elixirio antipeſtilentiali ab orci faucibus redemit & præſervavit. Conſtat Elix. ex tinct. bezoard. ſ. a. elix. prop. ſ. a. tinct. rad. gent. eſſent. Camph. aa. cujus Compoſiti a 40 ad 60 guttas in cremato pro præſervatione, in cerevisia vero calida pro curatione, addendo eidem in nauſea aut vomitu imprimis fœminarum ſpirit vitr. coag. ad gratam aciditatem exhibuit: vomitorium fuit tartarus Emet. a iij gr. ad ſummum, ceteris omnibus merito non tam ratione ſecuritatis quam effectus anteferendus. Balſamum quendam in oleis aromaticis cum croco ſolis interne ad 7 gutt. in ovo ſorbili vel ſpiritu vini rectif. camph. externe ad ſcrobiculum cordis inungendum præbuit, unde juvamen per ſudores & motum circularem reſtitutum expertus eſt. Alias præter crematum, panaceam Polonicam, angelicatum unicum omnium ſolatium acetum theriacale variæ deſcriptionis ſumebant. Cetera alexipharmaca ignorabant, nec aderat qui experiretur aliud hujus luis antidotum præter ſpiritum vini camphoratum quem nonnunquam etiam pro potu ordinario, loco bezoardicorum, ſanguinis circulum promoventium, & lenium diapho-

pho-

Digitized by Google

phoreticorum, quæ omnem fere abſolviſſent curam, hauriebant; nitroſa quandoque aut alcalica fixa & volatilia adhibita appetitum dejecerunt, inſuper debilitatem diarrhæamque cauſarunt, qua ultima intra diem ſuccumbebant. Et hæc erat methodus Cracovienſis univerſalis, præter quam ſymptomatum nulla habebatur ratio, quorum complura apparebant, quibus ut plurimum correpti tertio aut quinto die interibant, raro ſeptimum vel nonum ſuperabant aut attingebant, quo tamen ſuperato aliqua de ſalute ſpes aderat. Duravit ſæviendo in vulgus malum tres circiter menſes, quolibet die ultra quadraginta deglutiendo, neminique etiam alio morbo detento pepercit; approximante vero menſe Novembri, ubi frigus incidit, paululum mitius agere cœpit, ita ut quinto aut ſeptimo die infecti plus minus ſeptem tantum ſuccumberent; in Decembri vero, & Januario anni 1708 undecimum diem correpti jam attingebant & plerumque evadebant, unde conſtabat, luem a peſtilentiali in malignam ſimplicem jam tranſiiſſe, uti poſtmodum in Februario in continuas quotidianas tranſiit, quibus pauci ad vigeſimum primum Maji usque interierunt, quo, incidente eadem nocte pluvia pruinoſa, aliquot cum peſtiferis ſignis defunctæ ſunt perſonæ. A quo tempore in dies ita remiſit nefanda lues, ut jam a duobus ferme annis ad hunc usque diem hæc civitas una cum vicinia permanſerit immunis, paulatimque in eam profugi cives redierunt. Circa Natales tamen Domini in quadam domo in ſuburbio malignitas ſuboriebatur, in qua quinque perſonæ conſanguineæ intra 15 dies ſucceſſive eodem morbo detentæ tertio quolibet die iisdem ſymptomatibus moriebantur, in quibus ab extrinſeco nil præter cadaverum relaxationem a ſanguine diſſoluto ortam obſervabatur, quod etiam hoc menſe Martio in reviſione fabri lignarii, qui peſte interiiſſe ferebatur, cum ſuggillatione ſcapularum obſervatum fuit, qui ratione decubitus quarto, invaſionis vero decimo tertio obiit; ſed latius malum non ſerpſit. Numerus Cracoviæ intra & extra urbem computatis Judæis ad octodecim millia fere ſe extendit, inter quos vix unus aut alter melioris fortunæ alumnus numeratur, qui percepto de peſtilentia rumore rus

ſe omnes contulerant. Hæc ſunt, Vir Illuſtris atque Excellentiſſime, quæ reſcivi, & tibi communicanda credidi.

Leben der berühmteſten Kirchen-Lehrer und Scribenten/ etc.

hoc eſt.

VITÆ CELEBERRIMORUM DOCTORUM atque Scriptorum Eccleſiaſticorum Seculi a Nato Chriſto XVI & XVII; Autore M. ERDMANNO UHSEO.

Lipſiæ, apud Fridericum Groſchuffium, 1710, 8.

Alphab. 2 plag. 21.

PRodromus hic eſt Hiſtoriæ Seculi 16 & 17 a nato Chriſto Eccleſiaſticæ, idiomate Germanico propediem edendæ. Repræſentat vero Cl. Autor in eodem fere 550 Eruditos, qui Eccleſiæ vel voce vel calamo inſervierunt, ejusque commoda promoverunt. Immixti quandoque & nonnulli alii ideo, quia in libris de Hiſtoria Eccleſiaſtica conſcriptis inter Viros Scriptoresque celeberrimos memorari ſolent, quorum adeo vitas cognoſcere pariter Lectores amant. Neque tamen ſoli Lutherani, verum etiam Reformati & Pontificii, hoc in libro locum inveniunt, quorum & primicerii, Lutherus, Calvinus & Bellarminus, æri inciſi heic exhibentur. Prolixius tamen recenſentur Eruditi Sec. XVI quam ſequentis, quia verendum fuit, ne liber nimium excreſceret ſuaque mole emtores deterreret. Ceterum placuit Autori in tractatione ordo Alphabeticus, ut adeo ſcriptum hoc alicujus Lexici inſtar eſſe poſſit. In recenſione vitæ cujuslibet patria, parentes, tempus, quo natus, locus, ubi ſtudiis cum ſcholaſticis tum academicis incubuit, peregrinationes, ſiquas inſtituit, gradus, quibus ornatus eſt, Academici, officia, fata, genius, ſi modo is deſcribi accurate potuit, conjugium, mors, libri denique ab ipſo exarati, imprimis illi, qui tractant argumenta theologica & eccleſiaſtica, annotantur.

ELO-

Digitized by Google

ELOGIUM FRATRUM ITTIGIORUM.

ABſtulit nobis ſuperior menſis Aprilis magno Academiæ noſtræ luctu celeberrimos Fratres Ittigios, Thomam alterum, Theologum, alterum Gottfridum Nicolaum, JCtum incomparabilem, Joannis Ittigii, Phil. & Med. Doct. ac Phyſicæ in Academia noſtra Profeſſoris meritiſſimi filios, e nobiliſſima Ittigiorum ſtirpe oriundos; in quibus clarus imprimis ſub Reformationis initia fuit horum abavus M. Franciſcus Ittigius, primus inſtaurati Gymnaſii Schleuſingenſis Rector, cujus eruditionem in Epiſtolis ſuis prædicat Philippus Melanchthon. Uterque in Schola noſtra Nicolaitana ab Hornſchuchio aliisque doctiſſimis Viris & privatim a Valentino Alberti, poſtea Doctore Theologiæ & Profeſſore, accurate inſtitutus, egregiæ indolis documenta mature dedit. Et Thomas quidem Ittigius, tum in noſtra, tum Roſtochienſi & Argentoratenſi Academia ſummos Philoſophos & Theologos, Franckenſteinium, Thomaſium, Kortholtum, Mauritium, Ottonem, Dannhauerum, Seb. Schmidium, Bebelium, alios audivit, & ſub D. Kromayero de tractu hominum ad Chriſtum exaltatum reſpondens, profectus ſuos Theologicos domonſtravit, & D. Scherzeri Collegiis ſedulo adfuit. Mox deinde apud nos inter Aſſeſſores a Facultate Philoſophica receptus, tractatum de Montium Incendiis typis excudi curavit. Jamque omnes ſperabamus fore, ut publicum Artium & Philoſophiæ Profeſſorem propediem acciperemus: ſed Deus conſtituerat hunc per veſtigia avorum ſuorum, a poſtremo fere loco ad primum Miniſterii Eccleſiaſtici in hac urbe ducere. Inde factum eſt, ut Ampliſſimus Senatus A. 1670 ad Paſtoratum in Templo Johannis ſuburbano vocaret, A. 1674 Concionatorem in Templo Thomano meridianum, ſequente anno pomeridianum conſtitueret, A. 1685 in Templum Nicolaitanum transferret, & A. 1686 Archidiaconum faceret. Eodem anno Facultas Theologica Licentiatum creavit; A. 1697 Profeſſionem Theologicam Extraordinariam a Sereniſſ. Rege & Electore noſtro, præter exſpectationem ſuam, & anno ſequenti Ordinariam ſibi demandatam obtinuit. A. 1699 Senatus ei Paſtoratum in Templo Nicolaitano contulit, cui, clementiſſime annuente Sereniſſimo, Superintendentis munus & Aſſeſſura in Conſiſtorio

Digitized by Google

acceſſerunt; Academia Doctori Theologiæ renuntiato Canonicatum Miſnenſem dedit. Itaque & de Eccleſia & de Academia noſtra bene meruit, & operam quoque in his Actis ornandis per complures annos poſuit, nec nuper adeo nobis negavit, quippe, quæ in Actis anni ſuperioris p. 97, 99, 377, 385, 473 & Suppl. T. IV Sect. V p. 210 ſeq. leguntur, ejus operæ debentur. Ceterum proſtant ejus ſcripta eruditiſſima, Diſſertatio de Hæreſiarchis Ævi Apoſtolici eique proximi, Appendix de Hæreſiarchis, Prolegomena ad Joſephi Opera, Bibliotheca Patrum Apoſtolicorum Græco-Latina, Hiſtoria Synodorum Nationalium in Gallia a Reformatis habitarum, liber de Bibliothecis & Catenis Patrum, Exercitationes Theologicæ, Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ tum ſeculi I, quæ proſtant, tum ſecundi, quæ ſub prelo ſunt, ſelecta capita, nobis exterisque maximi æſtimata, locupletiſſimæ Bibliothecæ, quam conquiſivit, teſtimonia; Conciones typis expreſſas aliaque non commemoramus. Uxor ipſi obtigit d. 16 Febr. A. 1685 Sophia Eliſabetha, nata Bœſchia, Jo. Sigiſm. Sultzbergeri, Præfecti Schleuſingenſis, vidua, quæ mox ſequente anno mortua, nullam prolem dedit. Denique morbus beati Theologi fuit Chronicus, ante quinque annos initium capiens a vehementibus vomitionibus & doloribus ventris, quos lapillorum aliquorum excretio comitata eſt, ſignum calculi. Adhibita Medicorum opera morbi intervalla fecit, quibus officiorum ſuorum partes, licet aliquando infirmus admodum, & fere deficientibus viribus peragebat. Aſt recurrentes ſæpe impetus morbi, conjuncti cum dyſuria cruciante, ſenile corpus prorſus debilitarunt. Data nuper medicina malum indies ingraveſcens non valuit ſolvere, ſed ægrotantem in lectum ſe recipere & prorſus decumbere d. V Aprilis oportuit, unde d. VII Aprilis prorſus defecit, leniſſimo reſolutus obitu, cum annum LXVI vivendo ſupergreſſus eſſet. Alter Gottfridus Nicolaus Ittigius, cum Juri animum applicaſſet, A. 1664 Roſtochii Laurenbergium alioſque integro triennio, & Lipſiæ denique Auguſtum Benedictum Carpzovium & Barthol. Leonh. Schwendendörferum audivit, ſæpiusque tum in cathedra Philoſophica tum Juridica diſputavit. Hinc per vari-

Digitized by Google

varios gradus aſcendens A. 1679 honores Doctorales, A. 1684 Profeſſionem Juris inferiorem, A. 1705 Pandectarum & nuper Codicis obtinuit, Collegiaturam quoque, ut vocant, in minoris Principum Collegio, & Canonicatum Martisburgenſem, Academiæque Decemviratum ſubinde nactus. Sic per complures annos indefeſſam inſtruendæ in utroque Jure juventuti operam navavit, & modeſtia, pietate, fide non JCtis modo, ſed ipſis etiam Theologis prælnxit; & ſæpe apud ſuos aliosque prædicavit ſingularem Dei curam, quod cum per negligentiam ancillæ gerariæ ex baſternis in tertia ædium contignatione delaberetur, parum tamen læderetur. Nuptias bis celebravit, & e poſtremis tres filios, patriarum virtutum hæredes, filiam unicam, L. Chriſtiano Ludovico, Profeſſori in Academia noſtra Publico, nuptam, ſuperſtites poſt ſe reliquit. Valetudine quidem utebatur haud ſatis firma & defluxionibus crebris valde affligebatur. Unde quia metus erat, ne apoplexia aliquando corriperetur, avertendi eam media habuit præſcripta. Verum conſternatio ex morte fratris dilectiſſimi auxit & acceleravit malum, quod timebatur: nam ſtatim paralyſis aliqua dextri lateris ſecuta eſt. Hac ſanata rurſum exiit domo munia ſua obiens: at die Dom. Quaſimodogeniti, quæ incidit in 27 April. poſt cultum Deo publicum mane exhibitum, dum domi eſt nihilque timet, fortis apoplexiæ inſultus loquendi facultatem omnem ei abſtulit, itaque ægrotus paucas poſt horas exſpiravit, annos propemodum natus LXV.

NOVA LITTERARIA.

Auguſtæ Taurinorum ſub finem ſuperioris anni deceſſit Vir celeberrimus, P. Sebaſtianus Valfre, e Congregatione Oratorii & Sereniſſimi Sabaudiæ Ducis confeſſarius, ſingulare prudentiæ, eruditionis ac pietatis exemplum; & qui Archiepiſcopalem dignitatem ſibi oblatam humiliter deprecatus eſt. Edidit inter alia *Divota iſtruttione, dedicata all' amabiliſſimo Gieſu Salvatore del Mondo*, qui liber apud Italos multo eſt in pretio. Genuæ nuper prodiere Acta Cauſſæ Rituum ſeu Ceremoniarum Sinenſium cum Edicto Caroli Thomæ Maillard

Digitized by Google

lard de Tournon, Nankini die 25 Jan. 1707 publicato, adjectis memorabilibus Romanenſium adnotationibus. Romæ Vir editis nuper de Origine Juris libris clariſſimus, Jo. Vincentius Gravina Orationes ſuas elegantiſſimas in unum collegit faſciculum, quas propediem prelo ſubmittet. Abſolvit & idem Inſtitutiones Juris Civilis, quibus de Jurisdictione tractatum ſubjunget. Neque minus prelo paratum habet de Romano Imperio librum multa cura conſcriptum, & Pontificii Juris Inſtitutiones veteri novaque diſciplina inſtructas. Prodiit ibidem ſuperiori anno Dominici Miſtichelli, Firmenſis, in Academia patria Profeſſoris & Medici ordinarii Romani, Tractatus Italicus de Apoplexia, quem meditationibus Phyſicis curioſis & novis Obſervationibus Anatomicis illuſtravit, propoſito inſuper præſentiſſimo adverſus apoplexiam remedio, in 4. Florentiæ vero Benedicti Averanii, Florentini, in Piſano Lyceo quondam Literarum haumaniorum Profeſſoris, Orationes habitæ Piſis & Carmina Latina duobus Voll. eodem anno in 4 prodiere.

Cracoviæ Aquilinus Michael Gorinski, Canonicus Regularis Lateranenſis Profeſſus, prelo tantum non abſolvit opus elegans de Viris illuſtribus ſui Ordinis, in fol. duabus Partibus diſtinctum, in quarum prima, nonnullis de origine, inſtitutione & reformatione hujus Ordinis ad mentem Joannis de Nigra Valle breviter præmiſſis, Pontifices, Cardinales, Reges & Principes, Patriarchas, Archiepiſcopos, Epiſcopos, Martyres Viroſque eruditos, qui huic Ordini adſcripti fuere, recenſet; in altera ſpeciatim de Baſilica S. Corporis Chriſti, quæ Caſimiriæ eſt, prope Cracoviam, deque Canonicis Regularibus eo traductis, tum eruditionis, tum ſanctitatis opinione inſignibus, agit. Ibidem Onuphrius Bonfigli, Florentinus, Medicus practicus Cracovienſis famigeratiſſimus, Commentarium Medico Phyſicum de Plica conſignavit, typis mox excudendum, de quo alia forte occaſione fuſius dicemus.

(o)

ACTA ERUDITORUM,

publicata Lipſiæ

Calendis Junii, Anno MDCC X.

FOEDERA, CONVENTIONES, LITERÆ ET cujuscunque generis Acta publica.

Tomus III.

Londini, per A. & J. Churchil, 1706, fol. Alphab. 11 plag. 12.

Tomus IV.

Londini, apud eosdem, 1707, fol. Alph. 10 plag. 11.

Difficillimi temporis imperium ſub *Eduardo II* Tomus III complectitur. Ille quantum ſibi regnoque ſuo familiaritatibus, quas colebat, fecerit damni, perquam eſt notum. *Gaveſtonius* primus in illas ſe inſinuaverat, quem p. 1.
licet a patre relegatum revocavit non ſolum, ſed & Cornubiæ Comitatu, quod in limine ſtatim libri notatur, donavit. Additis etiam in Aquitania ditionibus Regni cuſtodem eum, in 49.
Galliam tranſiturus, Angliæ conſtituit. Sed proceribus Regni 47, 53.
graviter illud ferentibus, & per Cantuarienſem Archiepiſcopum Gaveſtonium excommunicantibus, ni ſponte ſuſciperet exi- 91.
lium, ab Eduardo in Hiberniam pro Rege miſſus eſt. Aliquot 92.
annis poſt procerum conſilio iterum ejectus Brabantiam petiiſ- 279, 299.
ſe videtur. Reverſus tamen bona cum Regis voluntate a ma- 298.
gnatibus denique captus eſt & occiſus. Anno 1307 Eduardus, 334, 366.
licet jam fervor in ſacras expeditiones refrigeſceret, Epiſcopum 442.
Liddenſem aliosque miſit ad orientales partes, qui veritatem ibi divinam prædicarent. Hos commendat non Armeno ſo- 33, 34.
lum Regi, ſed & Tartarorum Imperatori, quem, ut inſiſtat ſuo

Digitized by Google

de Mahometano cultu eradicando propoſito hortatur, cum
in libris præſertim Mahometanorum hoc tempore ſecta hæc
interitura prædicetur. Eo tempore contra *Templarios*, nefan-
dorum criminum accuſatos, a Rege Galliæ & Papa procede-
batur, & ad Eduardum etiam ea de re rumores perferebantur,
quibus cum initio fidem non haberet, ad Papam, Caſtellæ, Si-
p. 36, 37. ciliæ & Arragoniæ Reges pro Templariis ſcribit interceſſorias.
30. Cum vero Bulla Clementis ad ipſum eſſet perlata, qua crimi-
num & nominatim abnegationis Chriſti & Idolatriæ illos fe-
re convictos per propriam confeſſionem declarabat, & ut uno
34, 43, 45. die per Angliam omnes caperentur pariter, ut in Gallia erat fa-
ctum, petebat; juſſit Rex ut illud per Angliam, Hiberniam &
101. Walliam ita fieret. Archiepiſcopis dein Cantuarienſi & E-
boracenſi cum Epiſcopis adhuc aliis Inquiſitorum munus per
194. bullam Papalem demandatum. Illi, qui ſub ſeculari habitu la-
tere voluerant, tanquam Apoſtatæ capiebantur, & tantum erat
250. eorum ubivis odium, ut Rex cuidam, qui ob votum barbam a-
lebat, literas concederet patentes, ne ob barbam prolixam pro
323. Templario haberetur. Tandem in Concilio Viennenſi A.
1312 *non quidem per modum diffinitivæ ſententiæ, cum illa ſe-*
cundum inquiſitiones & proceſſus habitos jure ferri non poſſet,
ſed per viam proviſionis, ſeu ordinationis Apoſtolicæ, ſublatus
eſt hic ordo, bonis ejusdem omnibus ad Hoſpitalarios trans-
latis, exceptis tamen illis, quæ in Caſtellæ, Arragoniæ, Portu-
337. galliæ & Majoricarum Regnis erant ſita. Eduardus conſentire
451. prius nolebat, tandem vero, facta prius proteſtatione, qua ſi-
bi ſubditisque ſuis jura reſervabat in hæc bona, Hoſpitalariis
454. ea tradebat, hoc illis imponens oneris, ut de bonis hiſce Tem-
472. plariorum ſingulis in Monaſteria ad pœnitentiam peragendam
detruſis quatuor per diem denarios diſtribuerent. Sub hoc
etiam Rege primum Pontificum labefactari cœpiſſe jura per
4. Angliam, non præter rem obſervatur. Creaverat Papa Arma-
chanum Archiepiſcopum, cui ut *temporalia* poſt mortem ante-
ceſſoris *in manus Regis capta* reſtituat Eduardus, hortatur. Sed
13. antequam Archiepiſcopus iſte reciperetur, publice renuntiare
cogebatur *omnibus Bullæ Papalis clauſulis, quæ quomodocunque*
juri

Digitized by Google

juri Regio poterant eſſe præjudiciales, imprimis iſti de tempora-
libus, quæ non vi literarum Apoſtolicarum, *cum de iis ad Pa-
pam omnino nihil pertineret*, ſed ex Regia ſolum gratia, ſe te-
nere profitebatur. Illud dein ſemper in receptione Epiſco-
porum a Papa nominatorum obſervatum, & frequentiſſimæ
ſunt per hunc Tomum querelæ Regis ad Pontificem & Car-
dinales de violatis juribus Regiis, innumeris fere locis proban-
dæ, Patet hinc, circa vacans Eccleſiarum regimen Angliæ Re-
ges jus, quod vocatur in Gallia *Regaliæ*, ſibi vindicaſſe, *per * p. 38.
quod bona Eccleſiæ adminiſtrarent, & beneficia ſimplicia (*non
cures*) conferrent lites etiam his de rebus ortas non coram Pon-
tifice, ſed in Regno ſuo dirimi curarent. Electio nulla niſi Re-
gis conſenſu petito fieri, nulla niſi Rege confirmante rata ha- 55.
beri poterat. Judicium in Epiſcopos, quod ſibi ſolis vindicant 73 ſq. 96.
Pontifices, & poteſtatem eos tenendi in vinculis arrogabat Edu-
ardus ſibi, annalia quoque beneficiorum Eccleſiaſticorum Papæ
dari prohibens. Quin & Nuntiis Papalibus non alia ratione 208.
protectionem in Regno ſuo pollicetur, niſi ſi contra *Jura Co-
ronæ* nihil tentent, quod ſi facerent, in carcerem eos conjici-
endi poteſtatem ſuis permittit. Eos qui alium, ut ad Papam
compareat, citent, vel ad Romanam curiam provocent, in vincu- 277, 466.
la duci jubet. Nuntio Pontificis, in Anglia moranti, ſeveriſ- 694, 696.
ſime quomodo ſibi ab injuriis in Anglos, maxime circa exacti-
onem denarii Petri exercitis, temperare debeat, præcipit, ipſum-
que Pontificem, quod variis abuſibus incuria ſua relinquat lo- 726.
cum, reprehendit, non obſcure violentis ſe, ſi recuſetur, mediis 770.
uſurum ſignificans. Et hæ quidem ſunt prolixiores materiæ
atque per totum librum ſe diffundentes, præter quas inveni-
untur & aliæ breviores non minus curioſæ.

Coronatio Regis ſuccincte deſcribitur, additis procerum 63.
in inſignibus portandis muneribus. Inveſtituram *per tradi- 71.
tionem unius curſelli*, cujus in literis Regiis aliquando fit men-
tio, non aliam eſſe arbitramur, quam quæ alias per cultelli tradi- 194.
tionem fieri ſolebat. Ad Regem quoque per Scotiæ conſuetudines
Epiſcoporum defunctorum bona pertinuiſſe, docemur. Ex 301.
literis Henrici Luxenburgici Imperatoris, quibus coronatio-

Digitized by Google

nem ſuam Eduardo exponit, diſcimus, eum A. 1311 ſine controverſia Romæ conſentiente Papa receptum, & per aliquot Cardinales fuiſſe coronatum, Brixiam vero, priusquam eo veniret,
p. 341. multum ei feciſſe negotii. Pontifex in Bulla ad Seneſcallum Vaſconiæ pro cauſa poſitæ in Gallia ſedis allegat pacis cupidinem, inter Galliæ Regem & Angliæ perpetuo conſervandæ. Tum quidem temporis in more fuiſſe poſitum advertimus, ut & ipſi Regum filii ſolennitate multa cingerentur armis milita-
393. ribus, quod vocamus wehrhafft machen. Ad ejusmodi namque feſtivitatem in filio ſuo peragendam Galliæ Rex Philippus Pulcher Eduardum invitaverat; qua occaſione obſervamus & illud,
405. filium hunc Regis, qui Ludovicus Huttinus appellatur apud Hiſtoricos, jam tum Navarræ Regis titulo fuiſſe præditum. Ut Miſſionariis, quos vocant, qui in Orientem excurrebant, ſal-
414. vum eſſet iter, Eduardus ad *Jurgianorum* ſive Georgianorum *Regem*, nec non ad *Imperatorem de Cathaym*, *Perſarum Medorumq;* *Imperatorem Carpente* (quod nomen, quantum meminimus, inter Perſarum ejus temporis Reges non alias occurrit) *Imperatorem Trapezundarum & Imperatorem Aquilonarem*, cui veri luminis
494 agnitionem precatur, pro iis dat literas. Cum poſt Clementis V obitum Cardinales in Vaſconia novum eligere vellent Pontificem, Vaſcones armati Conclave circumſederunt, clamantes: *Moriantur Cardinales Italici, volumus Papam, volumus Papam*, & Cardinales adeo, ut clanculum ſe proriperent, adigentes, de quo ad Eduardum graviter conqueruntur. Johannes
633. XXII Pontifex in quadam ad Regem Bulla ſatis arroganter, *ſe ſupra jus poſitum & a jure ſolutum* aſſerit. A Clericis con-
666. jugatis, qui a tallia, quam vocant, alias erant liberi, ut tributum ob vendita publice vina ad mercatorum inſtar exigatur, jubet Eduardus. A. 1320 ſevere Rex interdicit, ne
829 qua *Notariorum Imperialium* per Angliam univerſam ſit auto-
896. ritas. Cum alias ordinis Prædicatorum fratres ſilentium ſervare ſint obſtricti, Rex tamen a Pontifice Confeſſori ſuo (vel Confeſſario) qui erat ejus ordinis, licentiam loquendi impetrat. Ad
995, 996. Provinciæ & Focalquerii partem jus aliquod contra Robertum Siciliæ Regem, qui omnem regionem occupaverat ſolus ſibi vindicat

dicat Eduardus, cum Berengarius ultimus Provinciæ Comes unam ex quatuor filiis Henrico avo ſuo dederit in matrimonium. In formula induciarum cum Roberto Bruſſio Scotiæ Rege p. 1030.
initarum, quem bello, nec ſatis feliciter, proſecutus erat Eduardus, ſub initium Robertus Regem ſe non appellat, facta vero, de quibus convenerat, induciarum mentione, id nominis ſibi ſumit. Inter inimicos Regis, quos in Regno ſuo habebat plurimos, fuerat, dum viveret, *Thomas Lancaſtriæ Comes.* Ad illi- 1033.
us e vita ſublati effigiem, in templo S. Pauli Londini erectam, tanquam ad Sancti & miraculoſam accedebat populus. In quem abuſum graviter Rex invehitur, Epiſcopo Londinenſi diſerte exprobrans, quod quæſtus & turpis lucri cauſa patiatur falſa miracula pro veris venditari.

Tomus IV pertexit telam tertio inceptam, Eduardi II vitam ducens ad finem, & partem Eduardi III præterea tangens. Offerunt ſe in limine fere contra *Rogerium de Mortuo Mari* (Mortimer) acta, qui cum ſummam prius apud Regem v.T.III p.580.
obtinuiſſet, gratiam ut plena cum poteſtate eum pro Rege mitteret in Hiberniam, jam perpetuo carceri addictus, poſtquam 8, 22.
ex eo ſe liberaſſet, omni cura perquirebatur. Vidimus M. Majo, cum Arverniæ Hiſtoriam recenſeremus, quosdam hujus Provinciæ Comites pro *vexillariis Eccleſiæ Romanæ* fuiſſe habitos; eundem nunc titulum Arragoniæ Regi tribuit Eduardus, *Ammiratum* etiam & *Capitaneum Generalem* Eccleſiæ illum appellans. 15.
Legatum ſuum ad Papam, qui non recte Regis negotia curarat, 10.
Pſeudonuntium vocat Eduardus ipſe. Cum inter Scotos & Eduardum Papa ſtudio ſummo pacis conciliationem quæreret, 28.
nec tamen Robertus Bruſſius de illa vellet tractare, niſi dato ſibi Regis titulo, ut id ſibi liceret, ab Eduardo petit Pontifex, 46.
id quod tamen minime fuit conceſſum. Quin potius animum 31, 32.
Pontificis ita contra Scotos exacerbare tentabat Eduardus, ut in ſuſpicionem etiam hæreticæ pravitatis eos adduceret, & ut crucis ſignatione procederetur adverſus illos, rogaret. Quæ omnia ex proceſſu contra Epiſcopum Wintonienſem, Pſeudonuntium ſupra dictum, & quem, quod mirum in illo tempore, ad ſuum trahebat judicium Eduardus, hauriri poſſunt.

Digitized by Google

Cum Gallis in media licet pace nunquam non tamen continuā-
v. T. III p. tæ ſunt diſcordiæ,ut ex Bajonenſium & Burdegalenſium in T. III.
633, 648. querelis patet. Jam vero plane res ad arma ſpectare Carolo IV Re-
100. ge Galliæ A. 1324 ad Aquitaniam occupandam cum exercitu per-
gente,calumniamque prætendente, quod homagium ſibi non fe-
cerit Anglus,de qua tamen & aliis ad Pontificem ſe purgat,peculi-
ari ſchedula totum exponens factum, Eduardus. Ad pacem
120. vero ſtabiliendam cum Nuntii nil efficerent, Iſabellam uxo-
rem in Galliam ad Regem miſit Eduardus A. 1325, quæ id tan-
128, 153. dem cum Gallo paciſcebatur, ut niſi homagio facto nihil reſtitue-
retur Anglo, & ex ejus regionibus belli ſumtus redderentur Lu-
dovico. Et ad homagium quidem ſtatim ſe paratum obtulit
Anglus, reliqua cum proceribus communicaturus. Attamen
nolens deinceps, ut videtur, homagium ipſe præſtare Gallo, in-
163 ſqq. firmam primo cauſabatur valetudinem, dein Aquitaniæ Duca-
tum & Comitatum Pontivi filio Eduardo donabat, a
quo etiam recepturum ſe homagium pollicetur Carolus; inte-
rim tmen Eduardi gubernator & adminiſtrator fuit pater. Re-
180. bus hunc in modum confectis, nolebat tamen Iſabella cum E-
duardo reverti in Angliam, periculum inſtare ſibi ab Hugone
Spencero, qui poſt Gaveſtonium factus erat Regi familiariſſi-
188 194 mus, cauſata. Hæc enim omnia per Rogerium de Mortuo
Mari ſuggeſta Reginæ fuerant, ad quam ille, qui diu ante fugiſ-
ſet ex Anglia, cum moraretur in Gallia, venerat. Hic idem
eo rem redigebat, ut vi redire proponeret Regina, alias non
218. ſecura ſibi fore omnia, perſuaſa. Hinc Gallorum fulta præ-
ſidiis, & eorum freta voluntate, quos in Anglia contra Regem
200. male noverat affectos, reditum parabat. Quin imo per Gal-
liam tum rumores erant frequentiſſimi, Reginam & filium
mandato Eduardi excluſos Anglia, de quo ad Pontificem Rex
208 ſqq. ſe purgat, & quantum a Rogerio aliiſque rebellibus inclinari
ſe filiumque patiatur Iſabella, conqueritur. Cum autem nihil
querelis proficeret, vim vi propellere conſtituebat, portus cuſto-
221 ſqq. diri, naves armari, Gallos expelli jubens, & poſtquam nihilo-
231 ſqq. minus cum Gallis in Angliam penetraſſet Regina, omnem
movens lapidem, ut cœptis ejus mature ponere poſſet obicem,

quæ

quæ ſuo, filii, Edmundique, qui frater Regis erat & Comes Cantiæ, nomine promulgabat, ſe ad opprimendam Spenceri tyrannidem, & liberandum ab enormi onere populum & Eccleſiam, in Angliam ut venirent, fuiſſe adactos. Tandem Rex illorum potentiæ coactus cedere fugit e Regno, quo tempore filium ipſius cuſtodem Regni fecerunt proceres. Cum autem eſſet reverſus, faſtigio ſuo ſe ipſum deturbare fuit adactus, quæ *voluntaria* dicitur *abdicatio communi procerum conſenſu facta*, in patentibus Eduardi III, poſtquam regimen ſuſceperat, literis. Eduardus quoq; Archiepiſcopus Eboracenſis confirmavit privilegium ab Athelſtano quondam iis conceſſum, ut in aqua portus Hullenſis omnibus fruerentur *libertatibus, quas cor cogitare poſſet ſive oculus videre*. Memoratu maxime digna Bulla Papalis eſt, contra *Marſilium de Padua* & *Johannem de Janduno* hæreticos declaratos, quod pro Ludovico Bavaro tum excommunicato ſcriberent, promulgata, qui cum ſuprematum in Cæſare, non in Papa eſſe vellent oſtendere, ſummum Curiæ Romanæ odium incurrebant. Hæreſeos autem incuſantur, quod ſtatuant, *Chriſtum tributum Cæſari ex neceſſitate ſolviſſe, & propterea Temporalia Eccleſiarum Imperatori ſubeſſe: Petrum non plus autoritatis habuiſſe, quam Apoſtolos reliquos: Chriſtum Eccleſiæ nullum caput vel vicarium conſtituiſſe: ad Imperatorem electionem Papæ & judicium de eo ſpectare: ex inſtitutione Chriſti, omnes Archiepiſcopos, Epiſcopos, ſacerdotes, imo Papam ipſum eſſe æquales, & quod differant poteſtate, habere ab Imperatore*, ob quas hypotheſes, quæ in Bulla *perfunctorie ſatis*, ut ipſe loquitur Pontifex, confutantur, pro Hæreticis & impiis Marſilius iſte & Johannes condemnantur.

p. 236. 237. 243. 272, 299. 315 ſqq.

Cum jam ſatis diu bellum cum Scotis duraſſet, demum noſter Eduardus juri ſuo renuntiat, Roberto Bruſſio Scotiam *diviſam ab Anglia, absque qualicunque ſubjectione, ſervitute, clamore vel demanda permittens*. A. 1329 ad *Gerhardum Comitem Holſatiæ* Regis extat Epiſtola, qui *Daciæ* (Daniæ) *cuſtos* dicitur, quod propterea hic notamus, quoniam Chriſtophorus II Daniæ Rex anno demum 1032 Gerhardum hunc bello adortus & ab eo vi-

337. 382.

eo victus dicitur, quod conſiſtere cum dicto Gerhardi titulo an-
p. 384. te uſurpato non poteſt. Eodem anno Eduardus homines quoſ-
dam, qui per artem Alkemoniæ (Alchymiæ) argentum confi-
cere poſſe credebantur, tanquam regno ſuo valde futuros pro-
ficuos, ad ſe jubet perduci. Sub hoc Rege circa annum 1331
textura pannorum in Angliam primum videtur inducta, ut ex
496. privilegio textoribus cunctis dato, qui ex partibus transmarinis
in Angliam venirent, colligas. Vidimus paulo ante Regem
omne, quod ad Scotiam habebat, jus dimiſiſſe; jam poſt Rober-
536. ti mortem, Eduardo Balliolo ad Regium faſtigium Anglorum
auxiliis evecto, recuperat illud Anglus, in fidem Eduardi An-
636. gli ſe recipiente Scoto, cui poſtea, ut *Mareſcallum* & *Conſta-*
bularium habeat in exercitu, permittit. Ad controverſiam de
maris dominio pertinet, quod dicat Eduardus III in literis paten-
722. tibus, *progenitores ſuos, Reges Angliæ, in turbationibus, inter*
ipſos & alios terrarum exterarum dominos motis, maris &
transmarini paſſagii dominos totis præteritis temporibus extitiſ-
ſe. Licet Gallorum auxilio ad imperium elatus eſſet Eduardus,
344 ſqq. ſimultates tamen ſubinde oriebantur. Hinc jam A. 1328 jura
354. ſua recuperare in Galliam ſtatuerat, attamen A. 1329 homagium
389. præſtat Philippo Galliæ Regi. Nunc vero, quæ jam diu non
ſatis quieverant odia, erumpere velle videbantur A. 1537, quo
798. cum Ludovico Imperatore fœdus contra *Philippum, pro Rege*
Francorum ſe gerentem init, ad Imperii jura & ſervanda & re-
818 ſqq. cuperanda fidem ſuam obſtringens. Regnum dein Galliæ vin-
dicat & Vicarium Generalem in illa conſtituit, Regis etiam
826. Franciæ titulum uſurpat, & licet ab hiſce cœptis Pontifex eum
dehortaretur, illi tamen ſe purgat, & quod in ſententia ſit per-
ſtiturus, declarat. Hæc ſunt belli ſequentibus temporibus Gal-
liæ tam funeſti principia. Licet enim invaſionem Franciæ
833. Eduardus propter Apoſtolicæ ſedis reverentiam differret, ſe-
quentibus tamen Tomis, quomodo tandem eruperit ignis in
favilla latens, videbimus.

Digitized by Google

פירוש התורה מהחכם השלם דון יצחק אברבנאל

h. e.

R. ISAACI ABARBANELIS LUSITANI Commentarius in Pentateuchum Moſis, ſecunda vice editus ab HENRICO JACOBO van BASHUTSEN, Hanovienſi, S. Theol. D. ejusdemque & Philol. S. in Gymnaſio Patrio Profeſſore, & Eccl. Reform. majoris Paſt. ordin. & Conſiſtoriali.

Hanoviæ, A. C. 1710, fol.
Alph. 7 pl. 16.

ABarbanelis ſupra aliquoties mentionem fecimus, cum A. 1684 menſe Jan. p. 10 ejus Prooemium in Leviticum, A. 1686 menſe Nov. p. 527 ejus Commentarium in Prophetas priores, & ibid. p. 535 ejus Commentarium in Hoſeam recenſeremus. His jam Commentarium in Pentateuchum, a Chriſtianis æque ac Judæis deſideratum, addimus. Hic commentarius prima vice Venetiis A. M. 339 ſupp. min. h. e. A. C. 1579 eſt editus, ut R. Schapthai in Siphte Jeſchenim fol. 2 col. 3 teſtatur, ex quo hæc nova editio deſcripta eſt; ſed præter hanc alia ibidem recuſa eſt A. M. הש"לם 344, h. e. A. C. 1584 mandato Domini Suan Bragadin filii Dn. Aloiſii Bragadin, quam non niſi rariſſime hodie exſtantem habemus in manibus. Deſiderio itaque eruditorum Cl. Bashuyſen ſatisfacturus, novam editionem Veneta illa multo correctiorem adornavit, & allegationes marginales, diſtinctionum puncta, indicesque neceſſarios Latinos ad modum Commentarii in Prophetas minores, hic Lipſiæ editi, multo ſtudio adjecit, lectionemque faciliorem reddidit. Methodus, qua Abarbanel in interpretandis Prophetis prioribus & poſterioribus uſus eſt, eadem in hoc commentario eſt obſervata. Nimirum vel integrum caput, vel ejus partem conſiderat, variasque quæſtiones movet, quas deinde prolixe reſolvit. Sententias, quas proponit, non cœca majorum autoritate, ſed rationibus confirmare ſtudet, ideoque frequen-

ter a Talmudicis vel plane recedit, vel eos ita explicat, ut ſecum conſentiant. Sic Angelorum creationem concionatores in Breſchis Rabba, vel ad ſecundum diem, quo firmamentum creatum eſt, vel ad quintum diem, quo aves productæ ſunt, referunt, primo vero die Angelos creatos eſſe, ideo negant, ne quis Deum in creatione ſocios & adjutores habuiſſe dicat. Sed noſter Abarbanel angelos primo ſtatim die cum luce formatos eſſe ſtatuit, quia Scriptura eos nobis ſub luminis ſymbolo proponit, ſine quo alias a noſtro intellectu non percipiantur. Hoc R. Simonis dicto confirmat, *Deum lumen diviſiſſe, partemque ſibi ſervaſſe*, dicentis, quæ verba & Ralbag de luce intellectuali interpretatus eſt. Lapſum protoplaſtorum naturali modo factum eſſe exiſtimat, at Evam cum ſerpente collocutam eſſe negat, rejectisque aliorum ſententiis dicit, quod Eva ſerpentem ſæpius de arbore vetita ſine damno comedere viderit, qua occaſione ipſi dubium natum ſit, utrum Deus etiam vere arboris illius uſu ſibi interdixerit, quod cum removiſſet poſtea, Dei mandatum in memoriam ſibi revocans, aliam cogitationem eidem ſuccurriſſe dicit, quod fortaſſe Deus proprii emolumenti gratia præceptum hoc dederit, ne homo de hac arbore comedens virtutem generandi acquireret, & uti Deus homines producendo, bonum & malum cognoſceret, quia liberi ſunt boni, ſi eorum productionem, & mali, ſi eorum educationem conſideres. Caput XLIX Gen. interpretaturus, etiam in vaticinium Jacobi de Juda inquirit: *non recedet ſceptrum de Juda, donec veniat Schilo.* Obſtare hic dicit, 1 quod Rex primus Saul fuerit ex tribu Benjamin, & non ex tribu Juda; 2 quod Jeroboam reliquique Iſraelis Reges non fuerint ex tribu Juda; 3 quod in templo ſecundo Chasmonæi & familiæ Herodis non fuerint ex tribu Juda; 4 quod poſt deſtructum templum ſecundum Regnum Judæ & reliquarum tribuum plane ceſſaverit. Antequam ad hæc dubia reſpondeat, variorum interpretum ſententias adducit, easque rationibus non contemnendis refutat. Tandem hunc ſenſum adſtruit, ſemper aliquod regimen penes tribum Judæ obtinuiſſe, a tempore editi vaticinii usque ad Meſſiam, idque etiam ipſis Meſſiæ temporibus firmum

mum

Digitized by Google

mum eſſe manſurum. Quam ſententiam confirmaturus, dicit, quod ſceptrum, laxiori ſignificatu, quamvis potentiam, dignitatem, & dominium ſignificet, quodque Juda ſemper reliquis fratribus ſuperior fuerit: nam tempore Joſephi reliqui fratres conſilium Judæ ſecuti ſunt, uti Gen. XXXVI, 26 legimus. Sic caſtra Judæ verſus orientem erant poſita, & vexillum Judæ in profectionibus reliquis præibat. In encæniis templi Nachſon ex tribu Juda primo die ſacrificavit. Et cum Moſes viros conſtitueret, qui cum Eleaſare & Joſua Iſraelitis terram Canaan diſtribuant, primum Calebum ex tribu Juda denominat. Quando Iſraelitæ bellum cum hoſtibus iniverunt, Juda ex Dei mandato ſemper præceſſit. In occupatione terræ Canaan prima hæreditas ceſſit filiis Judæ &c. in quibus omnibus tribui Judæ prærogativa quædam præ reliquis tribuitur. Deinde imperante Saulo tribum Judæ reliquas ſemper dignitate & gloria ſuperaſſe, Regno vero Davidi ejusque poſteris collato, hoc vaticinium luculentius impletum fuiſſe affirmat. Nec obſtare pergit, quod poſt Salomonis mortem Regnum diviſum ſit, quia duæ tribus ſub dominio Judaici Regis perſtiterunt. Nec in captivitate hanc tribum omnem excellentiam amiſiſſe exiſtimat, quia antiqui ſapientes Judæorum dixerunt, quod optimates in captivitate ex tribu Judæ fuerint. Majorem deinde dignitatem conſecutam eſſe tribum Judæ poſt templi ſecundi exſtructionem, ſtatuit: quamvis enim Chasmonæi bella contra hoſtes geſſerint, Hieroſolymis tamen ſemper Ducem quendam ex tribu Judæ habitaſſe, qui Præſes Synedrii Magni fuerit, uti Joſephus Ben Gorion narrat, & Moſe Darſchan docuit. Ut adeo vaticinium impletum ſit toto tempore, quo Judæi habitarunt in Canaan. Poſt deſtructum templum ſecundum tantum reliqua vaticinii verba impleri, & nunquam legis lectorem, h. e. præfectum quendam ex tribu Juda defuiſſe aſſerit. Quæ de dominio tribus Judæ in primo & ſecundo templo diſſeruit, Chriſtiani in dubium non vocabunt; quando vero poſt deſtructum templum ſecundum prærogativam quandam eidem aſſerere auſus eſt, nihil agit, quia ipſi Judæi tribuum commixtionem & confuſionem hoc noſtro tempore

Digitized by Google

confitentur. Nec ipſe Abarbanel ſceptrum aliquod Judæis poſt deſtructum templum ſecundum tribuit, ſed potius illud ablatum eſſe tacite confitetur. Plura ſunt in hoc libro, quæ Theologorum meditationem merentur, ut nulli dubitemus Cl. Bashuyſium hac nova editione apud plurimos Eruditorum gratiam initurum.

EXCERPTA EX LITTERIS CHRISTFRIDI WÆCHTLERI IC. ad J. B. M.

UTique laudandus eſt candor Cl. Beſtii, laudanda modeſtia. Et abſit adeo ab utroque noſtrum omnis obtrectatio. Nos enim hac a ſcabie tenemus ungues, quod apud Martialem eſt. Eodem autem ordine, quo ſcripta eſt mea Epiſtola, denuo tangam textus aliquot Juris Romani. Si verum eſt, quod ait Cujacius, in ipſo libro Florentino legi, *id eo jure*, in L. 18 ff. de V. O. nemo ſollicitabit hanc lectionem. Sentio autem, quam neceſſaria nobis ſit circa omnes omnino textus dubios inſpectio ipſius Codicis Medicei. Non quod præceps judicium ferre nolim de hac vel illa parte libri, quem neque ego vidi, neque noſtrates. Vidit illum ſane uterque Taurellus, Lælius & Franciſcus, ac toto ferme decennio ſumma tractarunt diligentia, putabantque, ſe omnes figuras, minutiſſimas etiam, exemplaris ejus bona fide repræſentaſſe: præterquam ſicubi quædam, manifeſto calami, aut dormitantis aut Græcanico ritu Latina parum cognita deſcribentis librarii lapſu, perperam excidiſſent. Contulerant etiam libros totos Angeli Politiani, Etruſci, quos ille ſua manu ex Florentinorum voluminum evolutione reconcinnaverat. Sed Angelus ille, Juris Romani ignarus, & præmaturo etiam fato abreptus, magnam ſpem de ſe conceptam deſtituit; ita tamen, ut Antonius Auguſtinus fateatur, Politiani laboribus multa Digeſtorum loca accepta ferenda eſſe, quæ alii, ejus libris uſi, ediderint. Et ille quidem diligentiſſimus ſane ſemper non fuit, neque Ludovicus Bologninus, qui Politiani collecta iterum deſcripſit, mentem illius perpetim eſt aſſecutus, nec ejus notas, quales quisque

Digitized by Google

que ſuas frequentes habet, cum ſibi ſoli quædam deſcribit, expreſſit, ut oportuit: nec eruditione inſtructus, & Græcarum literarum, quibus abundabat Angelus, expers. Quodſi in hujus libros Gregorius Haloander incidiſſet, vel in ipſos Florentinos, bene actum fortaſſe foret cum noſtra Juris diſciplina. Nunc ille, ceu confidenter ſcripſit Antonius Auguſtinus, neutros vidit; tametſi jactet contraria omnia; & Bolognini deſcriptione tantum uſus eſt. Itaque ſpes omnis redit ad diligentiam Taurellorum. Nam ipſe Antonius Auguſtinus brevi tempore, tribus menſibus adeo, ſingula non potuit abſolvere. Vidit tamen, figuram literarum Florentinarum Romanæ Græcæque veteri ſcripturæ proxime accedere, niſi quod quædam a Gothis accepta eſſe quodammodo agnoſceret, & fugientibus ob vetuſtatem literis, & aliquot locis emendatorum audacia obliteratis. Illud præterea cognovit, e Græcia codicem iſtum in Italiam allatum, non in Italia aut a Latinis hominibus ſcriptum. Hic vero induſtriæ Laur. Theod. Gronovii multum debemus, qui & Sanctorum Marci atque Laurentii, & Sanctæ Crucis codices Manuſcriptos per tres quatuorve menſes calide tractavit, nobiſque genuinam Taurellianæ editionis faciem non parum detexit. Inde didici, quid ſit ibi GUBERNANTEP, (quod nemo per tot ſecula viderat,) quid DIPPONIT, quid PRAEPDIP, quid HEPPETAS, & DEPP, quidque credendum de ſententia Taurelliana, ſæpe unam literam poni pro duabus. *Nam perperam dixeris ibi legi *bonorum poſſeſſionum multitudinem*, cum in MSC. ſit, *poſſeſſionus multitudinem*, i. e. poſſeſſionis. Sic perperam ibi legas, *vel propter repletionem*, cum clare legatur, VEL PROPTE RLETIONEM, i. e. *lectionem* vel *electionem* Similiter manifeſte deprehendit vocem PROPRIAM, ubi in editis eſt, *copiam*, Gronovius autem eruit, *prope viam*. Idem pro *Berytienſium* deprehendit *Beryticum*, legitque *Berytieum*. Quæ ſola evincunt, vere iſti librario Græco parum cognita fuiſſe Latina. Quoties igitur nitimur fideli hac exhibitione textus alicujus, poſſumus quodammodo indulgere ingenio noſtro, & Medicinam afferre. Niſi quod nemo adhucdum repertus ſit, qui totum Codicem Medicum nobis tanta, quanta tentavit Gronovius forte

 pri-

primus, dexteritate depinxerit. Ubicunque vero deſtituor certa fide de lectionis Florentinæ ſtructura in eo loco, quem in oculis gero, fatebor me ſemper eſſe in lucta, an medicina noſtra ſit textui congrua; quem nondum vidi in ſuis veluti ſedibus ac fontibus. Neque in eo ſtatim acquievero, ſi quis perſuadeat, hanc & non aliam in illa parte occurrere ſcriptionis ſeriem. Nam totius præterea operis concentus, & perpetua illa analogia, tum dictionum tum phraſium, & univerſa habitudo omnium librorum Juris & capitum, ſola eſt menſura noſtræ certitudinis. Ut ergo redeam ad L. 18 ff. de V. O. non credo hactenns, Cujacium exquiſiviſſe totum genium Librorum Florentinorum, neque aſſeverare potuiſſe, an ibi ſic vel aliter, ſecundum intentionem JCti, qui loquitur in illo textu, ſcriptum fuerit, neque etiam tuto credam, ſi erraſſet librarius, lectionem ex ingenio noſtro recte emendari. Semper enim recurrit prior iſta dubitatio, an non ſecuriores eſſemus, ſi totum libri concentum & ſingulas ejus dotes nobis exacte liceret intueri. Tunc enim ſua ſponte textus textum & una ſcriptio librarii alteram, ſola comparandi arte feliciter adhibita, & per univerſos libros Juris ſibi conſentanea, illuſtraret. Succederent autem in locum librorum Latinorum Pandectæ Thalelæi ICti Græci, ſi ab ætate Juſtiniani adhuc *κατὰ πόδα* extarent. Nunc cum Baſilii Macedonis inſtitutum fuerit, ex Digeſtis reliquisque libris Juſtiniani excerpta tantum & fragmenta quædam, reciſis reliquis omnibus & avulſis, relinquere, contenti vix erimus centone iſto, niſi ubi fortuito contigerit, textum Juris, qui in manu eſt, in fragmentum aliquod Græcum incidiſſe. Saltem enim id diſco tunc ex Græco idiomate, quomodo legerit hunc textum ætas Baſſilii, nec poterit me contemplatio illa facile transverſum agere, ſi conſonantia & diſſonantia ætatis Juſtinianeæ caute per omnia attendatur. Itaque in L. 1 §. 3 ff. depos. nondum gaudebo, ſi ex ingenio legerim *ejus dem*, pro *ejusdem*. Utraque enim lectio habet egregios autores modernos. Et quandoquidem fieri potuit, ut in ipſo etiam libro Florentino duæ hæ voces, per imperitiam librarii Græci, cui Latina erant parum ſueta, coaleſcerent in unam, ſola comparatio ſcriprionis ex

nis ex toto titulo de ſtatu liberis me tranquillum poterit reddere, ſi membrana iſtius in noſtra eſſet manu. Certum autem eſt ex Græcis, Baſilium Macedonem ſimiliter ſua ætate legiſſe, *ejus dem*, & jam propemodum hic acquieſco. Subinde tamen minore cura emendamus, quæ ſtatim in ſenſus quaſi noſtros incurrunt. Sic in L. 15 ff. de leg. 3 nemo hæſitaverit, disjunctim legendum *hæ res*. At vero in Codice Theodoſiano deſtituimur & Græcorum & Florentinorum ſubſidiis. Magna eſt ſane Jacobi Gothofredi in iſto opere ſagacitas: & laudavimus illius lectionem circa L. 9 de malef. & Mathem. & L 5 de reparat. app. applaudente Cl. Beſtio. Illuſtris etiam Bynckershœkius lib. 1 Obſ. c. 10 hujus Viri eruditionem ſuſpicit ac ſtupet, ſed in ea tamen parte Critices, quæ in emendandis autoribus tum Juris, tum aliis abſolvitur, *fere eſt*, inquit, *ut infeliciſſime verſatum auſim dicere.* Quid fiet ergo ex Codice tuo Theodoſiano, pace tua, Jacobe? Fata, opinor, etiam tunc viam invenient. Porro fit, ut lis ſola ſit de diverſitate ſcriptionis antiquæ & modernæ. Tunc enim de ſenſu nemo adeo dubitat. Attulitque in hanc rem locum Quintiliani diligentiſſimus Beſtius, ubi O & U, F & D veluti per quandam agnationem permutantur. Nam multam aliquando rerum ſubtilitatem, quæ non modo acuere ingenia puerilia, ſed exercere altiſſimam quoque eruditionem ac ſcientiam poſſit, hic quæſivit Quintilianus. • *Quid ſtlotum*, inquit, *ſtlitesque? quare minus mirum, ſi vetuſtatis operibus urbis noſtræ & celebribus templis legantur ſcriptiones antiquæ.* Enimvero librarius noſter Græcus, cui Latina parum erant cognita, his plane impar, eoque mire receſſit ab ætatis etiam ſuæ ſcriptoribus Latinis, neque in eo ſtudium vetuſtarum lectionum, de quibus Quintilianus, ullibi enituit. Itaque in L. 78 §. 1 ff. de contrah. empt. *nec vacuam* non potuit non placere JCtis noſtris. Sed laus inventionis deberetur conſonantiæ cum tot aliis locis Codicis Medicei, ſi quis ea haberet in promptu. Et non tam ad regulas hic confugiam, ceu monuit etiam graviter illuſtris Dn. Bynckershœkius lectorem, quam ad ſedulam collationem aliorum locorum apud eundem librarium, ſive illa ſit per

omnia

omnia conformis, ſive error hinc inde errorem prodat. An enim corruptus autor hoc vel illo modo ſcripſerit, utique facti quæſtio eſt. Similiter, an librarius voluerit ſic vel aliter ſcribere, & lapſus ſit, non vitio codicis, quem deſcribebat, ſed quia linguæ illius genius illi parum erat cognitus, & eundem errorem adeo non potuit non errare ſæpiuſcule. A notioribus autem cum aſcendamus ſemper ad ignotiora, promtum etiam eſt, ex loci nobis magis familiaris intellectu aſcendere ad hariolandam veram lectionem loci paulo magis obſcuri, dummodo eadem, aut certe affinia apud eundem librarium deprehendamus veſtigia. Fitque hoc etiam tunc, quando integræ voces nonnunquam, poſtulante ſenſu, geminandæ ſunt. Et in L. 21 §. 2 ff. quod met. cauſ. Taurellum non dubito vidiſſe lectionem Haloandri & Portæ; ſic enim ait in Præfatione, *Haloandrini, & Hervagiani libri, & quos Hugo a Porta proximo biennio edidit, inter omnes verſantur.* Diximus, Haloandrum accepiſſe ſua à Ludovico Bolognino, & hunc iterum, ſed impuris admodum rivulis, ab Angelo Politiano. Eſto autem, Haloandrum etiam ex ſuo ingenio multa in iis emendaſſe, nihil tamen illorum facile fugere potuit Taurellos, patrem & filium. Eſto porro, in Codice Florentino non apparere veſtigium geminandæ vocis, *abeſt*, dubium tamen non eſt, alia occurrere ibi loca, ubi neceſſitas geminandi ſe ſtatim ingerat cauto lectori. Nec mirum adeo Taurellum hunc locum non expreſſiſſe charactere majori. Nam & illa, quæ lineolis incluſit, ad indicandum perfectum rectumque ſenſum videbantur ei neceſſaria, licet librarius ille Græcus iſta omiſiſſet. Haloander autem & Porta, & qui iis ſucceſſere, circellos illos abjecerunt plane, ſpretis hiſce veſtigiis antiquitatis, quæ ab errore hominis Græci unice ortum duxiſſent. Sic in L. 67 ff. de proc. rectius retinuit Taurellus *negotia agere;* multum enim id diſtat a *gerent*, pro *gererent*, ſiquidem hic ſumus paulo religioſiores. Et Gronovius agnovit eandem literam ſæpius duplicatam in Tuſco hoc libro nonnunquam in ſpongiam incidere: neque adeo myſterium antiquitatis ibi quærendum. Sed & literam *S* perſæpe etiam in optima membrana abeſſe

abeſſe in fine vocabuli & neceſſario ſuppleri. De L. 1 ff. de ſolut. fatetur D. Beſtius, tranſpoſitionem, quam habent Græci, eſſe magis perſpicuam. Funguntur ergo ſaltem hac vice partibus boni interpretis, neque poterunt nos hic transverſos agere. Deinde video, pro *aut* poſitum *at*, incertum, qua mente. Omittuntur etiam verba ultima, *aut cujus dies nondum venerit.* Repetitio autem hæc, quæ innuit, negationem etiam ineſſe verbis ultimis, ſimiliter oſtendit, negativam illam pertinere haud dubie ſimul ad verba media. Duo enim exempla horum caſuum æquipollent ei debito, quod eſt in controverſia. Sive enim debitum ſit in controverſia, ſive ortum habeat ex fidejuſſione, ſive dies ejus nondum venerit, hic perinde eſt. Jam infer: ſolutum debet inſtitui in id debitum, quod non eſt in controverſia, *aut cujus dies nondum venerit*, (hic exulat plane adſpiratio, ſalvo textu & ſenſu,) & ſubſume ſimiliter, *aut in illud, ubi fidejuſſeras.* Si vero nulla præceſſiſſet negatio, *ſolutum debet conſtitui in id debitum, quod eſt liquidum*, tunc ceſſaret utrumque *aut*, & opus eſſet oppoſitione negativa; perit enim æquipollentia. Analogia juris ſupplet in his omnem Criticam, & omnem autoritatem libri etiam cujuscunque. Velim tamen & hic gaudere certitudine lectionis vere Florentinæ: ne videamur pronuntiaſſe quidquam, fundo nondum accurate inſpecto; quod eſt quodammodo incivile. Apud Horatium nil muto: Communiter quæritis, quid expediat? aut pars melior (quæritis) carere malis laboribus bellorum civilium. At enim in L. 3 §. 2 ff. pro ſoc. parum impedita eſt locutio, *ſi ita societas.* Formatio enim quæſtionis, *de illo quæritur*, apte connectitur cum particula, *ſi*, & ellipſis tunc ſponte intelligitur. Scribe etiam: *ſi ita ſit ſocietas*, jam abundat, *coita*: quæ vox toties antecedit, & ſequitur. Et dic mihi, an exulet hic omnis geminatio, de qua paulo ante? *ita coita.* In mente tuto retinetur alterum vocabulum, quod alteri jam ineſſe conſpicitur. Sed quilibet ſuo abundet judicio. Vitioſam eſſe lectionem Florentinam, ad oram certe non notabo, quod paſſim fecerunt alii, etiam non inſpecto libro, quem damnant. In L. un. §. 6 ff. ſi mul.

Digitized by Google

ventr. ſtatim patet mens Ulpiani, ſi legamus, *vel coheredi, vel qui ſubſtitutus fuit, vel qui ab inteſtato ſuccedere potuit.* Caſus enim dandi pertinet, nemine etiam monente, ad utrumque membrum poſterius, & ubique tacite ſubeſt, *ei.* Abundat ergo *is.* Dic mihi autem, an illud *is* in Mediceo ſit ab antiqua & genuina manu, an ab aliena? Taurellus enim hic ſilet. Antonius Auguſtinus non diffitetur, *nos illa ipſa menda & errores eisdem bene literis & lituris*, cum Tuſcis libris *accepiſſe.* Deinde ait, in iis menda frequentia partim ſublata, partim ſcriptorem adhuc deſiderare. Et quæ ablata ſunt, oſtendunt, ad alicujus libri exemplum eos libros emendatos. Gronovius contra tantum non ubique intendit aciem oculorum, ut diſcerneret in tribus illis Epiſtolis, manum antiquiorem a laſciva & ſera. Vidit etiam, aliquando aliud atramentum, nunc nigrum, nunc rubrum, diverſitatem hominum hanc illamve vocem vel literam ſuperſcribentium revelare. Et tunc, opinor, proniores fuerimus ad inveniendam veritatem. Chevalloniana tamen A. 1527: *vel ei, qui ſubſtitutus fuit*, incertum, qua fide, quove auſpicio. Neque arbitror, verba L. 82 ff. de jur. dot. *& id feciſſe dicatur*, poſſe etiam ad uxorem referri. Sequitur enim, *utrum eam dotem ſuo, an uxoris nomine dedit.* Quod de ſolo marito exaudiendum eſt. Ergo nec turbatur conſtructio, ſtante lectione vulgata. Verum eſt, hiulca videri verba illa L. 1 §. 14 ff. de agn. & al. lib. de quibus quæritur. Sed ſenſus ideo non reſtituitur, *ſi* in *ſic* mutando. Nam ſi ad anteriora pertinere dixeris, pugnabit cum toto textu Ulpiani, injuriam fieri marito, ſi alere cogatur; cum facta uxoris denuntiatione, non negaverit, eam ex ſe prægnantem eſſe. Dico, Ulpianum novum caput legis proponere, *Ceterum eſſe ſatis injurioſum ait Julianus, ſi quis ſuum heredem ei naſci.* Hoc eſt, eo caſu ſuus heres ei non naſcetur, ſed recuſare poterit filium. Satis id enim foret injurioſum alias. Ita vero abundat plane *ſi*, nec mutandum in *ſic.* Perperam etiam Chevalloniana noſtra, *Ceterum ſi ceſſet, ſatis injurioſum ait.* Falſumque eſt, quod ibi ſequitur per modum novæ ſententiæ: *Si quis ſuum heredem ei naſci.* Sola diſtinctio corrupit ſcopum JCti.

Inven-

Invento autem ſcopo, inventa eſt etiam fortis medicina. Juvat me perpetua ratio ſcribendi Ulpiano ſueta L. 3 §. 6 L. 5 §. 8 & 19 h. L. 1 §. 8 de inſpic. ventr. L. 1 §. 2 L. 5 pr. de impenſ. in res dot. L. 2 §. 1 L. 22 §. 1 L. 29 pr. L. 64 §. 5 ſolut. matr. & paſſim. Spero etiam plane, ſi quis accurate intenderit aciem in librum Mediceum, diſparituras tenebras Taurellianas. Non tam Contio adſcribenda eſt lectio L. 3 §. 1 ff. ubi pup. educ. quam iis, qui primi inciderunt in genuinum membranæ ſenſum. Nam & in Chevalloniana, *ſed ſemper ſic*. Quoties autem deprehendit Gronovius, Taurellianam aberraſſe a recta edendi lege? Semperque adeo de iis bene ſperandum eſt, qui nihil damnant, niſi quod viderunt ipſi. Et tunc ipſa religio ſuggeret forte in L. 15 §. 1 ff. quand. dies leg. omnino abundare ſive *is*, ſive *ſi*. Nec poterit facile afferri ſimilis locutio Papiniani, vel aliorum. Ad L. 9 ff. de ſerv. export. dixerim, Paulum potuiſſe utroque modo ſcribere, ſive uti Haloander extulit, ſive uti vulgo editum eſt. Recurrendum eſt igitur imprimis ad examen membranæ, neque credendum ſtatim, Florentiæ *&* exhiberi, quod vulgo perhibent: maxime in textibus Pauli. Alias eadem libertate legâm, *nam poſterior*, item, *cum poſterior*. Quid ſi per tranſpoſitionem exponenda eſſent verba: *mortuus ſit, & poſterior magis admonendi e. e. l. ſ. e. l. repetierit, potior habendus eſt, qui autor fuit legis*. Cl. Beſtius autem utroque oculo reſpicit ad ſuam regulam; de qua tamen adhuc liceat dubitare, an ea loco præſenti conveniat, monente Illuſtri Bynckershœkio. Facile legas in L. 28 §. 1 ff. de liber. leg. *ut quæque ſcripta ſunt*. Sed in verbis teſtatoris, quæ hic recitantur, nihil mutamus; & quaſi hoc ordine exponuntur: *quibus legata dedi, & quæque in eo teſtamento ſcripta ſunt, omnia rata eſſe volo*. Utique mens teſtatoris non extendi debuit ad illam quantitatem, quæ poſt illud teſtamentum deberi demum cœpit: quia de ea nihil ibi ſcriptum eſt. Si dixerat teſtator, *ut quæque ſcripta ſunt*, plane inepta erat dubitatio debitorum. Iterum ergo de tenore teſtamenti lis oritur. In L. 41 §. 10 ff. de fideic. lib. negat Taurellus *&* haberi, ideoque a ſe adhibitam ad redden-

Kk 2 dum

dum ſenſum perfectum, & circellis incluſum. His poſitis, deſunt ſane veſtigia antiquæ manus. Et ſupra dixerat Cl. Beſtius, *ſolusne Taurellus hac dignitate ſupplendi eſt donatus*? Senſum autem non accuſem. Quærebatur enim, an ſervus eas quoque rationes, q. t. p. ſ. e. reddere tenatur? Hoc dubium non ſolvas, ſive *&* ſcribas, ſive *ut*. Notaverat autem Gronovius, nonnunquam in ſpongiam incidiſſe literam ſæpius duplicatam. Sin minus id placeat hic, idoneus erit ſenſus omnis, qui rationes ſervi diſtinguit a rationibus reliquis, quas tutores ſuo periculo egerunt. Nam Scævola reſpondet, illud tantum a ſervo recte deſiderari, quod ipſe geſſit. Si ergo omne illud reddiderit, perit nova lectio, *ut recte deſiderari poteſt*. Græci utramque conditionem complexi ſunt laudabili brevitate, ὁ δοῦλος διδοὺς, ἃ φανῇ χρεωστῶν, γίνεται ἐλεύθερος. *ſervus reddens, quæ eum debere apparuerit, liber fit*, καθ' ὃν χρόνον ἐπλήρου &c. Vides, immediate hæc conjuncta eſſe. Si quæras ex Græcis, quænam appareat eum reddere debere, reſpondebunt, ea recte deſiderari ex ſervo, quæ geſſit, & quæ tempus XVI annorum attingunt. In Martialis loco *&* habet vim negandi, quæ non eſt in omni admiratione. Poniturque pro *etiam*, & eadem ratione interrogatio hic occurrit, uti verſu ſequente. Antonio Auguſtino lib. 4 emend. c. 16 nunc pene magis crediderim, quam Taurello, L 100 §. 3 ff. de Leg. 3 in membrana ita ſcribi, *Labeo id non probat, ſi eas βάσεις teſtator numero vaſorum habuit*. Ex eadem ergo religione tentarem, hanc mentem Labeonis fuiſſe: ſi conſtet, teſtatorem βάσεις eas non habuiſſe pro pedamentis tantum, ſed inter ipſa vaſa ſua retuliſſe, non poſſe illas accedere legato vaſorum Corinthiorum, quæ ſola ille determinaverit. Et ſic ceſſat nova lectio, *niſi eas*. Aut dicendum foret, teſtatorem eas βάσεις in numero illorum vaſorum, quæ legaverat, habuiſſe ſimul. Et ſic nulla erat ratio dubitandi Labeoni. Proculus vero priori interpretationi valde favet, & negat deberi, niſi Corinthia ſint: ſi ænea autem, omnino non deberi, ſive pro pedamentis habeantur, ſive pro vaſis ipſis. Fere hoc accedit ad mentem Labeonis. Nec rejicit Javolenus ſententiam

tiam

Digitized by Google

tiam Trebatii & Labeonis, ſed laudat, eam a Proculo bene & perſpicue expoſitam. Neque fluctuo in exponenda L. 17 §. 1 ff. de adopt. Sed plane opinor, activam formam hic non deberi mutari in paſſivam. Lis ſola eſt, an *eorum* pertineat ad *pupillorum?* Vulgo ajunt. Sed textus anteriores docent, deſcribi adoptantes, & illis tantum permitti arrogationem, qui interiore nec ſimulato affectu ducuntur ad adoptandum. Quales ergo hic prohibentur, tales admittuntur in genere oppoſitorum. Noſter autem nunc quidem conſentit; ſed nondum conſtat, an Tuſca membrana patiatur *quos* pro *qui*. Nec fuero juſto tunc religioſior. Græci & rem ſtabiliunt & verba. Verba, dum pro *eorum*, in caſu ſecundo, ponunt caſum primum, *'ὐδεὶς δύναται, nemo poteſt arrogare*. Et hoc eſt principium §. 1 Legis noſtræ. Ultima vero verba §. non ſunt omnino in controverſia; an ſit in poteſtate tutorum, adoptare tutelæ ſuæ commiſſos? Perinde ergo, quo loco & ordine hoc negetur. Et omni favore proſecutus eſt Græcos Illuſtris Bynckershœkius, eosque niſi adhibeamus, ſolide nos non putabat ſapere. In L. 9 §. 1 ff. de fund. dot. fatetur Noſter, ſuum tantum locum verbis defuiſſe. Rem ergo elocuti ſunt etiam Græci, & ſive cum illis collocetur ordo, ſive aliter, totidem retinebimus verba & eundem ſenſum. Dixi porro, Græcos effugere hic notam Archaiſmi: ergo non advocantur a me ut teſtes, ſed transmittuntur, in L. 156 §. 2 de R. J. Briſſonius autem nunquam dubitavit, in ipſis Pandectis veteres *alteri* in caſu ſecundo uſurpaſſe, ſicut & *alii*, & *uni*. Æque etiam inuſitatum ibi dicent alii, *ſi quis alii in locum ſucceſſerit*, certe apud Ulpianum L. 3 ff. de itin. actuque priv. Firmat, quod dixi ſæpius, membrana Tuſca in L. 26 pr. ff. de fideic. lib. oculum Taurelli non vidiſſe ibi omnia &c. multa adhuc ſervari iis, qui poſt Gronovium aciem oculorum recte intendent. Geminatur autem ſimilis dictio apud Martialem *viribus hic operi non eſt, hic utilis annis*, i. e. uterque non utilis, lib. 11, 81. Recte percepit Noſter mentem de L. 5 §. 3 de extr. cognit. Et ſcopum textus tetigiſſe contentus, eam admitto lectionem, quæ ad genuinam ſcriptionem libri Tuſci proxime accedit. Hactenus enim nihil defi-

 nio,

Digitized by Google

nio, neque advenam vocem obtrudo. Verba Græcorum depromta ſunt ex Lib. 46 Tit. 2 cum ſcholiis. Sed neque integrum mihi eſt, in L. 3 §. 2 ff. naut. caup. *quo* mutare in *ſiquidem*. Optime Chevalloniana, *qui:* dummodo ferat id examen oculare. Si conjecturis nitimur ſolis, poteram dicere, *ſi* omnino ſupplendum ob verba ſequentia, incidiſſe autem in ſpongiam; duplicatur enim hæc litera in fine vocabuli antecedentis, *ſtabularii*. Deinde ſi certum eſt, *quo* ortum habere ex Notis, utique potuit ſcriptum eſſe *ſiquid*, vel *ſi quod*, vel *ſiquidem*. Nam in L. 7 §. 2 idem Ulpianus, *ſed ſiquid*; ubi Chevalloniana, *ſed ſiquod*, Haloander, *ſed ſiquidem*. In tanta varietate omnia redduntur incerta, niſi accedat judicium oculi probe inſtructi & tantum non armati, conſenſu ſcilicet perpetuo totius idiomatis Etruſci: quo hactenus deſtituimur. Iterum beneficio Notarum in L. 183 ff. de V. S. gaudere viſus eſt Noſter. Sed Antonius Auguſtinus, qui librarium illum *multis locis* numerorum & verborum notis uſum affirmat, in fine lib. 1, c. 1, negat ſe in iſta Lege notam obſervaſſe, c. 2 ſub finem. Quodſi dixeris, *paucas* ibi eſſe notas, & plerumque a manu recentiori, non conſtabit ſibi Ant. Auguſtinus. Et poſt ætatem hujus Viri nondum omnes occidere Soles. Quin imo Taurellus nulla Scripturæ compendia ibi recepta eſſe, ne in numero quidem librorum ſignificando, aut rariſſima, præterquam in titulo de LL. teſtatur. Sæpe tamen in verſuum fine lineam occurrere, quæ loco *n* aut *m* ſuperimponitur. Dic mihi, cui ergo credendum? Nam ex ipſo defectu compendiorum probare Taurellus voluit antiquitatem libri. Auguſtinus vero eandem probat maxime ex hoc ſigno notarum in multis locis. Si ſcriptum in textu noſtro erat, *non*, prompta eſt medela, *nomen*. Sed & aliæ fingi poſſunt notæ, de quarum tamen indice nemo temere judicet, neque diſtinguere poteris recentiores & ſuſpectas a vetuſtis. Denique in L. 2 C. Theod. de inoff. teſtam. malim proferri verba eo ordine, quo recitat ipſe Jac. Gothofredus, *ut removeant parentum voluntatem, teſtamenta*. Sola enim ſectio illa liberam ſuppeduri-

Digitized by Google

ditat ſupplementi copiam. Pro *voluntatem* autem *valeant*, durius. Sed plura ad cap. XXVII de iſto Codice.

EXCERPTA MEDICA EX HISTORIA ACAdemiæ Regiæ Scientiarum Anni MDCCVIII.

PLacet hoc loco inſerere, quæ ſuperiori Menſe promiſiſſimus, excerpta Medica.

In Anatomicis, circulum ſanguinis matrem atque fœtum medio placentæ uterinæ intercedere, *Mery* ſingulari confirmat exemplo mulieris alicujus ultimo menſe gravidæ, infelici lapſu ſubito enectæ ac in diſſectione abdominis cavitatem ſanguine turgidam, e diverſo cuncta vaſa ſanguifera, tum propria, tum fœtus una mortui, prorſus vacua exhibentis, cum placenta nihilominus uterina matrici etiamnum integra ſine ulla ſanguinis extravaſatione adhæreſceret. Diu equidem dubitarunt, num in iis, qui cataracta reputantur laborare, hujusque chirurgiam ſuſtinent, condenſatus potius humor cryſtallinus, quam peculiaris membrana deprimeretur, prout Chirurgus Antonius Maitre, Jean in Tractatu de Morbis oculorum, in *Actis A. 1708 p.* 68 a nobis recenſito, atque Medicus Briſſeau in libello de Cataracta & Glaucomate Pariſiis edito, ſed nondum ad nos tranſlato, per experientiam aſſeruerant & prout Guernerus quoque Rolfincius binis vicibus olim cognoverat & in Diſſertat. Anatom. L. 1 c. 13 p. 179 annotaverat. Verum nunc ſententiam iſtam calculo ſuo approbare deprehenditur laudatus *Mery*, poſtquam in duobus oculis, quorum cataractam membranæ deberi crediderat, ipſum humorem cryſtallinum glaucomate affectum, tam ſolenni modo a ſe ipſo detruſum, quam nova ratione per inciſam corneam a Petito extractum fuiſſe vidit. Tunc tamen revera talem pelliculam præternaturalem ſubeſſe, qualem *Littre* in oculo aliquando per Anatomen Societati monſtravit, haud difficulter conceditur, ſi cataracta ad modum ejus, quam Wolhouſe, celebrem Ocularium Angliæ, depoſuiſſe *Godofredus* affirmavit, parum longa, ſed latior & amplior tumore cryſtallino appareret, neque pupillam perfecte obturaret. In operatione interim chirurgica, aut membranam, aut lentem cryſtallinam, a pupilla fuiſſe ſeparatam atque e loco dimotam, ex viſu poſtea colligitur, ſi hic vel

ſin

ſine omni lente optica vel non niſi cum tali queat celebrari. Qui capitis dolor fœminam quandam in 36 ætatis anno ſub fronte lateris dextri verſus nares aliquandiu continuo atque atrociſſime excruciaverat, mox ceſſavit, ubi ab uſu pulveris ſternutatorii vermem ſex pollices longum & duas lineas latum, conglobatum tamen, cum pauco ſanguine eliminaſſet, quem vermem in ſinu frontali ſubſtitiſſe & operationis pariter chirurgicæ adminiculo eximi potuiſſe, *Littre* nullus dubitat. In alia vero fœmina quomodo inſignem cephalalgiam flamma cerei ſub veſperam fortuito calanticam nocturnam accendens frontemque cum aliqua ſyncipitis parte aliquantum comburens mox ſedaverit, *Hombergius* commemorat, ſimilique exemplo æque ac modo Javonum in diverſis affectibus doloroſis urendi illuſtrat. De cochlearum ceu androgynarum generatione varia *du Verney* ſingularia & curioſa prolixe innuuntur obſervata, quorum tamen rationes in commentario ab ipſo nunc evolvi morbus prohibuit. Cum *Salmon* a mari apportari curaſſet ſepiæ racemum ovorum, hæc cuncta parum continuere ſepiam optime formatam & per ligamentum ſatis longum magno trunco ſive chordæ communi, unde quævis ligamenta invicem implicita prodibant, adnexam: quorum ligamentorum veſtigia quia nulla in veſicaria marina occurrunt, in dubium vocatur hominum marinorum ſententia, eundem pro exſiccato racemo ovorum ſepiæ a piſciculis excluſis venditantium.

In Chymicis *Lemery* ceræ & mannæ deſtillando & fermentando, alveo vero *Boulduc* extrahendo inſtituit analyſin. Ceræ nempe unciæ octo deſtillationi expoſitæ ſpiritum ſive phlegma acidum conceſſere, cum ſuperſtite butyro molliori, quod rectificatum denuo acidum præbuit phlegma, ſine omni terra olei clari, inſtar communis, uncia una cum ſex drachmis reſtitante. Ex mannæ autem unciis octo paratus liquor vinoſus in deſtillatione ſpiritus ardentis unciam unam cum ſemiſſe ſuppeditavit; reſiduus hinc per ſeſquiannum in loco calido aſſervatus & in acorem mutatus, non ſolummodo ſalis eſſentialis drachmas ſeptem ad fundum demiſit, ſed & poſt deſtillationem viginti uncias materiæ craſſioris ſub conſiſtentia mellis

lis reliquit, quæ fortiſſimo demum igne deſtillata in ſpiritum obſcurum, empyrevmaticum & acrem paucasque olei nigri guttulas abiit, carbonis rarefacti, levis, inſipidi, parumque ferri continentis, unciis quatuor remanentibus. Sed in aloe ſuccotrina minus reſinæ ſive ſulphuris, plus ſalis comprehendi, quam in hepatica, caballinam vero, veluti impuriorem, de multo majori terræ, quam ſulphuris & ſalis participare quantitate, per extractitionem patuit. Suggeruntur præterea, quæ *Morin* & *Chomel* de nonnullis Galliæ aquis mineralibus obſervaverint, & quæ de ferri productione *Godofredus* ac *Lemery* filius diſceptare pergant, dum prior ex argilla, oleo lini admixto, plus ferri obtineri affirmat, quam in illa prius queat oſtendi, poſterior vero ſequelam hanc impugnat, quod non omnis ferri portio in argilla latens facile detegi poſſe videatur, niſi lini prius oleum fuerit aſſociatum. Neque parvi habenda, quæ *Godofredus* de Coralliorum aliarumque plantarum petroſarum analyſi, tum a Comite Marſiglio, tum a ſe ipſo facta, quæque *Hombergius* de acidorum & alcalium differentia fuſe tradiderunt.

In Botanicis caulium plantarum perperdicularem aſcenſum, radicum vero deſcenſum *de la Hire* a ſucci nutritii ſubtilioris & craſſioris deducit diverſitate, ſubtiliſſimum rorem, qui tempore verno citri & mali aureæ foliis agglutinatur, pro peculiari mannæ ſpecie eo probabilius habens, quo magis mellis liquidi conſiſtentiam ſacchari que dulcedinem ille obtinet. Ne transſcribamus, quæ vel *Renalmus* de modo frumenti grana conſervandi, vel *Godofredus* junior de plantula Noſtoch amplius diſſeruiſſe deprehenduntur.

CHRISTIANI GRYPHII, RECTORIS OLIM apud Vratislavienſes Magdalenæi, Apparatus ſive Diſſertatio Iſagogica de Scriptoribus Hiſtoriam Seculi XVII illuſtrantibus.

Lipſiæ, apud Thomam Fritſch, 1710, 8.
Alph. 1 pl. 18.

ELegantiſſimus hic eſt Viri in hiſtoria verſatiſſimi fœtus, cui nihil deeſſe videtur, niſi quod ipſe Autor, qui eum in privatum tantum uſum conſcripſiſſe videtur, morte, quo minus ipſe ederet in lucem, præventus fuit. Nam & huic, quod poſthumis ſolet, accidit, ut ſcribarum incuria errores nonnulli in orthographiam, imprimis nominum & annorum, irrepſerint, quamvis plures fuerint Bipliopolæ cura ſublati. Ceterum & methodus hic & ſelectus commendari debet. Ita enim plerumque agit de Scriptoribus, qui res Seculi XVII illuſtrarunt, ut præmiſſis iis, qui vel chorographiam, vel ſtatum politicum, vel hiſtoriæ univerſalis ſcriptores, quotquot vel minimam Seculi illius partem attigerunt, tum vero ſingulorum Regum hiſtorias & quæ ad illas ſpectant, Acta publica, vitas item virorum in Republica illuſtrium, qui eodem Seculo vixere, nec non pompas & triumphos ſolennes, Epiſtolas porro, Orationes, Poemata, ſatyras fabulasque Mileſias & miſcella ſcripta, quæ quocunque modo hiſtoriam juvare poſſunt, deſcribat; in quibus ſingulis judicium oſtendit exquiſitiſſimum & ſtudium plane ſingulare, ut merito mireris, eum in minimis etiam libellis tanta cum cura eſſe verſatum. Sed ut pateat, haud vulgaria hic deprehendi, pauca quædam velut in transcurſu delibabimus. In ipſo Præloquio, ubi inter alia triumphos quoque, pompas funebres & haſtiludia ad hiſtoriam illuſtrandam facere
p. 2. poſſe oſtendit, commendat imprimis Franciſci Modii *Pandectarum triumphalium* volumina duo, quem ſcriptorem ob rerum ſelectum dignum utique cenſet, quem hoc nimis ſcribaci ſeculo non illi tantum, quibus manus & digiti pruriunt, ſed judicio quoque pollentes viri imitentur. Lucam de Linda in *De-*
9. *ſcriptione Orbis* ut plurimum obſervat araſſe Galli cujusdam ſcriptoris vitulo, qui ſub literis D. T. V. Y edidit librum *Les Etats, Empires & Royaumes principales du Monde*, quem & poſtea ſub t. *Archontologiæ Coſmicæ* Latine tranſtulit Jo. Ludovicus Gothofredus, & Germanice cum continuatione edidit Georgius Chriſtophorus Haynius. Eandem *Archontologiam*
cum

Digitized by Google

cum luculentis acceſſionibus & continuatione nova edere antehac conſtituiſſe teſtatur Virum celeberrimum Jo. Chriſtoph. p. 10.
Becmannum, ab hoc forte inſtituto Hiſtoriæ Anhaltinæ labore hactenus avocatum, quo tamen nuper eum feliciter defunctum eſſe novimus. De Georgio Hornio notat, quod libel- 11.
los ſuos ſine ulla diligentia, inter Nicotianæ ſuffitum, conſcribillaverit, & quicquid in buccam veniret, effuderit. Con- 14.
tinuationem, Thuani Hiſtoriæ, Franc. 1628 editæ, libris XI ſubjunctam, nomine Thuani indignam eſſe, at huic tamen rhapſodo pleraque Oſeam Schadeum, qui Sleidanum Germanicum cum continuatione edidit, debere, notat. Victoris Siri 15.
ſcripta hiſtorica, quæ Noſter, Bœclerum ſecutus, extollit, non Caſaliis quidem, ut aliquot tomi præferunt, verum potius Pariſiis in ipſa Lupara typis regiis impreſſa exiſtimat. *Theatri Eu-* 18.
ropæi primum tomum laude ſua non carere, nec contemnendum eſſe ſecundum, in tertio editoribus hærere aquam, quintum vero cum Annalibus Voluſianis plane comparandum cenſet. Petri Valckenerii *Europam turbatam* ejusque conti-
nuationem Belgicam multum commendat, at in Andreæ Mülleri continuatione Germanica nihil putat eſſe commendatio- 20.
ne dignum, præter figuras. Londorpii *Actorum publicorum* 22.
editiones priores, A. 1621 ſeq. procuratas, multum præfert recentiori, in qua multa ſint caſtrata. Jo. Georgii Culpiſii Epi- 45.
ſtolam *de ſtudio Juris publici recte inſtituendo,* quam ſub anagrammatico Sulpicii nomine A. 1688 vulgavit, vehementer commendat. Limnæi notas egregias ad Capitulationes, aulæ Cæ- 46.
ſareæ admodum ingratas, eoque in ipſis quaſi incunabulis ſuppreſſas, nunc deflagrante invidia impune per ora doctorum circumvolitare, ejusque Viri ſcripta alia, etſi plurima e Diſputationum Baſileenſium voluminibus octo ſint transſcripta, laude 50.
ſua non fraudanda oſtendit. Hippolyti a Lapide *de ſtatu Im-*
perii Germanici pleraque ſuſpicatur, ſi non omnia, Axelio O- 49, 50.
xenſtirnæ rerum Suecicarum tunc temporis arbitro, fortaſſis etiam Salvio, Suecorum ad comitia pacis Monaſterienſis legato, deberi, quamvis alii Boguslao Philippo a Chemnitz, ſed falſo, hoc ſchediaſma tribuerint: cujus quidem viri Hiſtoriam 61.

 belli

clarum, docet p. 162. Atque illud quoque commendatione dignum, quod ſubinde, ubi Satyrica ſcripta recenſet, clavem quoque nobiſcum communicat, ut Dramatum, quæ Jo. Micrælius, Theol. ſub tit. *Pomeri tragœdia*, *Parthenia & Agathander* ſcripſit, p. 163, nec non fabulæ venuſtiſſimæ, quam Jo. Franc. Lauredanus ſub t. *Dianea* edidit, quæque inſidias Ferdinando II a Wallenſteinio ſtructas delineat, p. 166, fabularum item Jo. Baptiſtæ Commirii ſub ſchematibus Æſopicis lepide conceptarum, p. 277 ſeq. fabulæ heroicæ ab Anonymo, ſed jubente Richelio, ſub t. *Europæa* repræſentatæ, p. 183 ſeq. *Lacrymarum veritatis*, quam ſatyram Barclaji imitatione, tanquam quintam Euphormionis partem Gabriel Barthol. Moriſottus compoſuit, p. 286, ſatyrarum Petri Firmiani p. 287, characterum Bruyori p. 288 & imprimis ingenioſiſſimæ in aulam Romanam ſatyræ *Eudemiæ* a Jano Nicio Erythræo conſcriptæ, p. 492 ſſ. Ipſum quoque Comicum Gallum Molerium in prologo Amphitrionis ſub Jove modernum Galliarum Regem, ſub Nocte Ducem Montauſeriam & ſub Mercurio Aignonium Ducem, & in Turtuffo Epiſcopum Auguſtodunenſem in Burgundia, hominem admodum quidem conſceleratum, ſed vultu & geſtibus tertium quendam Catonem præferentem, vivis coloribus delineatum fuiſſe teſtatur p. 285. Præterea ſpecimina quoque curioſiora ex ipſis libris nonnunquam inſpergit, ut p. 24 ex Ulrici Huberi Commentario rerum in orbe geſtarum, p. 90 ex Actis Brunſuicenſibus (Braunſchweigiſche Händel) in quibus pientiſſimum Theologum Joannem Arndium ſemel atque iterum tanquam turbarum incentorem acerbe perſtringi obſervat, p. 168 ex Thomæ Carve Itinerario, p. 322 ſq. ex Thomæ Herberti Narratione de ultimis Caroli I Regis Angliæ, p. 362 e Seldenianis, & paſſim ex aliis. Denique nec hoc tacendum, quod MSta ſubinde commendet rariora, ut Annales Noricos ab origine urbis ad A. 1643 p. 85 Chronicon Hamburgenſe, quod ad A. 1678 deductum Uratislaviæ in Bibliotheca Viri illuſtris aſſervatur. p. 88, Krumbkrügeri dubia circa privilegia Glogovienſia & alia p. 175, Chriſtophori Manlii Commentarios rerum Luſaticarum, in Bibliotheca Menckeniana exſtantes, p. 176, nec non Notitias duas Venetia-

netiarum, quarum Autor eſſe fertur Marchio Bedemarus, cujus ſupra mentionem fecimus, p. 451. Sed hæc ex elegantiſſimo libro notaſſe ſufficiat.

NOVA LIBRORUM RARIORUM COLLEctio, qui vel integri inſeruntur, vel accurate recenſentur.

Faſciculus I & II, 1709, 8.

Faſciculus III, 1710, 8.

Halis Magdeburg. in officina Rengeriana, Alph. 1 plag. 11.

INſtitutum doctiſſimi Autoris, Henrici Auguſtini Groſchupf, quod vel ex titulo operis patere arbitramur, illud eſt, ut libros rariores colligat, eosque pro argumenti, quod continent, dignitate vel integros inſerat, vel ſi moles obſtet, accurate recenſeat. In primo Faſciculo verboſiorem præfationem Cl. Autor dedit de libris rarioribus, in qua tum ipſos libros non ubique obvios enumerat, tum raritatis cauſam ſubjungit. Poſt hanc varii generis libri recenſentur, nempe *Caſparis Varrerii cenſura in Pſeudo Beroſum*, quæ Romæ olim 1565 evulgata eſt. Sane autor eleganter demonſtrat, Beroſi librum eſſe ſuppoſititium, idque plurimis ac veriſſimis argumentis evincit. Subſequitur *Holofernis Kriegſoederi* ſive, qui ſub nomine iſto latere voluit, *Gaſparis Scioppii*, *reſponſio ad Epiſtolam Iſaaci Cazoboni pro Gaspare Scioppio*, quæ truculenta eſt ſatyra, & horrenda Caſaubonorum flagitia exponit, Ingolſtadii primum A. 1615 emiſſa. Succedit *Franciſci Sacchini de ratione libros cum profectu legendi* opuſculum Romæ 1650 excuſum. Iſtud excipiunt *Gaſparis Scioppii Priapeia* commentariis lucidiſſimis illuſtrata, quæ quod nimis Latine loquerentur, puduit Scioppium poſtea hujus impuriſſimi fœtus & Melchiori Goldaſto tribuere eum conatus eſt. Poſt hæc prodeunt *Catulli caſta carmina* a Raphaele Eglino Iconio, miri ingenii homine, collecta & Francofurti A. 1605 edita. Et iſthæc quidem, quæ modo enumeravimus, tantum in hoc Faſciculo recenſentur: integri vero inſerti ſunt ſequentes, primum *Joachimi Camerarii Ermium*

belli Suecici commendat, & poſteriorem ejus partem ex Oxen-
ſtirnæ illius Commentariis maximam partem deſumtam, obſer-
p. 55. vat. Illuſtrem Seckendorfium in gratiam Filiorum Erneſti
Pii Synopſin publici Juris Germanice compoſuiſſe notat, quæ
poſtea A. 1687 absque Autoris nomine prodierit. Anonymi
64. *Epitomen rerum Germanicarum, ab A. 1617 ad 1643 geſtarum,*
magno cum judicio magnaque cum libertate ſcriptam, Pap-
66. po Canonico Conſtantienſi vulgo adſcribi teſtatur. Memorias
Legatorum Gallicorum, Caroli Engolismenſium Ducis & Be-
thunii, (qui a Ludovico XIII ad Principes Germanos & ipſum
Ferdinandum II miſſi res Auſtriacorum non parum adjuvarunt,
dum Proteſtantium proceres miris artibus a Friderico Palatino
diſtraxerunt, & pacti Ulmenſis, quod Bohemis fatale fuit, au-
tores exſtitere) Lutetiæ 1665 editas, inter præcipua hiſtoriæ hu-
jus ſeculi inſtrumenta optimo jure reponenda cenſet. *Anna-*
85. *lium Boicorum* Adlzreitterianorum, quorum novam editionem
nuperrime editam brevi recenſebimus, verum autorem perhi-
beri teſtatur Forquevaulxium, Jeſuitam Lotharingum. Jo. Ju-
87. ſtum Winckelmannum ait, jam ab annis bene multis Annales
Haſſiacos, opus ſane ingens, moliri, quod huc usque quo mi-
nus in publicum prodierit, nihil aliud obſtiterit, quam char-
tæ majoris per hæc belli tempora inopia. Librum ſub tit.
151. *Ominoſa rerum ſeries* quondam a Venatore, Conſiliario Palatino,
ut quidam credunt, conſcriptum, resque circa capitulationem Cæ-
ſaream geſtas complexum, oppido elegantem & ingenioſum
170. vocat. Bohuslai Balbini, quem multum odio & gratiæ de-
diſſe Schurzfleiſchius crediderat, Noſter potius candorem præ-
dicat, & integrum ei fuiſſe demiratur, ea calamo ſignare, quæ
profecto verbis per jugulum redituris conſtent, eoque confer-
ri jubet, quæ Miſcell. Dec. I Lib. 5 Cap. 15 p. 614, Cap. 16
p. 619, nec non p. 620, 621, 625 & imprimis 630 liberrime ſcri-
171. pta legantur, optatque, Slavatæ Commentarios MS. & Anna-
les Keſenhüllerianos, quorum pars tantum eaque rariſſime pro-
221. ſtat, integros edi. Albinæi Hiſtoriam (*Hiſtoire du Sieur d'*
Aubigné) cum horrida libertate ſcriptam, autori ſuo nihil aliud
222. niſi exilium peperiſſe notat. Scipionem du Pleix ad Voluſia-
nos

Digitized by Google

nos ſcriptores relegat, & inſignem in ejus hiſtoriam Animadverſionum libellum, a Baſſompetra Par. 1665 editum, commendat, in quo, ut par ſit, acri lixivio perfundatur inſulſus ſcriptor. De libro rariſſimo Gabrielis Naudæi, qui ſub tit. *Le Maſcurat, ou de tout ce qui a eté imprimé contre le Cardinal Mazarin*, p. 259.
Par. 1650 in 4 absque nomine Autoris prodiit, fuſius differit, ejusque duo tantum in Germania exſtare credit exemplaria, quorum quidem alterum e Bibliotheca Carpzoviana in Wimarienſem Ducalem translatum fuiſſe novimus. Patini Epiſtolis
non ſemper tuto fidem haberi putat, quippe nimis libere ſcri- 290 ſeq.
ptis, in quibus Autor aulicis, imprimis Mazarino, quo jure quave injuria, paſſim inſultet; optat tamen Latinas quoque ejus epiſtolas typis excudi, ſtylo facili & jucundo concinnatas.
De Joſephi Ripamontii *Hiſtoria Mediolanenſi* affert Petri Pauli 437.
Boſchæ Hemidec. de orig. & ſtatu Bibl. Ambroſ. p. 7 judicium, quippe qui illum Livii & Taciti imitatione tanta ubique caſtimonia Latini ſermonis uſum fuiſſe teſtatur, ut in veteri Latio, non inter Inſubres facile natus videatur. De *Scrutinio Veneto*, qui
liber, ſi titulo credimus, Mirandulæ primum 1612 prodiit, pro- 453.
lixius agit, ejusque Autorem ab aliis ipſum Alphonſum de Cueva, Marchionem Bedemarum, ab aliis Marcum Velſerum, ab aliis denique Antonium Albizium, nobilem Florentinum haberi oſtendit. Multos quoque paſſim pſeudonymos detegit doctiſſimus Autor. Sic ſub Fabii Hercyniani nomine Jacobum Kellerum p. 97, ſub Theodoſii Berenici Matthiam Berneggerum p. 114, ſub Petri Siringi Juſtum Springerum p. 115, ſub Antonii de Bembellona Bartholomæum Gœricium p. 116, ſub Juſti Aſterii Tilemannum Stellam p. 129, ſub Erneſti de Euſebiis, vel ipſum Fabium Chiſium, vel Henricum Wagnereccium, Jeſuitam, p. 131, ſub Irenæi Eubuli Hermannum Conringium p. 132, ſub Amandi Flaviani Davidem Blondellum p. 134, ſub Theodoſii Berenici Norici Chriſtophorum Forſtnerum p. 157, ſub Petri deniq; Firmiani nomine Zachariam Liſieux, Capuccinum, p. 286 latere docet. Et ut de Anonymis quoque exemplum afferamus, libelli Epigrammatum elegantium, qui ſub *Scena Europea* nomine prodiit, Autorem eſſe Jo. Joachimum a Rusdorff, ſcriptis pro cauſa Palatina

clarum, docet p. 162. Atque illud quoque commendatione dignum, quod ſubinde, ubi Satyrica ſcripta recenſet, clavem quoque nobiscum communicat, ut Dramatum, quæ Jo. Micrælius, Theol. ſub tit. *Pomeri tragœdia*, *Parthenia & Agathander* ſcripſit, p. 163, nec non fabulæ venuſtiſſimæ, quam Jo. Franc. Lauredanus ſub t. *Dianea* edidit, quæque inſidias Ferdinando II a Wallenſteinio ſtructas delineat, p. 166, fabularum item Jo. Baptiſtæ Commirii ſub ſchematibus Æſopicis lepide conceptarum, p. 277 ſeq. fabulæ heroicæ ab Anonymo, ſed jubente Richelio, ſub t. *Europæa* repræſentatæ, p. 183 ſeq. *Lacrymarum veritatis*, quam ſatyram Barclaji imitatione, tanquam quintam Euphormionis partem Gabriel Barthol. Moriſottus compoſuit, p. 286, ſatyrarum Petri Firmiani p. 287, characterum Bruyori p. 288 & imprimis ingenioſiſſimæ in aulam Romanam ſatyræ *Eudemiæ* a Jano Nicio Erythræo conſcriptæ, p. 492 ſſ. Ipſum quoque Comicum Gallum Molerium in prologo Amphitrionis ſub Jove modernum Galliarum Regem, ſub Nocte Ducem Montauſeriam & ſub Mercurio Aignonium Ducem, & in Turtuffo Epiſcopum Auguſtodunenſem in Burgundia, hominem admodum quidem conſceleratum, ſed vultu & geſtibus tertium quendam Catonem præferentem, vivis coloribus delineatum fuiſſe teſtatur p. 285. Præterea ſpecimina quoque curioſiora ex ipſis libris nonnunquam inſpergit, ut p. 24 ex Ulrici Huberi Commentario rerum in orbe geſtarum, p. 90 ex Actis Brunſuicenſibus (Braunſchweigiſche Händel) in quibus pientiſſimum Theologum Joannem Arndium ſemel atque iterum tanquam turbarum incentorem acerbe perſtringi obſervat, p. 168 ex Thomæ Carve Itinerario, p. 322 ſq. ex Thomæ Herberti Narratione de ultimis Caroli I Regis Angliæ, p. 362 e Seldenianis, & paſſim ex aliis. Denique nec hoc tacendum, quod MSta ſubinde commendet rariora, ut Annales Noricos ab origine urbis ad A. 1643 p. 85 Chronicon Hamburgenſe, quod ad A. 1678 deductum Uratislaviæ in Bibliotheca Viri illuſtris aſſervatur. p. 88, Krumbkrügeri dubia circa privilegia Glogovienſia & alia p. 175, Chriſtophori Manlii Commentarios rerum Luſaticarum, in Bibliotheca Menckeniana exſtantes, p. 176, nec non Notitias duas Ve-

netia-

Digitized by Google

netiarum, quarum Autor eſſe fertur Marchio Bedemarus, cujus ſupra mentionem fecimus, p. 452. Sed hæc ex elegantiſſimo libro notaſſe ſufficiat.

NOVA LIBRORUM RARIORUM COLLEctio, qui vel integri inſeruntur, vel accurate recenſentur.

Faſciculus I & II, 1709, 8.

Faſciculus III, 1710, 8.

Halis Magdeburg. in officina Rengeriana,

Alph. 1 plag. 11.

INſtitutum doctiſſimi Autoris, Henrici Auguſtini Groſchupf, quod vel ex titulo operis patere arbitramur, illud eſt, ut libros rariores colligat, eosque pro argumenti, quod continent, dignitate vel integros inſerat, vel ſi moles obſtet, accurate recenſeat. In primo Faſciculo verboſiorem præfationem Cl. Autor dedit de libris rarioribus, in qua tum ipſos libros non ubique obvios enumerat, tum raritatis cauſam ſubjungit. Poſt hanc varii generis libri recenſentur, nempe *Caſparis Varrerii cenſura in Pſeudo Beroſum*, quæ Romæ olim 1565 evulgata eſt. Sane autor eleganter demonſtrat, Beroſi librum eſſe ſuppoſititium, idque plurimis ac veriſſimis argumentis evincit. Subſequitur *Holofernis Kriegſoederi* ſive, qui ſub nomine iſto latere voluit, *Gaſparis Scioppii, reſponſio ad Epiſtolam Iſaaci Cazoboni pro Gaspare Scioppio*, quæ truculenta eſt ſatyra, & horrenda Caſaubonorum flagitia exponit, Ingolſtadii primum A. 1615 emiſſa. Succedit *Franciſci Sacchini de ratione libros cum profectu legendi* opuſculum Romæ 1650 excuſum. Iſtud excipiunt *Gaſparis Scioppii Priapeia* commentariis luculentiſſimis illuſtrata, quæ quod nimis Latine loquerentur, puduit Scioppium poſtea hujus impuriſſimi fœtus & Melchiori Goldaſto tribuere eum conatus eſt. Poſt hæc prodeunt *Catulli caſta carmina* a Raphaele Eglino Iconio, miri ingenii homine, collecta & Francofurti A. 1605 edita. Et iſthæc quidem, quæ modo enumeravimus, tantum in hoc Faſciculo recenſentur: integri vero inſerti ſunt ſequentes, primum *Joachimi Camerarii Ermium*

matum Noribergæ A. 1535 evulgatum. Opus ſane perelegans ac curioſum, in quo & ſuos & aliorum errores, quos in ſcriptis paſſim obſervavit, enumerat. Integræ etiam hic apparent *Gaſparis Scioppii notæ* in Claudii Verderii cenſionem, quæ egregie hominem depectunt, eumque in Latina lingua parum verſatum eſſe arguunt. In fine adjectæ ſunt *Epiſtolæ nonnullæ a Nicolao Heinſio* ad Iſaacum Voſſium perſcriptæ & primum editæ. Continent iſtæ varia erudita, curioſa & jucunda. Videbis hic aulæ Chriſtinæ Reginæ Suecicæ ſtatum, & ardorem in literarum ſtudia quandoque remiſſiorem: animadvertes capitale Heinſii odium adverſus Salmaſium, & qui arcana quædam de uxore Salmaſiana noſſe deſiderant, non fruſtra hic inquirent; ſed nos iis recenſendis plane ſuperſedemus, hæc in Lectoris gratiam indicaſſe contenti.

Faſciculus ſecundus brevi recenſu ſiſtit nobis *Recenſionem operum hiſtoricorum Thuaneorum*, a *Johanne Petro Titio* conſcriptam editamque A. 1685. Enumerantur hic omnes Thuani editiones, quotquot in diverſis terris prodierunt, & accurata exemplorum collatione facta, diverſitas editionum egregie demonſtratur. Autor collectionis meliore ordine omnia diſpoſuit & additiones novas adjecit, qui præterea in notis erraſſe obſervat Titium, quod primam Pariſinam putat illam A. 1604 in octava forma exſcriptam, cum tamen iſta extet antiquior, eodem quidem anno Pariſiis, ſed in maxima forma evulgata. *Philalethis Polytopienſis*, autoris perſonati, Forcianæ quæſtiones, in quibus varia Italorum ingenia explicantur, Neapoli primum A. 1536 excuſæ ſunt, & hic quoque breviter enumerantur. Quibus adjungitur *Erichi Beringeri* diſcurſus de veri hiſtorici officio. Liber certe non inutilis, in quo autor ſeculi ſui hiſtoricos maxime perſtrinxit, vitiaque eorum, quibus laborant, non infeliciter detexit. Integri libri, qui accedunt, ſunt hi: nempe *Eubuli Theosdati Sarckmaſii*, ſive, ut vero nomine autorem appellemus, *Conradi Samuelis Schurtzfleiſchii* judicia de noviſſimis prudentiæ civilis ſcriptoribus. Salſa eſt ſatyra in clariſſimos ævi ſui viros emiſſa, dictio elegans, terſa & ad priſcorum Romanorum indolem efficta, multum ineſt ſalis, plurimum acrimoniæ, nec parum aculei. Perſtringit

Digitized by Google

ſtringit autem Hermannum Conringium, Johannem Henricum Bœclerum, Severinum de Monzambano, Philippum Andream Burgoldenſem, Cyriacum Lentulum, Samuelem Rachelium, Nicolaum Martini, Samuelem Puſendorffium, Johannem Theodorum Sprengerum, Joh. Fridericum Hornium, Jacobum le Bleu, Georgium Hornium, Philippum Jacobum Spenerum, W. Relfendſo Heromontanum. Adjicitur deinde *gentis Burrhorum notitia* & *monumentum Franciſco Joſepho Burrho ſacrum.* Utrumque a Joh. Friſchmanno, Regis Galliæ in urbe Argentoratenſi Reſidente, in honorem Franc. Joſ. Burrhi editum, refert Autor collectionis. In priore ſcripto gentem Burrhianam ab antiquiſſima Burrhorum Romanorum familia deducere conatus eſt, qua fide & ex quibus tabulis, non eſt noſtrum judicare: in altero nimis adulatur Burrho, tantisque laudibus ipſum invidioſe decantat, ut nihil ſupra. Qua occaſione Autor collectionis conflictum iſtum acerrimum, qui inter Bœclerum & ipſum Burrhum agitatus fuit, in notis ſubjunctis refert. *Anonymi* etiam *Germania milite deſtituta & literatis ceu mole laborans* in ſcenam producitur. Libellus iſte homini ignoto admodum, cui *Grünewaldus* nomen eſt, vindicatur, in Batavorum terris 1676 emiſſus. In fine leguntur *tres Epiſtolæ MSS. Jacobi Tollii*, quas Florentia ad Fellerum & Carpzovium, viros eruditiſſimos, transmiſit. Deprehendes hic hominem exultantem bonis ſuis, & manuſcriptis tum Græcis tum Latinis, quæ conferebat, multum inſudantem; videbis etiam virum indignantem ob bibliothecam Budenſem, de cujus præſtantia cum multus ubique ſermo fuerit, Tollius nihil eximii in ea latere, & carbones pro theſauris vendi aſſerit.

Faſciculus tertius continet primum *Johannis Baptiſtæ Galli* notationes in Thuani hiſtoriam, Ingolſtadii 16:4 editas. Jeſuita Macaldus, is enim eſt verus harum notationum auctor, graviter incuſat Thuanum, quod hæreticos (Reformatos) in opere hiſtorico pleniſſime collaudaverit. Et quamvis elevare fidem Thuani enixiſſime ſtudeat, nihil tamen profeciſſe creditur. Autor collectionis ait, hanc famoſam ſchedam ipſis etiam Pariſienſibus diſplicuiſſe & decreto curiæ igni publice traditam

 fuiſſe,

fuiſſe, idque ideo factum putat, quod Pontificis auctoritati nimium indulſerit & Reges Galliarum ſubjectos Pontificum imperio voluerit, quæ gens Gallica liberior paululum ferre non potuit. Subſequuntur *Acta & ſcripta Theologorum Würtenbergenſium* & Hieremiæ Patriarchæ Conſtantinopolitani, quæ Wittebergæ 1584 in fol. prodiere. Exponitur hic, quicquid in religionis negotio cum Græcis hodiernis actum eſt, ex quibus conſtat, Græcos non ubique cum Pontificiis ſentire, quod nonnulli evincere auſi ſunt. Monet Autor collectionis varia de iſto opere, & primum quidem, iſtud ἀνωνύμως, ſed autore Martino Cruſio, collectum & editum eſſe, deinde, mutilum eſſe literarum commercium, ſuppleri tamen poſſe ex ejusdem Cruſii Turco-Græcia, idque exemplo probat. Ad duos hos priores libros quod attinet, iſti quidem cum brevi rerum enarratione adducuntur, ſed qui ſubſequuntur libri, integri faſciculo inſerti ſunt, quorum primus eſt *Catalogus librorum MSS. Græcorum*, qui Conſtantinopoli apud Chriſtianos olim aſſervabantur. Depromptus eſt ille ex Michaelis Neandri libello Germanice edito, de ratione ſtudiorum puerilium i. e. wie ein Knabe zu unterweiſen. Obſervamus, ex iſto librorum numero, qui adducuntur, multos eſſe integros & perfectos, quos tamen ætas noſtra mutilos & truncatos habet. Aſſervatæ ſunt Conſtantinopoli omnes Libanii epiſtolæ, Menandri comœdiæ integræ XXIV, a Michaele Pſello explicatæ, Ariſtophanis comœdiæ univerſæ, Sophoclis omnia, in quæ operæ pretium eſſet inquirere. Autor collectionis in notis alium ſubjicit catalogum, ſed breviſſimum, & ex Chytræi ſtatu eccleſiarum in Græcia deſumtum. His adjungitur *Eubuli Theosd. Sarckmaſii* continuatio judiciorum de noviſſimis prudentiæ civilis ſcriptoribus, quæ ex manuſcriptis nunc primum proferuntur. Schurzfleiſchius quidem in prima cenſione continuationem hanc promiſerat, ſed cum omnium in ſe odium iſthoc invidioſo facto concitaſſet, abſtinuit libenter, nec quicquam eorum publicavit. Iſta vero nunc in manus collectoris inciderunt. Stringit autem virgulam in Joh. Loccenium. Joh. a Felde, Adamum Piſezki a Kranichsfeld, Magnum Heſenthalerum, Erneſtum Gockelium, Joh. Brandes,

Joh.

Digitized by Google

Joh. Paulum Felwingerum, J.W. Textorem, Joh. Schmidelium, Joh. Bernhard Mülzium, Nicolaum Mislerium, in Autorem mediorum pacis in imperio conſervandæ, in Autorem morientis Poloniæ, in Autorem conſilii pro redintegrando Polonorum Regno, in Auberium, autorem Reginæ chriſtianiſſimæ Jurium in Brabantiam, & Michaelem de Montaigne. Poſt hæc *Joh. Henrici Methomii* Epiſtola de Κυνοφορία ſeu canis portatione ignominioſa affertur primum Helmſtadii A. 1661 emiſſa. Quam excipit doctiſſima Diſſertatio *Jacobi Thomaſii* de Doctoribus Scholaſticis Latinis, quæ legi omnino meretur. Denique ultimo loco *excerpta* dantur *literarum* a Viris clariſſimis ad Joh. Meurſium ſcriptarum. Codex iſtarum epiſtolarum MSS. ex quo hæc depromta ſunt, extat in Bibliotheca noſtra Paulina & varia autographa Heinſii, Scaligeri, Schotti, Caſauboni & aliorum continet. Auctor collectionis, reſciſſis iis, quæ curas domeſticas exponunt, illa ſolum excerpſit, quæ meliora ſunt. Legimus hic varia philologica, hiſtorica, literaria & qui Meurſii fata noſſe cupiunt, iis Jani Rutgerſii epiſtola, quæ integra pag. 580 inſerta eſt, ſatis ſuppeditabit. Hæc ſunt, quæ in tribus Faſciculis continentur. Bene vero merebitur de Orbe erudito doctiſſimus Autor, ſi plures quoque Faſciculos pari ſelectu deinceps prodet.

L'HISTOIRE DES IMAGINATIONS EXtravagantes de Monſieur Oufle, cauſées par la lecture des Livres, qui traitent de la Magie, &c.

h. e.

HISTORIA IMAGINATIONUM EXTRAORdinariarum Dn. Ouflii, ex lectione librorum magicorum excitatarum. Tomi duo.

Pariſiis, apud Nicol. Goſſelinum & Car. Clericum, 1710, 12. Alph. 1 pl. 10 & Fig. æn. 2.

CL. Auctor anonymus eum in finem hunc librum collegiſſe videtur, ut opiniones ſuperſtitioſas de Magia, veneficiis, ſpectris, lycaonibus, apparitionibus, incantationibus, divinationibus, Aſtrologia judiciaria &c. tolleret, & quibus modis creduli facile

Digitized by Google

cile decipiantur, oſtenderet. Ut vero lectu ſit jucundior, Ouflii, hiſce rebus deditiſſimi hominis, hiſtoriam vel potius fabulam narrat, quæque is corrupta imaginatione abreptus egerit, deſcribit. Bibliothecam ejus, magicis ſimilibusque libris locupletiſſimam, recenſet Cap. II, ex quo nos repetemus, quos judicio aliquo noſter Anonymus notavit. Cornelii Agrippæ *Philoſophiam occultam* plus eruditionis, quam certitudinis præferre exiſtimat. Delancrii librum *Tableau de l' inconſtance des mauvais Anges & Demons* ideo adduxit, quod ille liber quam optime ſagarum convivium, quod Galli *Sabbat* vocant, & quale noſtri ſemel quotannis in Monte Bructero (Bloxberg) celebrari fingunt, deſcripſit. Gabrielis Naudæi Apologiam ſummorum Virorum, qui Magiæ accuſati ſunt, cum Balthaſaris Beckeri Mundo incantato conjungit, doletque, quod Ouflius ex horum lectione parum profecerit. Dæmonomaniam Bodini dicit majori ſtudio, quam judicio fuiſſe conſcriptam. Hiſtoriam Doctoris Fauſti iis etiam lectu jucundam eſſe putat, qui præſtigia non amant. Petri Maſsé librum *de l' Impoſture des Diables* divinationum & ſortilegiorum fraudes detegere, aſſerit. In Disquiſitionibus Magicis, a Delrio ſcriptis & ab Andrea Ducheſnio Gallice translatis, tam operoſe ſuperſtitiones magicas tradi cenſet, quaſi hic de re maxime creditu neceſſaria ageretur. Oracula, quæ tradunt, Magica Zoroaſtris per tot ſecula conſervata fuiſſe, admodum dubitat. Quæ Vincentius Pons de potentia & ſcientia Dæmonum commentatus eſt, rationi, æqué ut Beckeriana, maxime conſentanea putat. Secreta admirabilia aliaque Alberto Magno, falſo quidem, adjudicari, ſed a credulis in magno pretio haberi, affirmat. Enchiridion Leonis Papæ multa ſecreta, ſuperſtitioſis imprimis grata, referre judicat. Claviculæ Salomonis judicium ſubjunxit, quod Delrio L. 2 quæſt. 3 p. 98 de ea tulit: *Prætexunt etiam Salomonis auctoritatem, cujus quandam claviculam (quam egregie refutat Bap. Segnius lib. de vero ſtudio Chriſtiano c. 7) & aliud ingens volumen in ſeptem diſtinctum obtrudunt, plenum ſacrificiis & incantationibus dæmonum. Hunc librum Judæi & Arabes in Hiſpania ſuis poſteris hæreditario jure relinquebant, & per eum*

mira

Digitized by Google

mira quædam atque incredibilia operabantur. Sed quotquot inveniri potuerunt exemplaria, juſtiſſime flammis inquiſitores fidei concremarunt; & utinam ultimum exemplar nacti fuiſſent! In libro, *le Grimoire* appellato, ipſum noſter Autor Diaboli ſigillum repræſentatum ridet. Bælii opus decantatiſſimum *Pensées diverſes ſur le Comete* Noſter ideo laudat, quod multos vulgi errores tollat. Sequitur Thierſii Tractatus Gallicus de ſuperſtitione, quo, quicquid eſt ſuperſtitionum, damnandum operoſe cenſet. Fontenellii de Oraculis opus multum commendat, fruſtraque hactenus laboraſſe ait, qui ei confutando volumina paulo grandiora, Græcorum Latinorumque ſcriptorum allegatis referta, conſcripſerit. Sed ut omittamus reliquos hujus generis, quos magno numero hic collectos legimus, libros, progrediamur ad geſta, quæ haud dubie finguntur, Ouflii, ab Auctore noſtro ſtilo ſatis jucundo deſcripta. Primo loco de Lycaonibus, quos Galli *Loups garoux* & Germani Bärwölfe appellare ſolent, acturus, Ouflium ab infantia opinione vulgi de illis imbutum, & lectione librorum ſuperſtitioſorum confirmatum fuiſſe, fingit. Quam quidem hominis in lupum transformationem Noſter in Notis, quas narrationi ſubjecit, ex ea cauſa refutat, quod neque anima, neque corpus ejusmodi metamorphoſin patiatur. Non anima, ſic enim foret mortalis; neque corpus, quia anima humana in nullo alio corpore habitare poſſit. Noſter vero Ouflius omnibus de transformatione corporum fabulis fidem adhibens, nec quicquam emendatus, ſi apud auctores legeret, tale quid vel turbatæ imaginationi, quem morbum Lycanthropiam Medici appellant, vel fraudibus hominum, aliis terrorem incutientium, tribuendum eſſe, firmiter ſibi perſvaſerat, mercatorem quendam in ranam (v. Delrio Disquiſit. Mag. p. 124) alium quempiam in caſtorem, alium in aſinum (v. Dæmonom. Bodini p. 199) transformatum eſſe. Ex quo tandem factum, ut ipſe Ouflius ſe in lupum repente mutatum crederet. Nam ut Lectori, qualia hic quærenda ſint, pateat, fingitur Ouflius, cum aliquando vinum ſolito largius hauſiſſet, e lecto, cum ſomnum capere non poſſet, ſurrexiſſe, & forte in ædibus deambulans larvam ex urſi pelle

p. 29. p. 31. p. 35. p. 39. ſqq.

conſutam, qua filius ejus in Bachanalibus uti ſueverat, conſpexiſſe, qua induta uxori terrorem incutere decernit, quod hæc narrationibus ſuis de hominum transformationibus fidem ſæpius denegaſſet. Sed cum ſervam cum uxore colloquentem audiret, cameram ſuam repetit, ſervæ abitum expectaturus. Interea in libro quodam de metamorphoſi hominum legens, obdormiſcit. Serva vero forte ante ejus januam vaſculo quodam projecto ſtrepitum excitat, quo hic expergefactus atque urſi pelle ſe indutum cernens, nec, unde hoc factum, ſatis recordatus, mox ſe in urſum transformatum eſſe credit, inque plateam procurrit, & ululatu ſuo multos tranſeuntes terret. Tandem eum filius ex convivio redux in platea offendit, patrem agnoſcit, eumque in curru, quo vehebatur, domum reducit, omnem adhibens operam, ne factum ridiculum emanaret. Cap. VII & ſeq. narrat Noſter, quibus mediis magicis Ouflius fidem conjugis, quæ illi nulla juſta cauſa ſuſpecta erat, explorare voluerit. Miſſis aliis, unicum ſubnectemus. Legerat Ouflius in Thierſii tractatu de ſuperſtitione T. I p. 210, quod, ſi quis velit experiri, quæ inter tres fœminas præcipuo erga ipſum amore flagraret, tres capere debeat carduos, ſpiniſque amputatis nomina fœminarum ſchedulis inſcripta alligare ſingulis, eosque nocte ſub ſuo cervicali reponere: eam enim, cujus carduus novas ſpinas emittet, vehementius amare. Noſter itaque præter alias duas fœminas, quarum nomina reliquis carduis inſcripſerat, tertium nomine conjugis notaverat, & ſub capite repoſuerat. Paulo poſt, illo dormiente, conjux quoque lectum petens, e libro, quem in menſa apertum videt, hoc remedium magicum cognoſcit, & ſub cervicali carduos repoſitos inquirens reperit. Ut itaque ſuperſtitionem eam marito exprobraret, alios quærit carduos, illosque, nominibus Michaelis, Gabrielis, & Beelzebubi additis, ſpiniſque in Beelzebubi carduo relictis, in locum priorum reponit. Maritus ſomno ſolutus mirabatur, ſe a Beelzebubo maxime amari; ſed ſequenti nocte idem experimentum repetebat, unde uxor ſubſtituto iterum carduo alio, ſuo nomine notato & aculeato, mariti ſuperſtitione pulcre fruebatur. Eodem modo Cl. Auctor de philtris, de appari-

paritionibus ſpectrorum, de Planetarum, ſignorum cœleſtium, cometarum, & Eclipſium influxu, de prædictionibus Aſtrologorum, de amuletorum virtutibus, reliquisque Aſtrologiæ judiciariæ chimeris, loquitur. In Tomo quoque ſecundo ſuperſtitioſorum opiniones de Diabolo ejusque ſociis, ſub forma canum, porcorum, muſcarum, papilionum apparentibus, refert & eleganter refutat, & magicis artibus tum diteſcendi, tum occulta cognoſcendi, aut incantandi deſtructis, tandem conventum veneficorum, Gallis *Sabbat* appellatum, prolixe deſcribit, & æri inciſum Lectorum oculis ſubjicit.

CHRISTIANI JUNCKERI, HISTORIOGRAPHI Ducalis Saxo-Hennebergici, Commentarius de Vita ſcriptisque ac meritis illuſtris Viri JOBI LUDOLFI, Conſiliarii quondam Sereniſſimorum Saxoniæ Ducum intimi.

Lipſiæ & Francofurti, apud Jo. Frid. Braun, 1710, 8.
Pl. 16.

UNdecim ſunt anni, ex quo Nobiliſſimus Commentarii hujus Scriptor D. Lutheri noſtri Vitam, nummis illuſtratam compluribus, ornatamque aliquot inſuper imaginibus, luci dedit publicæ, quam variis deinde acceſſionibus amplificatam Germanico etiam idiomate prodire juſſit. Nunc idem Politici Ordinis Viri, Jobi videlicet Ludolfi, Vitam ſimili orationis filo exponendam ſibi ſumſit, & ut meritorum iſta copia atque curioſiſſimarum rerum varietate ab aliis diſtingvitur, ita ſtilo eam venuſto admodum & terſo, cujus artifex imprimis peritus Noſter eſt, deſcripſit. Floruit Jobus Ludolfus, Erfurti A. 1624 natus, per integrum ſemiſeculum, & quod excurrit, multarum rerum vaſta ſcientia, & notitia maxime linguarum, quarum, ſupra vernaculam, xxv fertur calluiſſe. Has inter Habeſſinorum utrique, tum antiquæ illi Æthiopicæ, tum Amharicæ quoque, quæ vernacula Regis & caſtrorum regiorum eſt, jam inde a vigeſimo ætatis anno ſtudium dicaverat indefeſſum; cumque Gregorium Habeſſinum in Italia commorantem

tem familiarius cœpiſſet noſſe, ipſique in Germaniam accito beneficam D. Erneſti Saxoniæ Ducis voluntatem conciliaſſet, (in cujus aula Gothana per menſes aliquot Gregorius ſubſtitit, & Ludolfum mores gentis ſuæ & conſuetudines, inſuperque linguæ omnem rationem edocuit) ea præſtitit deinceps unus in Europa in Æthiopum explicandis rebus & ſermone, quæ obſtupeſceret literatus orbis, poſterique nunquam non mirabuntur. Enimvero Grammaticam non modo Amharicæ linguæ & Lexicon etiam Amharico-Latinum ſed ſeparatim inſuper Æthiopicæ Linguæ Grammaticam, itemque Lexicon Æthiopico-Latinum, cuius rudimenta a nemine adjutus ſola ingenii ſui ſagacitate obſtetricante ex Potkenii Pſalterio juvenis admodum hauſerat, tum & Hiſtoriam Æthiopicam, quem librum in linguas, Anglicam, Gallicam, Belgicam & Moſcoviticam transferri contigit, atque Commentarium tandem ad ipſam illam Hiſtoriam, exquiſitam ubivis eruditionem ſuam prodens, evulgavit. Ad hæc peregrinationes plurimas ad exteros ſuſcepit, & in his non ſolum Belgium luſtravit, ſed Galliam etiam tribus adiit vicibus, & omnem pene, qua patet, peragravit; tum & Britanniam ad breve ſalutavit tempus, atque in Italiam conceſſit quoque, Chriſtinæ Suecorum Reginæ mandato Romæ commoratus, ut quæ documenta Jo. Magnus e Suecia Romam ſecum tulerat, e quibus Chronicon deinde de Sueciæ Regibus confecit, inveſtigaret; tandemque in Suecia aliquantum hæſit, domumque rediturus per Daniam tranſiit, ingenii ſui opes adaugendi nactus ubique occaſionem, verſatusque cum Viris in aulis juxta atque literaria republica ſpectatiſſimis, e quorum amicitia ſermonibusque fructus tulit longe uberrimos. Idem vero Ludolfus munerum etiam innotuit amplitudine, & Legationi a Duce Saxoniæ Erneſto Ratisbonam miſſæ ad comitia a ſecretis primum, & deinde filiorum ipſius Ephorus fuit; mox in Conſiliariorum aulicorum numerum receptus, Alberto Erneſti filio in itinere verſus Arctoum ſuſcepto Orbem comes ivit, & mortuo Erneſto a ſucceſſore Friderico redituum Principatus Altenburgici curam juſſus eſt agere, Ca-

meræ

meræ Directoris titulo mactatus, qvem deinde, cum A. 1677 otii quietisqve deſiderio miſſionem petiiſſet, cum illa Saxoniæ Ducum intimi Conſiliarii appellatione commutari contigit, ſicut & Palatino Electori Carolo conſiliis ſuis adfuit ab eodem Cameræ Directoris inſignitus dignitate, & Francofurti, ubi A. 1704 ſuum obiit diem, Saxoniæ Electorum D. Jo. Georgii III & IV negotia Reſidentis nomine curavit, Præſesqve idem Collegii Imperialis Hiſtorici, qvod ſub finem ſeculi ſuperioris celebrari cœpit, fuit nuncupatus. Hæc omnia dum e Commentariis maxime, in qvos ipſe Ludolfus de vita & peregrinationibus ſuis potiſſima congeſſerat, Clariſſ. Junckerus accurato ſtudio deſcribit, ſcitu digniſſima varia vel ad ipſam Illuſtris Viri vitæ conſvetudinem ſpectantia, vel ab eodem etiam obſervata, paſſim inſpergit. Inter alia hoc refert, qvod Ludolfus Muſicæ artis adeo fuerit peritus, ut & cithara atqve teſtudine fidibusqve & tibia tubaqve cecinerit; ab eodem vero Samuelem Bochartum, magnum inter doctos Galliæ Viros nomen, jam qvinqvagenarium lingvam Æthiopicam haud puduerit diſcere. Inſuper fodinas Sueciæ metallicas ad oppidum, qvod a cupro nomen habet, a nemine adhuc dum delineatas, e ſchedulis Ludolfi Noſter deſcribit; atqve Gerhardi etiam a Danckelman literas ad Ludolfum Latino ſermone elegantiſſime exaratas laudat. Alibi hunc a Barone de Helwig, celebri ex artis Chymicæ ſcientia, audiviſſe ſcribit, verum principium & materiam primam Chymiæ huius & totius arcani in hoc latere anagrammate: *Vis aliena teſſa* i. e. *eſſentia ſalivæ*; & Scholæ Latinitatis, qvæ auſpiciis Erneſti Ducis in uſum ludorum literariorum exiit, ipſum eſſe Ludolfum autorem, qvicqvid videatur aliis, qvi eundem vel Bœclero, vel Seckendorfio etiam, aut Andreæ Reihero, Scholæ Gothanæ tum Rectori, adſcribunt. Adjecit excerpta ex Epiſtolis nonnullis ſummorum Virorum manu ad Jobum Ludolfum exaratis, in qvarum una Chriſtoph. Arnoldus Interpretem Latinum, qvi Eduardi Brerewodii Scrutinium religionum transtulit, notat, qvod novem integra capita, qvæ decimum qvartum antecedunt, nec non caput ultimum, una cum duplici præfatione doctiſſima turpiter omiſerit. In

alia Allardus Uchtmannus, Profeſſor Lugdunenſis apud Batavos, queritur, Ebræa & Syriaca negligi jam in iſta Academia, & Arabicam Profeſſionem a morte Jacobi Golii octennium plane ceſſare, nullo doctore vel ſucceſſore, nullis quoque auditoribus, qui illi ſeſe ſtudio addicant. Alibi Nicolaus Witſius in Tartariæ & Siberiæ tabulis Geographicis ſudare ſe memorat, in qvarum confiniis ipſe juvenis ſit peregrinatus; Melchior vero Leideckerus peſtem in Java majore adeo ignotam eſſe, ut, quo exprimant illam, vix nomen habeant, & inter Promontorii Bonæ Spei incolas nunquam variolos vel morbillos viſos eſſe, teſtatur, & quæ ſunt alia. Tandem collectio quædam vocabulorum Hottentotticorum ſub calcem libri comparet, quam idem Nobiliſſ. Amſtelodamenſium Conſul Nicol. Witſius ad Ludolfum curaverat perferendam, ut conſtet nimirum, fari etiam ſcire iſtos barbaros homines, atque falſa eſſe adeo, quæ de ſono quodam incondito, quo deſideria ſua interpretentur, itemque quod omni Numinis alicujus notitia deſtituantur prorſus, quidam ſibi paſſi ſunt perſuaderi. Vocabula illa Belgicam verſionem ad latus poſitam habent, cui Latinam ſuam Junckerus in eorum adjecit gratiam, qui Belgicæ non ſatis gnari ſunt.

JOANNIS HENRICI ACKERI METHODUS ſcribendarum Epiſtolarum, ad fontes purioris Latii confirmata & continuis exemplis illuſtrata.

Rudolſtadii, ſumtu Jo. Martini Golneri, 1710, 8.
Plag. 14.

NObiliſſimus atque doctiſſimus Autor contra aliorum inſtituta & præcepta methodo naturæ incedit, orditurque ab elocutionis doctrina, fundamento totius eloquentiæ. Hic vero imprimis urget ſcribendi rationem erudito Latio probatam & conſuetam, exemplo præceptorum ſuorum, Ge. Schubarti, Chr. Cellarii, & Jo. Philippi Schlevogti, quorum erga ſe merita grato ubique effert præconio. Quando vero puritas non tam in verbis ſingulis, quam in conjunctis & periodis imprimis

primis

primis cernitur, ad hanc ſe convertit, partiturque ita, ut 1 definitionem, 2 originem, 3 partes, 4 diviſionem, 5 imitandi rationem tractet, & quidem eam, qua numerus, quem Sturmius artificioſum dictionis ſonum nominat, facillime acquiri poſſit. Quibus addit fontes elocutionis, & Ciceronianos imprimis laudat, legendique rationem monſtrat. In doctrina inventionis, quæ ſequitur, diſtinctione in argumenta inartificialia & artificialia facta oſtendit, quomodi λόγοι, ἤθη, πάθη proponi debeant. Λόγȣς non tam ex locis dialecticis, quam ex intima rerum natura deducendos putat. Ηθη in prudentiæ, probitatis & benevolentiæ demonſtratione conſiſtere, omnibusque hoc moratæ ſcriptionis ſtudium neceſſarium, imprimis vero advocatis, libellos vel controverſiarum commentarios confecturis; neque abduci debere ab hac cura odio nominis Scholaſtici, cum & ipſi legum decretis ſcholaſtici appellentur. Commendat in hanc rem Ariſtotelem, Horatium, Scaligerum, Theophraſtum, Bruyerium, qui de moribus ſcripſerunt; ex iis vero, qui ſcribendo expreſſerunt, Ciceronem & Virgilium, probatum politiſſimo viro J. Guilielmo Bergero in Virgilio Oratore. Affectus excitaturis commendat primum Morhofii vias, deinde Horatianæ artis præceptum, tandem exempla affectuum in bonæ notæ ſcriptoribus imitari ſuadet, & exemplum ex Cicerone ſubjicit. Quod ad diſpoſitionem attinet, diſtinguit familiares a gravioribus, atque illis libertatem relinquit, in his vero exquiſitiorem cultum poſcit, triplicique methodo tales formari ait. Frequentiſſimam eſſe Balbinianam, quæ in veriſimilibus literarum humaniorum traditur, ubi præcedunt verba humanitatis plena, ſequitur ſcopus una cum argumentis & clauſula. Secundam, explicare theſin, a qua ad hypotheſin & clauſulam deferamur, quam elegantiſſimo exemplo illuſtrat, quod Jo. Ge. Grævius, Belgii ex ſuperiore Germania decus, in epiſtola ad Carolum Sanctamaurium Ducem Montoſerium dedit, cui Caſelianam Epiſtolam ſimili ordine ſcriptam jungit. Tertiam methodum, Poetarum propriam, exemplo Ovidii illuſtrat, & ſequenti mox epiſtola imitatur. His præmiſſis ad varia epiſtolarum genera

 pro-

Digitized by Google

progreditur, reprehendens, qui multiplicant præter neceſſitatem in unam ſpeciem concludenda, vel epiſtolas etiam docent, quæ doceri nunquam poſſunt, ſed vel ab affectu vel natura pendent. Præceptis ubique exempla miſcet, unde lux affulgere poſſit clarior hujus ſtudii cultoribus. Finit opuſculum triga epiſtolarum Celeb. Jo. Philippi Schlevogtii, quibus is Cl. Autori de ſparta in Lyceo Rudolſtadienſi oblata gratulatus, uberiores, quos meretur, ſtudiorum elegantiſſimorum fructus apprecatur.

LA DECOUVERTE ENTIERE DE LA VILle d' Antre en Franche-Comté &c.

i. e.

HISTORIA PLENE DETECTÆ CIVITATIS Antrenſis in Comitatu Burgundiæ. Partes duæ.

Amſtelodami, apud Thomam Lombraille, 1709, 12, ch. aug. Conſtat 22 plag.

JAm ſub finem ſuperioris ſeculi innotuerunt rudera antiquæ cujusdam & ſplendidiſſimæ quondam urbis, in Comitatu Burgundiæ ad lacum Antrenſem prope fines Helvetiorum detecta. In his cum Viri quidam eruditi vetus *Avanticum*, cujus Notitia Imperii Occidentalis, Ptolemæus & alii ſcriptores antiqui inter quinque palmarias Sequanorum civitates mentionem faciunt, ſibi deprehendiſſe viderentur, non defuerunt, qui publicis ſcriptis non modo hanc ſententiam rejicerent, verum etiam, ullam in iis locis urbem olim floruiſſe, negarent. Qua de cauſa Autor noſter anonymus, re diligentius explorata, & ruderibus ipſis perluſtratis, præſenti libro, in quinque diſſertationes diviſo, veritatem ejus ex inſtituto ſibi confirmandam ſumpſit.

Diſſertatio I, urbem quandam florentiſſimam ad lacum Antrenſem ſitam fuiſſe, plurimis argumentis probat, quæ potiſſimum petuntur 1 a veſtigiis munimentorum, templorum, balneorum, aquæductuum, theatri, amphitheatri, aliorumque ædificiorum publicorum pariter ac privatorum, quorum præſtantia & amplitudo non vulgaris aut mediocris urbis indicia præbent.

Digitized by Google

bent. 2 A plurimis nummis Imperatorum Romanorum aureis, argenteis & æneis eo loco repertis. 3 A ſtatuarum, inſcriptionum aliorumque monimentorum fragmentis ibidem deprehenſis. 4 Ab auctoritate magnorum doctorumque Virorum, qui hæc omnia oculis uſurparunt, & pro haud dubiis urbis cujusdam antiquæ reliquiis agnoverunt. In his præcipuo loco merito numeratur ipſe Comitatus Burgundiæ Præſes, Dominus de Vaubourg, qui A. 1698 foſſoribus publico Regis juſſu ſumtuque adhibitis, accuratius in rei veritatem inquiſivit, totiusque urbis ſitum, qualis olim fuiſſe colligitur, in tabula delineatum Ludovico XIV obtulit, quin & publico mandato cavit, ne quis amplius lapides & marmora adhuc reſidua dirueret vel auferret. 5 A refutatione omnium objectionum pro contraria ſententia allatarum.

Diſſertatio II, urbem hanc Antrenſem non aliam, quam Avanticum fuiſſe, ex ſitu potiſſimum terreſtri ac cœleſti, quem Ptolemæus huic tribuit, cum illius loco ſituque collato ſatis evidenter demonſtrat, rejecto ac fuſe confutato vulgari illo & communi fere omnium Geographorum errore, quo Avanticum Sequanorum in Helvetiis ac ſpeciatim in pago Bernenſi ponitur. Hujus enim urbem, Gallis *Avanche*, & Latine vulgo Avanticum dictam, vero nomine olim *Forum Tiberii* vocatam fuiſſe, demonſtrat. Verum autem Avanticum non modo primariam quandam Sequanorum civitatem, ſed & unam e ſex illis, quas ſolas in Occidente jus cudendæ monetæ habuiſſe, docet *Notitia Imperii Occid. Cap. 37 de procurat. moneta*, ac præterea propriam ſummi Druidum ſacerdotis ſedem fuiſſe, conjecturis quibusdam ductus opinatur, ex qua, velut communi oraculo tota fere Gallia reſponſa petierit. Ceterum urbs iſta, cum auſpicio Veſpaſiani & Titi Impp. præcipue per mineras auri, ob quas etiam *Avanticum Elvitiorum* dicebatut, ad ſummum florem faſtigiumque aſcendiſſet, Seculo V per Hunnorum ac Vandalorum incurſiones diruta ac vaſtata & ſequentibus deinde ſeculis rudibus ac literarum, in illis præſertim locis, fere expertibus in oblivionem deducta eſt.

Diſſert. IV errores ab adverſariis admiſſos ob oculos ponit.

Diſſertatio V utilitatem detectæ hujus antiquitatis in hiſtoria Comitatus Burgundiæ Civili & Eccleſiaſtica oſtendit, Notitiam Imperii Occidentalis huc ſpectantem emendat, & ſingularum urbium & caſtellorum, quæ in ea ad veterem Sequanorum provinciam referuntur, locum accuratius inveſtigat. Ita v. g. *Didatium* in urbe Dola, *civitatem Equeſtrium* non Neviduni (Gall. Nyon) ad lacum Lemanum, ut inſcriptio quidem portæ cuidam hujus urbis impoſita, ex communi errore, falſo jactat, ſed haud procul Polinio, *Auguſtam Rauracorum* non Baſileæ, ſed in loco hodiernæ Manduræ (Gall. Mandeurre) item *caſtrum Argentariense* in Monte peſſulano, *caſtellum Rauracenſe* Baſileæ, *caſtellum Virodunenſe* Virduni quærenda eſſe docet, & contrarias opiniones pariter ac objectiones fuſe refellit.

HISTOIRE DE SCANDERBEG ROY D'ALbanie.

i. e.

HISTORIA SCANDERBEGI REGIS ALBANIÆ; Autore DU PONCET, S. J.

Pariſiis, apud Jo. Mariettum, 1709, 12.

Conſt. 1 Alph. 2 plag.

Res geſtas fortiſſimi Albaniæ & Epiri Principis, Georgii Caſtriotæ, cognomine Scanderbegi, ſeculo XV plurimis Turcarum cladibus nobilitati, primus omnium & ſolus fere inter ſcriptores evacuos literis mandavit *Marinus Barletius*, Scodra, Albaniæ oppido oriundus, qui, ſe ipſum, antequam muneri Eccleſiaſtico admoveretur, expeditionibus Turcicis eo tempore ſuſceptis interfuiſſe, teſtatur. Hujus ergo fidem atque auctoritatem reliqui omnes in hoc argumento ſecuti ſunt. Ac præter ceteros quidem *Jacobus de Lavardin* libros ejus jam A. 1597 Gallice vertit, ſemel iterumque deinceps recuſos. Sed cum Noſter in illis præter veterem ac abſoletam dialectum, nimis longas digreſſiones, crebras orationes militares & invectivas aliaque multa deprehenderet, quæ lectori tædium aut remoram afferre poſſent, his partim neglectis, partim in compendium miſſis, partim in commodiorem ordinem redactis, omnia elegantiori ſermone ac

ratione

ratione ad præſentis ſeculi genium accommodata expoſuit, atque adeo Barletii laboribus velut commentariis uſus eſt ad juſtam Scanderbegi hiſtoriam conficiendam. Interim tamen nihil eorum, quæ ad rem ipſam pertinere videbantur, omiſit, quin minimas interdum circumſtantias, interiores conſiliorum rationes, & quæcunque inſtitutum hoc ornare, aut laudes tanti herois illuſtrare poterant, a prima juventute usque ad mortem ejus continua ſerie diligentiſſime perſecutus eſt.

Longum & ſupervacaneum foret, quæ ſingulis Libris continentur, fuſius recenſere. Unum atque alterum ex potioribus momentis, quæ in illis occurrunt, quaſi exempli loco attuliſſe ſuffecerit. Libro I p. 99 ſeqq. famoſa illa Ungarorum clades Varnenſis & cauſæ ejus ob oculos ponuntur. Lib. III p. 224 ſqq. memorabilis eſt pernicoſa ſuperſtitio militum Dibrienſium, profeſſione Chriſtianorum, ſed variis erroribus, præſertim Manichæis infectorum, omnibus, quæ cadaveribus tacta fuerant, adeo pertinaciter abſtinentium, ut, poſt canem a proditore quodam in puteum urbis Sfetigardenſis, quam diu fortiter adverſus Turcarum inſultus defenderant, injectum, nulla alia de cauſa præfectum ad deditionem compellerent, quam ne aquæ illius potu inquinarentur. Lib. IV p. 347 funeſta obſidio & expugnatio CPlis prolixe deſcribitur. Pag. 304, Mahometem II, urbis hujus expugnatorem, olim fundamenta religionis Chriſtianæ a matre ſua, Principis Serviæ filia, Amarathis II uxore hauſiſſe, quin & formulas precationum Chriſtianarum didiciſſe, memoratur. Interim tamen p. 301 fabulis annumeratur, quod vulgo tradunt, eum vero Mahometi, Amurathis filio, inter alios captivos Romam abducto, & cura Nicolai V P.R. Sacris Chriſti initiato ſuppoſitum fuiſſe. In medio ceteroquin p. 303 relinquit, utrum pro Mahometis hujus fratre agnoſcendus ſit, qui pro eo ab ipſo Callixto III P. R. baptizatus, deinde in aula Friderici III Imp. ſplendide habitus & honoribus tali Principe dignis affectus eſt.

NOVA LITERARIA.

ROmæ Franciſcus Blanchini, Veronenſis, qui & Hiſtoriam ſacram utriusque Teſtamenti e marmoribus & numiſmatibus deſcripſit, nunc in eo eſt, ut Hiſtoriæ Univerſalis (*La Iſtoria univer-*

verſale) cujus Tomum I, A. 1697 editum, in Actis A. 1698 p. 91 recenſuimus, ſecundum Tomum, quem pariter antiquis monimentis & ſymbolis illuſtravit, prelo propediem ſubjiciat. Neque minus Dominicus Bernini Hiſtoriæ omnium Hæreſium (*Hiſtoria di tutte l' Hereſie*) cujus priorem Tomum, A. 1705 vulgatum, ad Acta A. 1708 p. 495 retulimus, Tomum ſecundum prelo paratum habet. Joannes Maria Lanciſius, intimus Cubicularius & Archiater Pontificius, Medicus & Philoſophus inſignis, opus egregium molitur de aere urbis Romæ ejusque in corpora operatione diverſa, cui mox ultimam imponet manum. Celeb. Juſtus Fontanini Annales Aquilejenſes parat, novamque de ſupremo Apoſtolicæ ſedis Dominio in urbem Comitatumque Comachium exercitationem abſolvit.

In Belgio Jo. Clericus Commentarium ſuum in Pentateuchum multis modis emendatum atque auctum prelo denuo ſubjecit, proxime menſe Auguſto vulgandum: idemque Pauli Oroſii Opera cum MSptis collata Notisque illuſtrata edere parat. Hadrianus Relandus Loca Geographica Joſephi juſto Commentario illuſtrare conſtituit. Melchior Leydeckerus opus ſatis prolixum ſub tit. *De vario Statu Reip. Hebræorum a Captivitate Aſſyriaco-Babylonica usque ad Chriſti tempora* jam pridem prelo abſolvit, ſed neſcimus quo malo vel typographi vel librarii fato hactenus nondum vulgatum: eſt vero pars altera majoris operis, quod de Hebræorum ſtatu a condita eorum Republica ad noſtra usque tempora dudum molitus eſt, cujus & Partem primam ante complures annos edidit. Promittit vero nunc etiam Partem tertiam, qua Hiſtoriam Hebræorum a C. N. ad noſtra usque tempora complectetur. Philippi a Limborch Commentarius Theologicus in Acta Apoſtolorum & Epiſtolas ad Romanos & Hebræos jam ultra dimidiam ſui partem prelo fertur abſolutus. Cl. Hemſterhuyſius in edendis Jamblichi Orationibus Protrepticis totus occupatur, quibus & ejusdem Librum IV de vita Pythagoræ addere conſtituit, ſi Codicis MS. qui in Anglia aſſervatur, copiam impetrare valeat.

ERRATA MENSIS MAJI.

Pag. 167 lin. 25 pro *prætuliſſe* lege *præteriiſſe*: lin. 27 pro *haberemus* lege *non haberemus*: pag. 170 lin. 12 pro *Hic* lege *Hinc*.

* * *

Digitized by Google

ACTA ERUDITORUM,

publicata Lipſiæ

Calendis Julii, Anno MDCC X.

JOHANNIS MABILLONII LIBRI VI DE RE Diplomatica; editio ſecunda ab ipſo Autore recognita, emendata & aucta.

Lutetiæ Pariſ. ſumptibus Caroli Robuſtel, 1709, fol.ch. Reg. Alph. 9 plag. 2 cum figg. æn. plurimis.

EN novam hanc nitidiſſimam, jam a multis abhinc annis promiſſam, & ſummopere expetitam Mabillonii de Re Diplomatica editionem. Cui operi ſupplendo aut emendando nemo forte par videri poterat, quam ipſe Celeb. Autor, qui, qua erat mentis ſagacitate & ſtupenda induſtria, ſe ipſum in hoc genere ſuperavit. Sane enim cum liber incomparabilis anno MDCLXXXII in forma auguſta primum prodiret, qui anno etiam ſubſequenti in Actis noſtris pag. 126 recenſitus fuit, magno Eruditorum plauſu, ob ſingularis argumenti dignitatem, quod continet, exceptus eſt. Nec minori in pretio habitum fuit *Supplementum*, quod anno MDCCIV Pariſiis evulgatum & in Actis itidem ad annum MDCCVI pag. 358 cum brevi rerum enumeratione adductum eſt. Iſthæc eruditionis pars, quæ doctrinam diplomaticam complectitur, quamvis jam docte elaborata, lucidiſſimeque expoſita & ad ſummum pene faſtigium evecta videretur plurimis, eo tamen non contentus Vir immortalis memoriæ Mabillonius, ad majora animum intendit, & opus quotidie lambendo perfectius nobis edere annitebatur. Notum eſt, qua fide, cura, circumſpectione verſatus fuerit in contexendo hoc opere, quam nullum exhorruerit laborem in perſcrutandis, conferendis & examinandis ve-

Digitized by Google

terum chartis ac diplomatibus. Sed nihilominus multa ſunt, quæ iſto tempore Virum ſolertiſſimum effugerunt, neque pauca, quæ ut dubia & incerta relinquere certioribus monimentis deſtitutus cogebatur. Jam longa dies, jam ætas, jam ratio, jam uſus frequentior, jam repetita monimentorum veterum inſpectio & major diplomatum apparatus, quæ ſubinde ex manuſcriptis cum cœtu litterario communicantur, additionibus novis vel etiam emendationibus occaſionem facile ſuppeditant. Et in tam vaſto doctrinæ genere, tam recondito & intricato maxime ſtudio, quis auſit ſibi polliceri, quo minus, etiam cum ſe attentum maxime & cautum putet, vel invitus non erret? Sed ad aliena delabimur, qui iſtud agere intendimus, ut, quibus modis hæc poſtrema editio priori præſtet, collatis utrinque exemplis Lectori demonſtremus. Ex ipſa vero nova Præfatione huic editioni a doctiſſimo *Theoderico Ruinarto* præmiſſa intelligimus, Autorem in medio quaſi laborum curſu defatigatum, cum opus nondum abſolutum adhuc ſub prelo eſſet, fatis deceſſiſſe, id quod merito dolendum eſt, cum præter ea, quæ hic vel emendata vel aucta leguntur, & alia multa præmeditatus fuerit. Inprimis hac nova editione duo ſibi propoſuerat Mabillonius, nempe novam præfationem operi præmittendam, in qua de V. C. *Georgii Hickeſii* Theſauro Linguarum Septentrionalium nonnihil ediſſerturus erat, tum & appendicem novam, aliquot vetera monimentorum rudera continentem, in fine adjicere meditabatur. Ille itaque morte immatura præreptus, cum neutrum exequi potuerit, Vir doctiſſimus *Theodericus Ruinartus*, quem modo diximus, illud muneris in ſe ſuſcepit, & non ſolum operi addidit Præfationem, ſed & appendicem aliquas vetuſtatis reliquias ſiſtentem, tum ſuo, tum Mabillonii ſtudio collectam, adjecit. Præfatio maximam partem contra Hickeſium directa eſt, qui quamvis opus Mabillonii collaudet, ac multum commendet, ait tamen Ruinartus, eum non tam ſequi Mabillonium, ut non interdum diſſentiat. Obſervat præterea Ruinartus, regulas vera a falſis diſcernendi, a Mabillonio conſtitutas, tales videri Hickeſio, ut illis abuti non minus, quam uti æque facile ſit, adeo ut

niſi

Digitized by Google

niſi recte intelligantur, chartæ etiam falſiſſimæ earum opera facile excuſari poſſint. Cui ſententiæ doctiſſimus Ruinartus ſe opponit, & Mabillonii regulas vel minus recte perceptas vel ſecus explicatas fuiſſe docet. Hactenus de Præfatione. Quod ad ipſum novum opus attinet, hæc ſecunda editio numero paginarum reſpondet pene per omnia cum prioris editionis exemplo, ſed ſubinde additis nonnullis, demptis, aut etiam immutatis. Has vero curas per omnes libros licebit obſervare, cujus rei ut exempla Lectori repræſentemus, placet nobis auſpicari ab ultimo, hoc eſt, ſexto Libro, ubi & diplomata, chartæ aliaque vetera inſtrumenta ex tabulis producuntur & notis a Mabillonio illuſtrantur. Idque tanto libentius facimus, quod obſervamus Libro ſexto frequentiores acceſſiſſe obſervationes, multaque incerta vel confirmata, vel refutata, obſcura elucidata, & quæ minus recte ex apographis vel ipſis etiam authenticis excepta erant, accurata reviſione reſtituta & correcta eſſe. Sic Num. VIII prioris editionis in Notis dicit Mabillonius *Chrodecarium* fuiſſe *Corbejenſem Abbatem:* ſed in nova editione mentem mutavit, *non videtur*, inquit, *fuiſſe Corbejenſis Chrodecarius ſeu Rotgarius dictus, cui Theodefridus Abbas, factus Epiſcopus, Abbatiam reſignavit, probante Theoderico Rege adeoque poſt mortem Chlotharii, ut Theodericus ipſe teſtatur in literis, quibus Eremberti Chrodecarii ſucceſſoris electionem confirmavit. Forte is eſt Grotcarius Abbas beatæ Mariæ ad Ligerim, de quo infra pag. 478 in charta Agiradi Epiſcopi Carnutenſis.* Num. XIV in adducto diplomate pro *Landoinus corpore*, quod prima habet editio, legendum eſſe *Vando in corpore* ex accuratiori inſpectione monet Autor; hinc & errorem corrigit in Notis, qui ex hoc loco duas ſibi *Fontanellas* monaſteria, unum *Landoini*, alterum *Wandregiſili*, ex hac corrupta lectione confinxerat; docet enim nos Mabillonius, *Fontanellam* monaſterium eſſe *Wandregiſili* in pago *Caletenſi*, qui *Vando* ſeu *Wando* alio nomine vocetur. Num. XVIII veteris editionis editur *Chlodovæi placitum*, ubi ſubſcriptio diplomatis ſic habet: *Chlodovius Rex ſuſcripſit*; ſed mendoſam lectionem eſſe monet Autor, & pro iſtis reponendum: *Chlodoinus recognovit.*

p. 469. 472. 473. 504.

p. 504. Num. LVIII veteris editionis refert Mabillonius in Notis, *monaſterium S. Laurentii* nomine inſignitum, nunc vocari *S. Anniani*, vulgo, de *S. Chignan* a ſuo Conditore, primitus *S. Laurentio* ſacrum. Sed in nova editione duo eſſe correcta deprehendimus: primum loco vocis *S. Chignan* reſtituit nobis *Chinian*, & cum illud monaſterium Laurentio primitus ſacrum dixerit, ex diplomate Ludovici & Lotharii Imperatorum *S. Annianum* Confeſſorem pro iſto reſtituit, cui hoc monaſteri-
546. um primitus fuerit ſacratum. Num. CVI in priore exemplo producitur *Caroli Calvi præceptum, quo Hilderico Cannenſi Abbati confirmat immunitatem a Carolo Magno conceſſam & bona ejus monaſterii*, ſed monet Mabillonius in ſecundis curis, hoc præceptum non *Carolo Calvo*, ut in priore exemplo factum, ſed *Carolo Simplici* tribuendum eſſe, quod vel ipſa formula initialis: *Carolus Gratia Dei Rex* probet, quæ *Simplici* ſit propria.
578. Num. CXLVI ſermo eſt *de Cœnobio de Campellis*, ubi Mabillonius in notis ad priorem editionem ait, hoc Cœnobium vulgo *de Champeaux* ſitum eſſe in Briegio tractu Diœceſis Pariſienſis, ſed in iterata editione certiora nobis profert Autor, nempe ſitum eſſe in *Diœceſi Lingonenſi*, haud procul a Beſuenſi, & aliud omnino eſſe a Campellenſi Eccleſia Collegiata Diœceſis Pariſi-
581. enſis in Briegio tractu. Num. CLI in prima editione Mabillonius notam diplomati ſubjecit, ſed hac deleta prorſus plane no-
585. vam nobis ſubſtituit recens editio. Num. CLVII adducitur *Henrici Trecenſium Comitis* charta, ubi Autor doctiſſimus obſervat, hanc chartam extra ordinem hic poſitam eſſe, per incogitantiam, ſed ne indicum ordo turbaretur, noluiſſe ſe loco nunc movere illam, id quod in compluribus adhuc locis non diffitetur. Quæ cum toties legiſſemus, opinabamur plane in toto corpore nihil immutatum, quod ad ordinem attinet, ſed ex collatione poſtea patuit, diplomata quædam accuratiore ordine interdum eſſe diſpoſita, cujus rei exemplo eſſe poterunt in eodem Libro VI numeri XV, XVI, XVII, qui aliter in priore, aliter in poſteriore editione collocantur. Qui attendent, in ipſis quoque Diplomatibus non pauca emendata vel addita obſervabunt. Quod etſi ex ſuperioribus exemplis aliquo modo conſtet nobis

Digitized by Google

nobis tamen unicum hic ſaltem adjicere liceat. In eodem p. 538.
Libro ſexto Num. XCVII producitur in priore editione *Caroli Calvi præceptum*, quo villam Scindelitias Monachis Dionyſianis attribuit, ex *archivo Compendienſi*, ut in margine annotatur, deſumptum, mancum eſt illud, mutilum & valde imperfectum, mendis etiam ut plurimis conſperſum: quod tamen nitori priſtino ac integritati reſtitutum ex ipſo autographo doctiſſimus Ruinartus in nova editione nobis dedit. Plura diligens harum rerum indagator invenire poterit, ſed nolumus Lectorem pluribus obruere. Accedit, quod iſtæ gemmulæ, ſi a corpore eximantur, gratiam amittere videntur, & nonnihil tædii parere legentibus, cum ſi corpori intertextæ legantur, egregie Lectoris animum afficiant, ac multum lucis affundant hiſtoriæ. Hoc unice addimus, aliquas emendationes doctiſſimi Ruinarti ſtudio additas eſſe operi, id quod tamen raro fieri ſolet, & de hoc ipſo Lector ſemper admonetur. Acceſſerunt etiam ſub finem in hoc novo curato opere additiones quædam, partim a doctiſſimo Ruinarto, partim ab ipſo Mabillonio collectæ, ut jam ſupra diximus, quæ in priore editione plane deſiderantur. Enumeramus omnia breviter. Primo producuntur quinque nova antiquarum ſcripturarum ſpecimina. Inter quæ recenſetur primum 635.
Romana illa & elegantiſſimis characteribus exarata ſcriptura, ex Virgilii fragmento quodam expreſſa, quod ex bibliotheca Pithœana accepit olim Mabillonius, & cum Ruinarto aliisque non ſine ſummæ voluptatis ſenſu communicavit. Sed audiamus, quid Ruinartus de hoc fragmento judicet: *Nunquam librum tam præclaris tamque grandibus literis ex toto conſcriptum videre licuit. Verſus autem, qui hic habentur, in tabella expreſſi initio paginæ ſcripti erant, unde conjicimus, primam cujusque pagellæ literam eodem modo, quo in iſta videre licet, ceteris multo majoris formæ exſtitiſſe. Non enim verſus, qui primus hic occurrit, initium eſt alicujus libri aut narrationis, ſed e contrario cum antecedente ita conjungi debet, ut nullo vel minori commate ab eo debeat ſeparari. &c.* Cui adjungitur *epitaphium Gordiani*, legati Galliæ, jam antea in Mabillonii Itinere Italico p. 141 exhibitum. Subſequitur *alphabetum* ex fa- 636.

moſis illis Pandectarum Florentinarum voluminibus confectum a Mabillonio in itinere. Sed curioſiſſimum eſt exemplum illud, quod ex veteri codice Bibliothecæ Pithœanæ depromitur, utpote ex quo Franciſcus Juretus olim Sedulii libros quinque operis Paſchalis evulgavit Pariſiis A. MDLXXXV. *Forma hujus codicis*, ut deſcribitur a Ruinarto, *eſt minima*, *& longe diſſimilis ab ea*, *quam præferunt volumina Pandectarum*, *at litera quadrata*, *& characteres*, *quibus exaratus eſt*, *probare videntur*, *utraque ejusdem ferme eſſe ætatis*. Sane ſi literas accuratius inſpexeris, non ovum ovo, aut aqua aquæ ſimilior eſt, quam hæ literæ conveniunt cum illis, quæ in Pandectis Florentinis ſunt obviæ. Adjicitur etiam *ſpecimen veteris ſacramentarii* ante mille annos exarati, quod in monaſterio Bobienſi in Alpibus Cottiis ſito invenit Mabillonius. II Agitur

p. 638. nonnihil de *literis a Chilperico rege adinventis*. Controverſantur de iſtis non parum eruditi, & in diverſas abeunt ſententias. Ruinartus ea, quæ de his literis in codicibus editis & manuſcriptis tam Gregorii quam Aimoini obſervavit, nobiſcum communicat. Ait vero, tres Aimoini editiones vidiſſe ſe, & ex his unam Valeſianam, easque has literas Græcis characteribus exaratas cum vulgato earum ſono repræſentare, nempe ω, χ ch, Θ th, Φ ph. His editis conſentire codicem ante annos circiter centum manu exaratum, at alterum codicem multo vetuſtiorem quingentorum annorum longe aliter exhibere has literas, & quidem eodem fere modo efformatas, quo apud Gregorium habeantur. Et quamvis ex his una ad ψ Græci formam accedat, diverſum tamen ei ſonum in hoc codice ab Aimoino tribui. Sic enim legi: *Addidit autem Chilpericus noſtris literis* ω *othomegam Græcam & tres alias*, *quarum characteres ab ipſo inventos cum propriis ſonis hic ſubſcripſimus* ψ ae *T the* a*my directisque &c.* Exinde colligit obſervator, tres poſteriores illas literas etiam juxta Aimoini ſenſum a Græcis omnino diverſas fuiſſe. III Adducitur breve *opuſculum de ratione punctandi*, quod Mabillonius ex Codice MS. mo-

639. naſterii Principis Vallumbroſani in Etruria transſcripſit. IV Sequitur *bulla lectu difficilis Gregorii Papæ V recenſio per Bar-*

tho-

Digitized by Google

tholomaeum Majoris monaſterii abbatem. V. Succedunt *obſervationes quædam in bullas haud uſitatas.* VI. Nonnihil ediſſeritur de *Loriaco* pagi Waſtinenſis oppido & ejus loci palatio, ubi etiam nonnullæ veteres chartæ adjiciuntur, ad iſtud negotium omnino pertinentes. VII *Duæ* proferuntur aliæ *chartæ* a doctiſſimo Ruinarto, in gratiam *Dionyſiani monaſterii* a Carolomanno & Carolo fratribus quondam datæ, quibus VIII accedit *Caroli Calvi Pancharta pro eccleſia Rotomagenſi,* quam idem Ruinartus ex authentico tranſcripſit. IX *Expoſitio* continetur *locorum in Abbonis teſtamento memoratorum.* Relatum eſt illud teſtamentum in Librum VI Num. LXII, in quo cum multa recenſeantur loca nemini excuſſa, placuit *Antonio Lanceloto* (is enim eſt harum expoſitionum autor) ingenium periclitari, & obſcura illa in lucem protrahere. Et hæc quidem ſatis de acceſſionibus. Denique ſupereſt *Supplementum* illud, quod jam A. MDCCIV prodiiſſe ſupra diximus, ſed quoniam in iſto nihil immutatum & auctum, & ipſum etiam annum veterem, quo excuſus eſt olim, ſervat, nihil attinet de iſto quicquam addere. De cetero rogamus doctiſſimum Ruinartum, velit & reliquias ceteras Mabillonianas, de quibus ſpem facit, cum Orbe literario communicare, eoque excellentis magiſtri ſui famam ulterius promovere.

p. 640. 641. 644. 646. 647.

BIBLIOTHEQVE, OU RECUEIL DE DIVERSES pieces critiques, &c.

hoc eſt,

BIBLIOTHECA CRITICA, SEU COLLECTIO variorum Scriptorum Criticorum, publicata a Dn. DE SAINJORE, cum ejusdem Notis.

Tomus I & II.

Amſtelodami, apud Jo. Ludov. de Lormes, 1708, 8.
Conſt. Alph. 2.

CONſtituit Bibliothecæ hujus Autor, (quem accepimus eſſe celebrem illum *Rich. Simonium*: id quod eo confirmatur, quod

quod T. 1 Cap. 22 a p. 299 usque ad 340 exhibetur ejus defenſio contra *Arnaldum*, quemadmodum & alia pro Simonio in hac Bibliotheca ſcripta occurrunt,) dare in publicum opuſcula, quæ vel nondum edita latent in ſcriniis, vel poſt editionem facta ſunt rariſſima. Maxime vero ejusmodi argumenta ſelegit, quæ de criticis rebus tractant. Nec vero integra ſemper ſcripta exhibet, ſed librorum non admodum exiguorum, ſed itidem vel nondum editorum vel raro occurrentium, contenta duntaxat & ἀνάλυσιν proponit, eodem plane inſtituto, quo Ephemeridum ſcriptores librorum recens vulgatorum recenſent argumentum. Quod autoris conſilium uti confidimus omnibus litterarum amantibus probatum iri, ita pro more noſtro nonnulla inde, ſalivam doctioribus facile motura, excerpemus. *Tomi I* (qui continet capita 34,) *caput 2* exhibet *Molineti* Diſſertationem ἀνέκδοτον, qua docetur, Benedictinos monachos in controverſia circa libros *de Imitatione Chriſti* produxiſſe MStos codices manifeſte corruptos: idque compluribus demonſtratur exemplis. Refertur quoque, Patrem quendam Pariſienſem, Anſelmum, librum contexuiſſe, quo firmiter probarit, *Joannem Geſſenium* vel *Gerſenium*, cui Benedictini illum vindicare librum aggreſſi ſunt, nunquam fuiſſe in hoc orbe terrarum: additur tamen, ejus libri editionem pacis amore ſuppreſſam fuiſſe. Inprimis vero Itali monachi accuſantur criminis falſi in MStis Thomæ de Kempis libris commiſſi. Inde quatuor evincitur argumentis, Thomam a Kempis autorem eſſe libelli de Imitatione Chriſti, nempe (1) autoritate teſtium vetuſtiorum fideque dignorum, (2) editionibus illius libri, quæ omnes ac ſingulæ ab A. 1486 usque ad A. 1616 conſtanter Thomæ Kempenſis nomen in fronte gerant, (3) gemina ſtyli facie, cum eadem ſæpius verba occurrant in certis Thomæ illius libris, & in hoc de imitatione Chriſti opuſculo: id quod allatis exemplis ob oculos ponitur, (4) idiotiſmis, qui haudquaquam Italum redoleant ſcriptorem, ſed Germanum. Contra docetur, Joannis Geſſen ne nomen quidem auditum fuiſſe ante A. 1613, nec librum de Imitatione Chriſti ſub ejus nomine editum ante A. 1616, nec ullum præ-

terea

Digitized by Google

terea ipſius librum exſtare uſpiam. Nemo facile negaverit, allata argumenta plurimum ponderis habere. Nos de poſtremo ſolum addimus, id adeo verum eſſe, quod ſcilicet liber de Imitatione Chriſti meris Germaniſmis ſcateat, ut confidenter negemus, quenquam ejus idoneum eſſe poſſe interpretem, niſi Germanum vel Germanicæ linguæ peritiſſimum: id quod, ſi inſtituti ratio permitteret, infinitis poſſemus comprobare exemplis. Ejusdem argumenti eſt *Caput 7*, in quo Autor excerpit quædam ex Naudæi libello adverſus Benedictinos monachos, ad confirmandum, eos non ſolum in controverſia de laudato libro falſarios ſe præbuiſſe, verum etiam aliis in rebus idem illud crimen admiſiſſe ſæpiſſime. Hoc tamen Naudæi ſcriptum Simonius judicat non ea eruditione & accuratione elucubratum eſſe, quam lector a Naudæo ſperaret: nihilo minus in tota urbe Pariſienſi approbatum fuiſſe ideo, quod cauſam juſtam defenderet. *Caput 3* de Michaelis Serveti libris agit, eorumque duo duntaxat exemplaria Lutetiæ latere refert, alterum idque mutilum in Regia, alterum idemque integrum in Colbertina Bibliotheca. Eſt autem ſcripti 119 foliis in 12mo conſtantis hic titulus: *De Trinitatis erroribus Libri VII. Per Michaelem Serveto, alias de Reves ab Arragonia Hiſpanum. Anno 1531.* Præter ſeptem hos Libros in eadem Bibliotheca latent duo ejusdem exigua opuſcula, anno ſequenti eadem forma edita, & ita præſcripta: *Dialogi de Trinitate Libri duo: De juſtitia regni Chriſti Capitula quatuor.* Obſervatur, alteram librorum horum editionem, quæ multum differat a prima illa, factam eſſe A. 1553. quo ipſo Servetus Genevæ combuſtus fuit. *Capite 6* recenſetur Maldonati Jeſuitæ Diſſertatio nondum edita *de Myſterio Trinitatis*, luculenter & accuratiſſime elaborata. Lectu quoque digniſſimum eſt *Caput 9*, in quo conjicitur rationibus non contemnendis, Hiſtoriam Sanchuniathonis eſſe librum ſubditițium, circa tempus Porphyrii a quopiam confectum ad Ethniciſmum contra invaleſcentem Chriſtianam religionem ſtabiliendum. *Capite 11* diſſeritur de MSto Græco LXX Interpretum, quod continet verſionem omnium Prophetarum, & 800 annorum ætatem excedit. In eo videre eſt aſte-

Digitized by Google

riſcos, obelos, & notas criticas alias. Sæpe etiam, maxime in margine, occurrunt loca ex antiqua editione Græca Luciani Martyris. Additur, Curterium ex iſthoc codice edidiſſe Jeſaiam prophetam, ſed ita, ut paſſim ſuam in criticis ἀπαιδευσίαν proderet, quod exemplis affirmatur. Hac occaſione Simonius p. 179 notat Bernardum Montfauconium, quod in ſuo Diario Italico parum fide dignus ſit, quod attinet ad MStorum Italicorum ætatem ac reliquas circumſtantias. *Capite* 17 de Guilielmi Cavei Hiſtoria Literaria Scriptorum Eccleſiaſticorum judicium durius fert Simonius, quam merebatur opus tanto Eruditorum plauſu exceptum. Falſam vero cenſet ejus hypotheſin, in Prolegomenis aſſertam, quod editiones Patrum, quo ſunt vetuſtiores, eo fere ſint accuratiores melioresque. Contrarium ſpecioſe probatur, eliſa ſimul objectione de Patribus Pontificiorum opera caſtratis. De Eraſmi vero editionibus Patrum pronuntiatur, quod, cum ipſius ævo fuerint præſtantiſſimæ, jam recentioribus collatæ embryones tantum videantur & rudes maſſæ. *Cap.* 26 judicium exponitur de Bartoloccii Bibliotheca Rabbinica, eſſe ſcilicet illud opus magnæ quidem molis, ſed ſine judicio ſcriptum, multaque continere inutilia: adeo ut de eo Græcorum illud dicendum videatur: Βιβλίον μέγα, κακὸν μέγα. Tomi ſecundi (qui Capitibus 35 conſtat) *Capite* 2 acute oſtenditur, Joſephi teſtimonia de Chriſto atque Joanne Baptiſta eſſe ὑποβολιμαῖα, ſimulque ad exceptiones reſpondetur ſatis ſubtiliter. *Capite* 12 agitur de loco *Rom. IX*, 5: *Chriſtus, qui eſt ſuper omnia Deus benedictus in ſecula*; ac defenditur Eraſmus, qui in ſua editione Cypriani (lib. II Teſtim. adverſus Judæos) vocem *Deus* omiſerat, ſecutus nimirum Codices MStos, & primas Cypriani editiones. Additur, etiam omiſſa voce *Deus* ex iſto loco Deitatem Chriſti probari poſſe, cum *Tò benedictus* jam ſignificet Deum, ſtylo Judæorum, in ipſorum uſitato precibus. Quod poſtremum jam obſervaſſe novimus Maldonatum Jeſuitam Tomo I præſentis Bibliothecæ cap. 6 p. 79, ſq. cui addimus Jo. Fellum, Oxonienſem Epiſcopum, in annotatione ad memoratum Cypriani locum. *Capite* 18 de Schultingii Bibliotheca Eccleſiaſtica agitur, eamque refertur propterea tam

Digitized by Google

tam raram eſſe, quod autor ſuis eam ſumtibus imprimendam curare neceſſe habuerit, qua de cauſa tantum trecenta exempla fuerint excuſa. Impreſſus autem eſſe liber ille dicitur Coloniæ 1599 in folio, hoc titulo: *Bibliotheca Eccleſiaſtica, ſeu Commentariorum ſacrorum de Expoſitione & illuſtratione Miſſalis & Breviarii, Tomi quatuor.* Magna (en judicium ſcriptoris de opere illo) eruditio multumque judicii elucet ex hoc libro, licet multæ ſint immixtæ fabulæ erroresque populares. Ceterum propugnat acriter pro ceremoniis eccleſiæ Romanæ, & contra Proteſtantes diſputat, Lutheranos nimirum & Reformatos, quorum illos dividit in Molles & Rigidos, quos & Illyricianos appellat: hos in Calvino-Papiſtas (per quos intelligit Epiſcopales in Anglia, qui in fide ſint Calviniani, in ceremoniis Papiſtæ,) & Puritanos. Diſtinguit etiam opus illud variis curioſis animadverſionibus. Inter alia diſputat de unica Magdalena, & non tribus: quæ tamen opinio, licet autoritate Patrum Latinorum & Scholaſticorum Theologorum fulta, decretoque Sorbonæ (quod Capite ſequenti p. 286 exhibetur) firmata, merito rejicitur a Græcis Patribus, & ab Autore Diſſertationis Gallicæ A. 1699 editæ, qui probandum ſuſcepit, *Mariam Magdalenam, Mariam ſororem Marthæ, & Mariam peccatricem eſſe tres diverſas fœminas.* Schultingius ille etiam contra immaculatam Mariæ Deiparæ conceptionem diſputat, eamque in rem inſeruit epiſtolam Jo. Heſſelii, Theologi Lovanienſis, ſecum conſentientis. Memoratu etiam dignum videtur, quod in Schultingiano opere exſtat Miſſa quædam hoc titulo: *De Facie Domini ſeu Veronica.* Secundum hunc titulum nulla fuit ſancta fœmina, cui Veronicæ nomen, ſed eſt feſtum Imaginis faciei Chriſti, quæ appellata fuit *Vera icon*, id eſt, vera imago. *Capite 23* de fabuloſis columnis Sethi, Joſepho commemoratis, earumque origine erudite diſſeritur. Sufficiant hæc, ut conſtet, Editorem hujus Bibliothecæ publicandis talibus magnam apud omnes Eruditos gratiam initurum eſſe.

JAC. PERIZONII RERUM PER EUROPAM maxime geſtarum ab ineu te Seculo XVI usque ad Caroli V mortem Commentarii Hiſtorici.

Lugduni Batavorum, apud Johannem van der Linden, 1710, 8.
Alph. 2 pl. 5.

CElebèrrimo Autori placuit, Hiſtoriæ univerſalis rerum ab ortu Caroli V, qui incidit in ſeculi XVI initium, usque ad ejus exitum geſtarum, contexere Compendium, idque ejusmodi, ut non exile nimis ſit ac jejunum, ſed media via inter plenum hiſtoriæ corpus ac tenue breviarium incedens, ita fugiat prolixitatem, ut tamen ad potiſſima hiſtoriæ momenta intelligenda deeſſe nihil videatur. Ubique enim hiſtorici officio ſatisfacturus, cauſas rerum & eventuum diligenter inveſtigat, ſolerter quoque rimatus arcana conſiliorum, & ſumma uſus in ſcribendo libertate, ne ſummorum quidem Principum diſſimulatis vitiis, ſed ſtrenue potius convictis. Perpetuo autem filo hanc ſuam hiſtoriam contexuit, nulla nec in libros nec in capita facta diviſione, immo nec annotationes adjunxit aut optimorum cujusque nationis & fide digniſſimorum autorum (ex quibus ſe omnia hauſiſſe præfatur) teſtimonia. Qua in re cum ſuperſtitioſe imitatus videri poſſit veteres, poſtremum tamen in præfatione hunc in modum defendit: *Abhorret prorſus a continuis illis citationibus genus hoc ſcripturæ, in quo fidei & diligentiæ Autoris, modo hæ illius dotes ex re ipſa & tota ſcribendi ratione ſeſe ultro probent, ſatisque liqueat, nullas habere ipſum mentiendi cauſas aut conſilia, aliquid eſt tribuendum.* Ceterum nec temporis rationem nullam habuit, ſingulis, quibus quæque contigerunt, annis in margine notatis, & ſubjuncto denique Indice rerum uberrimo. Nos ex eleganti hoc opere delibaturi nonnulla, in hiſtoria eccleſiaſtica pauliſper hærebimus, cum in ea Autor clariſſimus longiſſime ultra mortem Caroli V, ac propemodum ad finem ſeculi ſit progreſſus. In hiſtoria igitur emendatæ religionis cauſas exponit, cur tantos habuerit ſucceſſus illud negotium: earumque tres generales p. 7 indicat, nempe (1) aulæ Romanæ flagitia, tunc notiora facta, quam antea, (2) linguarum & literarum ſtudia, quorum ope ejus ætatis homines viderint meliora probarintque, (3) inventam artem typographicam, cujus ſubſidio & flagitia Papæorum & dogmata ſinceriora in vulgus ſparſa. Nec invidet cona-

Digitized by Google

conatus illius primam laudem Luthero præ Zuinglio p. 103, illumque paſſim magnis ornat elogiis, ſtyli quoque ejus acerbitatem p. 107 excuſans, & plenum magni viri characterem deſcribens p. 338 ſq. Nec tamen tanti viri nævos, qui quidem ipſi videntur, ſilentio premit, notans p. 335 *ſpiritum Lutheri, nimium in eo, quod ſemel animo conceperat, perſequendo, & diſſentientium impatientem.* Conf. p. 167, 177, 334. Sic cum p. 113 Lutherum ea, quæ ſe abſente a Caroloſtadio Wittebergæ facta fuerant, damnantem commemorat, hanc ſubjicit epicriſin: *At, ſi verum fateri volumus, ferre Lutherus non poterat, ab alio hæc proficiſci (certum Lutheri vitium) querebaturque, quod Caroloſtadius cupiebat, ut ipſe ſcripſit, fieri ſubito novus magiſter, & ſuas ordinationes in populo preſſa autoritate mea (Lutheri) erigere.* Rurſus p. 137 ſq. Lutherum ſcribit in Marpurgenſi colloquio controverſiam eucharisticam ſatis moderate tractaſſe. . *Sed*, inquit, *idem tamen poſtea conviciis, & nimis ſibi ſolita Diaboli in hanc ſcenam inductione, abſtinere nonpotuit.* Reprehendit etiam p.168 & 170 conſilium Lutheri, defenſionem religionis armatam ſimpliciter damnantis, idque *temeritatis fanaticæ multum præferre* arbitratur. A pag.646 usque ad p. 662 perſequitur ſchiſma, Lutheranos inter & Calvinianos ortum, oſtenditque p. 648, Calvinianorum appellationem, Zuinglianorum nomine ferme abolito, tunc ortam eſſe, cum Joachimi Weſtphali ſcripto de S. Cœna reſpondiſſet publice Calvinus. Nec minus ſingularis eſt p. 240 obſervatio de nomine Hugenottorum, quod a Germanico vocabulo *Eidgnoſſorum* ſive *Eignottorum* detortum eſſe credit cum acutioribus. Aliorum quoque e noſtratibus Theologorum in controverſia illa Euchariſtica vehementiam improbat, interque eos Joach. Weſtphalum vocat acerbiſſimi ingenii hominem p. 525 & 647, Heshuſium arrogantem & turbulentum p. 648, Jac. Andreæ Smidlinum impudentiſſimæ acerbitatis hominem p. 655 & 657. De Formula Concordiæ agens, judicat p. 658, confirmatum eſſe per eam illud inter Lutheranos & Calvinianos ſchiſma, *nunquam, ut videtur, & ut ſe res habent hominum theologicæ, exſtinguendum, niſi forſan valida communium & utriuque æque inſen-*

Digitized by Google

infenſorum hoſtium violentia. In quibus omnibus utrum ſinceri officio hiſtorici functus ſit Cel. Autor, an affectibus nonnihil obtemperaverit, cuivis integrum relinquimus judicium. Ex hiſtoria civili illa obſervatio non videtur prætermittenda, ex p. 8, 9, 10, 119, 120, 606, quod nempe initio ſeculi XVI & ſuperiore tempore ubique fere extra Italiam Principes cum paupertate & inopia conflictati ſint. Cujus rei cauſas docet fuiſſe (α) Indias nondum perveſtigatas, (β) mercaturam nondum florentem, niſi fere in Italia, (γ) quod Principes nondum tam abſoluta muniti fuerint poteſtate, ut cives ſuos pro arbitrio emungere pecunia auderent. Addit mala, ex hac pecuniæ penuria tum in Remp. redundantia, ſcilicet, quod (1) Principes ea re ſæpius inhibiti ſint a rebus opportuno tempore agendis, (2) iidem non potuerint alere nec magnum nec perpetuum exercitum, (3) dimiſſi bello confecto milites regiones miſere vexarint ac depopulati ſint. Sed hæc hactenus. Ceterum quam celeberrimus Vir in ipſo hujus libri limine p. 1 promittit Hiſtoriæ novæ continuationem, eam ut literario Orbi pariter aliquando ſiſtat, publico eum nomine rogatum volumus.

ACTA LITERARIA EX MANUSCRIPTIS eruta & collecta, cura BURCHARDI GOTTHELF STRUVII.

Faſciculus II, 1705, III, 1705, IV, 1706, V, 1707, VI, 1709, VII, 1710.

Jenæ, apud Jo. Felicem Bielkium, 8.
Alph. 1 pl. 16.

PRimus horum Actorum Faſciculus jam A. 1703 p. 59 recenſitus fuit, ſupereſt, ut reliquos nunc perluſtremus, ac brevem eorum recenſionem tibi ſiſtamus. Secundo itaque Faſciculo exhibentur primum *Jacobi Puteani* Elogia, a *Joanne Alberto Portnero* congeſta, in quibus de Puteani morbo, ſupremis fatis & bibliotheca nonnihil ediſſeritur. Subſequitur *Thomæ Campanellæ Atheismus triumphatus*, ex Manuſcripto demum editus, non ille quidem integer, ſed aliqua parte hic expreſſus, prout ab impreſſo exemplo viſum eſt doctiſſimo Col-

Digitized by Google

lectori Struvio diſcrepare. Servat illud Manuſcriptum Bibliotheca Salana, characteribus Italorum exaratum, & de nonnullorum ſententia pro ipſo Campanellæ αὐτογράφῳ habitum: in quo cum Struvius plurima obſervaſſet, quæ in impreſſo exemplo aliter ſe haberent, diligenter hæc aunotavit loca, & collectioni præſenti inſeruit. Poſt hæc enarratur *Hiſtoria certaminis Reuchliniani*, quod cum monachis de exurendis Judæorum libris inivit. Sed nihil hic ſingulare offendimus, ut ſi cui cupido ſit iſthac de controverſia nonnihil perlegere, plenius id intelligere liceat ex Reuchlini vita a doctiſſimo Maio quondam perſcripta. Vita denique *Joannis Loniceri* ab Anonymo exarata, & Epiſtola *Fred. Bened. Carpzovii* inedita agmen concludunt.

Faſciculo tertio continetur primum *Jo. Chriſtiani Boineburgii Vita*, a Struvio noſtro non ineleganter exarata, ubi & fata & ſtudia hujus Viri doctiſſimi exponit. Hanc excipiunt *Excerpta literaria* ex mutuis *Boineburgii & Zachariæ Pruſchenckii* epiſtolis delibata, jucunda certe ac eruditiſſima, in quibus & Struvii inſtitutum maxime comprobamus, qui, quomodo in edendis clarorum Virorum Epiſtolis verſari nos oporteat, exemplo ſuo præivit. Nimirum ut ex epiſtolis excerpamus non omnia, ſed quæ meliora & digniora videntur. Multa in his excerptis literariis legimus, quæ ad ſtatum civilem non minus, quam ad bonorum librorum notitiam faciunt. Ultimo loco apparet *Adriani VI Papæ Conclave*, quod etſi jam in Italica Conclavium collectione habeatur, nihilominus dignum fuit viſum noſtro Struvio, quod huic loco insereretur, maxime cum aliqua parte diverſum ſit ab eo, quod editum jam diximus. Operis fronti præmittitur nummus, in priore parte hujus Papæ effigiem repræſentans, qui ab Ultrajectenſibus, civibus ejus, dicitur excuſus.

Faſciculus tertius comprehendit primum *Inventarium Bibliothecæ Sixti IV* per Barth. Platinam congeſtum, in quo non ordinem modo Bibliothecæ Vaticanæ, tum temporis obſervatum, ſed codices quoque, qui in ea continebantur, deſcriptos videmus; quanquam hoc Inventarium a Struvio non integrum inſertum ſit, ſed potiora tantum excerpſit,

quæ

Digitized by Google

quæ ordinem ac methodum hujus catalogi demonſtrant. Tum ſuccedit *Synodus*; a *Joanne Majore* verſibus comprehenſa. Eſt virulentum hoc carmen & difficile admodum intellectu, cum de certaminibus inter Philippiſtas, ut vocant, & Flacianos ſeculo XVI excitatis agat, idque ita, ut per diverſa avium nomina viros undiquaque doctos notet ac confodiat: ſed carminis illius clavem adjecit Struvius, nempe notas & animadverſiones *Joachimi Felleri*, noſtri quondam Collegæ deſideratiſſimi, ſubtexuit longe doctiſſimas, qui, quid per aves intelligatur, feliciſſime enodavit; & Fellerum in ϛοχασμῷ non infelicem fuiſſe hic deprehendes. Sub finem faſciculi potiora ex *Conradi Magdeburgenſis* Oeconomicis referuntur, adjecta inſuper Viti Winshemii Epiſtola manuſcripta, quæ de avulſo Mauritii capite in ſtatua Berolini expreſſi nonnulla recenſet.

Quintus Faſciculus itidem varia notatu digna complectitur, ubi primo loco exhibetur *Vita Zachariæ Pruſchenckii* a Struvio noſtro compoſita, quam excipiunt ipſius Pruſchenckii *Epiſtolæ* ad *Georg. Calixtum* aliosque Viros eruditos perſcriptæ. Multa in his legimus, quæ controverſiam Calixtinam egregie illuſtrant, quamvis alia quoque ſubinde inſpergantur. Inprimis vero hic, quæ ſequitur, *Epiſtola Gaſparis Scioppii* commendanda eſt, quæ fata & doctrinam *Jordani Bruni*, Romæ combuſti, eleganter exponit, & genium quoque Scioppianum aliqua ex parte repræſentat. Neque illa putamus negligenda eſſe, quæ poſt hæc de *Cœlio Secundo Curione* referuntur, ex manuſcripto edita, quibus vita & fata hujus viri nonnihil illuſtrantur. Carmina inedita, quæ appendicis loco apparent, hic prætermittimus, cum non adeo magni ſint ponderis.

In ſexto Faſciculo, in quo miſcellanea nonnulla literaria ex eruditorum Epiſtolis congeſta repræſentantur, inprimis obſervandæ ſunt Caſp. Barthii ad Chriſtianum Daumium Epiſtolæ varia doctrina refertæ. Excerpemus, cum e recentiobus hic ſit Faſciculus, nonnulla ſpeciminis loco, ut de reliquorum bonitate facilius conſtet. Pag. 5 ex Geo. Fabricii literis cognoſcimus, quam difficulter aggreſſus fuerit, Origines Saxonicos conſcribere, cum, ut de ſe ſcribit, homo ſit obſcurus, nec ad ullius

ullius rei magnæ conſilium unquam adhibitus, ut aliquando infamiæ ſit futurum magnis temporis ſui Oratoribus, qui ſibi rem tantam commiſerint. Pag. 14 inſigne *Lindebrogii* plagium detegitur, qui in carcerem capite nudo tractus fuerit, ob ſedecim Volumina Manuſcripta, quæ monacho uno conſcio ſubduxit e monaſterio Victoris. Pag. 24 de *Bœcleri* hiſtoria belli Danici, quam Torſtenſohnii auſpiciis meditatus eſt, nonnihil edocemur. Curioſa ſunt, quæ p. 47 de *Andrea Mülleri* Sinicis referuntur a Jobo Ludolfo, ubi ſimul animadvertere licet, quam difficilis in communicandis aut evulgandis inventis ſuis fuerit Müllerus. Pag. 53 legimus, *Annales Boicos*, qui ſub nomine Cancellarii Bavarici *Adlzreitteri* prodierint, partum eſſe P. *Joannis Fervaux* Lotharingi. (Conf. Acta Er. M. Junii p. 252.) Nec forte philologis diſplicebunt, quæ p. 57 de ſignificatu שלו & קרי afferuntur. P. 70 laudatur *Maria Helena*, filia *Matthæi Wackeri a Wackenfels*, quæ Græce loqui, & carmina Pindarica componere potuit, ſed A. 1607 immatura morte præcepta, cum nondum ætatis annum duodecimum impleviſſet.

In ſeptimo Faſciculo, qui nuperrime prodiit, continentur Excerpta ex Epiſtolis hactenus ineditis clariſſimorum Virorum, & inprimis celeberrimi illius Polyhiſtoris *Jacobi Thomaſii*. Sane quibus viri hujus doctrina & judicium, quo polluit, notum eſt, non poſſunt non egregia ſibi ex iſtis litterarum excerptis pelliceri. Cujus rei ut fidem faciamus, placet uno
alteroque ſpecimine teſtatum id facere. Ita refert nobis Tho- p. 2.
maſius, *Reineſium* notas quaſdam MSS. in Caroli Stephani Dictionarium confeciſſe, ac merito objurgat Bibliopolarum avaritiam, qui ſumptus in hunc librum impendere recuſarunt.
Deinde in *Labbei* libro de Scriptoribus Eccleſiaſticis annotat ſtyli 3.
acerbitatem in omnes, quos ille heterodoxos putaverit, niſi quod
uni Voſſio parcere videatur. Idem Thomaſius indicat, *Joannem* 5.
Bernhardum Bertramum ſub Dilherri præſidio diſputationem Jenæ habuiſſe, cui titulus: *Examen Inſcriptionum antiquarum nobiliorum obſcuriorumque*, ſed pleraque eſſe a Thoma
Reineſio profecta. Idem nonnihil agit de *Henrici Mori* 9.
Antiatheiſmo ex Anglica lingua in Latinam verſo & adhuc ἀνεκδότῳ, & toto prope Capite quinto Libri

ſecundi nihil aliud agi affirmat, quam ut animarum defendatur præexiſtentia. Nec minus digna ſunt, quæ de *Novo Teſtamento*, ab *Antonio Bruciolo* in linguam Etruſcam converſo, refert. Nos integrum locum exſcribimus: „Il Nuovo Teſtamento di Greco nuovamente tradotto in lingua Toſcana per „Antonio Brucioli, 1530 (in octavo) in Vinegia, nelle caſe di Lucantonio Giunti Fiorentino, con privilegio dell' inclito Senato Veneto. Alia etiam extat hujus N. T. editio Veneta & „ipſa in 12, in cujus fine teſtatur Autor, ſe quia verſio ſua paſſim ſed non unis depravata modis recuſa ſit, editiones illas „non pro ſuis, ſed hanc agnoſcere, quæ a Franciſco Bruciolo „& fratribus ejus impreſſa ſit. Illa in 8 cum privilegio Senatus Veneti edita erat, ſed in hac in 12 privilegii illius nullam mentionem video. Illa ab autore dedicata Herculi Gonzagæ Cardinali Mantuano, idque dedicatione duplici, quarum „altera præmittitur priori Novi Teſtamenti parti, quam Evangeliſtæ auſpicantur, hæc poſteriori, quam Pauli epiſtola ad Romanos; hanc idem autor dedicavit Leonoræ de Toleto Duciſſæ Florentiæ, ſed nonniſi unica epiſtola, quæ legitur in „fronte. Ceterum nulli dedicatoriæ adſcriptum annum lego, aut diem, aut locum. Nomen autoris in priori editione „inviolatum ubique eſt, in altera eraſum ex titulo libri, chartula glutine impacta occultatum in dedicatoria, ſalvum tamen initio pariter & fine partis ſecundæ. Ut adeo haud „vana ſit ſuſpicio, diſplicuiſſe Pontificiis Brucioli hanc verſionem, curaviſſeque adeo, ut illa vel ſupprimeretur vel corrumperetur, ipſiusque etiam nomen autoris aboleretur. Sane „vero nomen etiam Antonii Brucioli reperio in Indice librorum prohibitorum Pii IV p. 30 ſub autoribus primæ claſſis. „Sitne illa editio A. 1530 e genuinis, an corruptis, dicere non habeo, neque enim textum ipſum conferre licuit cum altera. „De corruptoribus ſuis video autorem etiam queri in dedicatione ad Leonoram de Toleto; contra eos autem, qui negant, ſacrum Codicem vulgari lingua vertendum eſſe, diſpu-
p. 21. „tare graviter in editionis prioris dedicatione altera. Tum *Jo. Euſebii Nierembergii de Arte Voluntatis* Libri ſex perſtringun-
gun-

Digitized by Google

guntur a Thomaſio, qui putat, Nierembergium Rhetorem in hoc opere magis agere, quam Philoſophum, & majorem videri ſubtilitatis habuiſſe rationem, quam veritatis. *Nicolaus* p. 23.
Heinſius edidit olim A. 1667 *Prudentium* ſcriptorem Chriſtianum, Ferdinando, Epiſcopo Paderbornenſi, inſcriptum. De qua dedicatione cenſet Thomaſius, Heinſium nimia aſſentatione tum Epiſcopo, tum ipſi Romano Pontifici blanditum eſſe, ut incertum ſit, fueritne ipſe proximus apoſtatæ, an ex eorum numero, qui omnem religionem habeant pro una. Qui de 43.
Illuminatorum ſecta & eorum doctrina noſſe quædam deſiderant, ex Chriſtophori Arnoldi & forte etiam Thomaſii Epiſtola hic ſubjecta præſidium accerſant. De *Jo. Ludovici Vivis* Valentini Operibus in duos Tomos diſtributis & Baſileæ quondam A. 1555 fol. editis nonnihil quoque addit Thomaſius, & collectorem, quisquis ille ſit, parum providum fuiſſe ait, & in rem minime attentum, namque novos Vivis libros plerosque non a titulis, qui ſingulis debeantur, novis, ſed ab epiſtola, ſi quam habeant, dedicatoria inchoari. Deinde *Kircheri China* 61.
parum probatur Sereniſſ. Ducis Florentini Secretario cuidam, (nomen enim hic non additur) qui Chinenſem Athanaſii phantaſiam vocat, additque, Patres Jeſuitas ex China reduces factos pleraque in libro iſto improbaſſe, id quod ex Chriſtophori Arnoldi Epiſtola hic perſpicimus. Sed omnium digniſſima eſt 82.
Epiſtola Jacobi Auguſti Thuani ad Jo. Meurſium exarata, ubi de opere ſuo hiſtorico agit, quod in caſtris inter tubas inchoatum & quidem ab anno MDXLV h. e. a belli Germanici primis initiis ad annum usque XXCVI deductum eſſe ait. Plura ſunt, quæ Lectorem juvabunt, ſed nos brevitatis rationem habentes filum abrumpimus.

ילקוט שמעוני

PERA SIMEONIS, h. e. COLLECTIO LOCOrum Scripturæ Sacræ in antiquisſimis Judæorum libris, Siphra, Siphri, Mechilta, Rabboth, Tanchuma, Miſchna, Gemara explicatorum, ſecundum ordinem Codicis Hebræi digeſta.

Tomi II.

Francof. ad Oderam, Anno comput. minor. 469, h.e. A.C. 1709, in fol.

Conſtat Alph. 10 plag. 12.

HUjus libri jam ſupra Anno MDCLXXXVII menſe Novembri p. 638 mentio facta eſt, cum Francofurti ad Moenum recuderetur, ut nobis tantum nova hæc editio, quæ ex illa accurrate deſcripta videtur, indicanda ſit. Si itaque interpretes antiquiſſimorum Judæorum explicationes Scripturæ conſulere voluerint, hunc librum evolvant, ex quo de omnium fere verſuum ſenſu cognoſcere poterunt. In margine partim libri eorumque folia allegantur, partim ignota & rariora vocabula aliis Hebraicis explicantur. Felicius vero lectores procedent, ſi זית רענן h. e. Commentarium in hunc librum conferant, qui nuper Deſſaviæ Anno ſup. min. 464, h. e. A. C. 1704 impreſſus eſt.

INTRODUCTION A L' ECRITURE SAINTE, h. e.

INTRODUCTIO AD SCRIPTURAM SACRAM, in qua Judæorum origo, hiſtoria, Reipublicæ forma, leges, conſvetudines, Terra ſancta, Hieroſolyma, templum & reliqua deſcribuntur; Autore BERNARDO LAMY; ex Latino idiomate in Gallicum translata, & aucta.

Lugduni Gallorum, apud Joannem Certe, 1709, 4.

Conſtat Alph. 3 pl. 6 chart. Geograph. 3 & 13 tabb. æneis.

PRima hujus libri lineamenta Latine ſcripta, & in modum tabularum ordine analytico diſpoſita in Galliis primum typis ſunt excuſa, quæ deinde a Boierio & Bellegardio in Gallicam linguam converſa, cum Pariſiis, tum Lugduni, & tandem iterum Latino idiomate Amſtelodami anno MDCCVII ſub titulo Apparatus Biblici comparuerunt. Sed libellus hic vix duodecim complevit plagulas, quas hac nova editione inſigni mole

mole auctas conſpicimus, ut novi plane operis ſpeciem præ ſe ferat. Acceſſiones novæ ipſum Cl. Lamy autorem agnoſcunt, quas ab eo Latino idiomate exaratas amicus quidam in Gallicum transtulit, & Autoris relectioni & emendationi tradidit. Scopus, quem libro primo Cl. Autor intendit, eſt, hiſtoriam & accuratam omnium rerum, quæ Judæos concernunt, deſcriptionem & formam exprimere. Quare in hoc omnia, quæ ad Judæorum originem, diviſionem in tribus, Terram ſanctam, loca ſacra, Chronologiam, feſtos dies, ſacrificia, miniſtros templi, Sectas, Rempublicam, leges, conſuetudines, pondera & menſuras ſpectant, complexus eſt. Cap. I proſelytos deſcripturus, noſtri baptiſmi originem ex ritu Judæorum, in initiatione proſelytorum obſervato, & a Maimonide deſcripto, deduxit. p. 13.
Cap. II defendit ſitum paradiſi, prout a Cl. Huetio deſcriptus 48.
eſt, & Hieroſolymam quaſi in medio totius terræ olim cogni- 56.
tæ locat. Cap. VIII de miniſtris templi Hieroſol. differit, & 154.
obſervat, quod Judæi in Synagogis ſemper textum Hebræum prælegerint, in gratiam vero populi, hujus linguæ ignari, interpretem, quem Targumiſtam appellarunt, conſtituerint, cui in aurem textum prælegerunt, quem ille alia lingua alta voce populo interpretatus eſt. Hunc ritum Chriſtum reſpexiſſe advertit, præcipientem diſcipulis: *Quod vobis in aurem dicitur, prædicate in tectis*, Matth. X, 27. Liber ſecundus exhibet, quæ de Bibliis, numero librorum Canonicorum, diviſione eorum, ſcriptoribus ſacris, linguis, Maſoretis, antiquis verſionibus, LXX ſenum, Latinis, Vulgata, Pentateucho Samaritano, Paraphraſibus Chaldaicis, Bibliorum præcipuis editionibus, regulis hermeneuticis, & Interpretibus Scripturæ notanda ſunt. Duos libros Regum ex pluribus particularibus libris ab incerto autore compilatos eſſe putat, nec ratione ſufficienti eos vel Jeremiæ vel Eſdræ adſcribi exiſtimat. Paralipomenon libros 261.
pro ſupplemento Pentateuchi, librorum Joſuæ, Judicum, & Regum habet, ex Regum diariis ab Eſdra collecto. Non omnes Pſalmos a Davide, ſed quosdam a Moſe, alios a Samuele, alios ab Eſdra compoſitos eſſe autumat. In Cantico Canticorum nomen Dei nunquam occurrere obſervat, & ſub epitha-

Digitized by Google

thalamii ſpecie alta myſteria recondita eſſe ſcribit. Sapientiæ librum Salomonis nomen gerere, non quod a Salomone ſcriptus, ſed quod ejus Autor Salomonis ſtylum & meditatio-
p.264. nes imitatus ſit. Eccleſiaſtici appellationem cum Auguſtino ab Eccleſia derivat, quod ille quondam in Eccleſia lectus ſit. Veteres enim Canonicos appellaſſe libros, quos certo a Spiritu Sancto inſpiratos eſſe ſciverunt, Eccleſiaſticos vero, qui qui-
271. dem boni ſed non infallibilis auctoritatis fuerunt. Cap. III de Autoribus & Chronologia librorum agit, Moſique totum Pentateuchum tribuit, concedit tamen, quod Eſdra quædam vel in margine notaverit, vel textui inſeruerit, quæ ad explicationem neceſſaria viſa ſunt. Joſuæ librum non ſine ratione Joſuæ ipſi attribui exiſtimat, quorundam tamen eruditorum conjectura
273. illum poſt Salomonis regnum ſcriptum eſſe, annotat. Autorem libri Judicum ignorari aſſerit, quamvis alii hujus & Ruthæ nec non priorum librorum Regum Samuelem autorem perhibeant. Tertium & quartum librum Regum, ut & duos Paralipomenon Esdræ tribuit, idque Theodoreti auctoritate confirmat. Prophetas ſuorum vaticiniorum compendia conſcri-
274. pſiſſe, eaque templi portis, ut in omnium notitiam pervenirent, affixiſſe, quæ deinde a miniſtris templi collecta & aſſervata ſint,
291. cum aliis conjicit. Litem Capellum inter & Buxtorfium de Hebrææ linguæ primis literis actam, duabus rationibus dirimit, 1 quod Græcæ literæ inverſæ propius ad characteres Samaritanos, quam ad Hebræos hodiernos accedant, 2 quod antiqui
292. ſicli, a Judæis cuſi, Samaritanas literas exhibeant. Puncta Hebræi Codicis vocalia multis rationibus novitatis accuſat, & veſtigia Capelli & Waltoni premit. LXX ſenum verſionem eam ob cauſam Patriarchis antediluvianis longiorem ætatem dediſſe refert, ut Judæi in Ægypto degentes Moſis hiſtoriam
319. Annalibus Ægyptiorum accommodarent. Joſephi auctoritate nixus, primo Pentateuchum tantum translatum, reliquos vero
321. libros ab aliis adjectos eſſe putat. Quamvis vulgata verſio in Concilio Tridentino authentica ſit declarata, eam tamen ex fontibus emendandam eſſe judicat, approbatque correctionem Esdr. IX, 8 factam, ubi loco *pax illius* juxta fontes *paxilius* reſtitui-

ſtituitur, & Prov. XVI, 11 loco *lapides Seculi*, hodie *lapides ſacculi* leguntur. Lib. III comprehendit reliqua, quæ ad Scripturæ interpretationem ſunt neceſſaria, quorſum ſpectant idola, animalia, herbæ, lapides, metalla, aromata, alimenta, veſtes, ædes, morbi, theatra ludorum, ad quæ ſacri ſcriptores alludunt, quibus additur methodus, qua ſacrorum Bibliorum lectio uno anno cum fructu abſolvitur. Occaſione columbarum, quas inter alia animalia Cap. II deſcribit, *ſtercus columbarum*, cujus quarta pars cabi quinque argenteis vendita eſt (IV Reg. VII, 25) cum Bocharto de *leguminibus* Arabica lingua *ſtercus columbæ* dictis interpretatur. Phœnicis in ſcriptura nullam mentionem fieri exiſtimat, ſed Judæos tantum Job. XXIX, 10 vocem, quæ *arenam* ſignificat, de ave illa eſſe interpretatos, eam mille annos vivere tradentes. Occaſione ſerpentum de aſpide refert, quod non ſit ſurda, nec aures contra incantationes obduret, ſed quod Pſ. LVIII, 5 David tantum dicat, Magorum incantationes eſſe fruſtraneas, & aſpides iis non aliter affici, quam ſi eſſent ſurdæ, vel earum aures obduratæ, ut eas non audiant. Preſteres ſive ſerpentes igneos a morſu carbonis inſtar urente appellatos eſſe autumat, & Iſraelitarum plagam, quam in deſerto ab iisdem perpeſſi ſunt, cum alia, quam Plutarch. LVIII, de feſtis, quæſt. 9 deſcripſit, comparat. Scorpiones in cauda aculeum gerere, ovoque ſimiles eſſe, ut caput ejus vix diſcernatur, ex Lucæ Cap. XI v. 12 probat, ubi Salvator dicit: *aut ſi petierit ovum, præbeat illi ſcorpionem.* Cetum, in cujus ventre Jonas fuiſſe Matth. XII, 40 refertur, canem marinum, quem Græci Lamiam appellant, interpretatur, quia in mari mediterraneo nulli ceti inveniuntur, nec eorum gula tam ampla eſt, ut hominem capiat. Ipſe Cl. Autor ejusmodi Lamiam vidit & tantam ejus gulam eſſe obſervavit, ut homo commodiſſime tranſire potuerit. *Behemoth & Leviathan*, quos Jobus Cap. XL & XLI deſcripſit, cum Bocharto de *Hippopotamo* & *Crocodilo* intelligit. In animalibus fabuloſis numerat *Akko* Deut. XIV 5, Græcis τραγέλαφον dictum. Griphes LXX ſenibus aquilas ſignificaſſe exiſtimat. *Ixion* (vel potius Ixon) vulgati Deut. XIV, 13 cum Bocharto in *oxyn* mutandum eſſe cenſet, avem

p. 396. 401. 409.

avem ab oculorum acie Græcis appellatam. Mirmicoleon Job.
IV, 11 ipſi eſt ſpecies leonum, uti & vulgatus ibi transtulit.
Jer. L, 39 *Jim*, quos Hieronymus Ficarios vertit, Noſter pro ſpe-
ctris habet, quæ terrorem incutiunt. Per *Sirenes* Jeſ. XIII,
21 LXX ſenes muſcarum ſpeciem magnum ſtrepitum excitan-
tium intellexiſſe, ex Iſaaco Voſſio refert. *Lilith*, Græcis Ono-
centaurus, Eſ. XXXIV, 14 a Noſtro inter ſpectra refertur, quod
p. 416. ibi deſertum deſcribatur. Cap. III, Lib. III ordine alphabeti-
co omnes arbores recenſet, & de *Hyſopo* annotat, quod cum
noſtro non conveniat, & ignotum ſit, utrum in arboribus, an
vero in herbis numeranda ſit. Milites enim Salvatori potum
exhibentes, hyſopi caule uſi ſunt, ex quo colligitur, quod ille
417. noſtro multo longior fuerit, quia crux elevata erat. *Kikajon*
Jonæ cum Bocharto cum Ægyptiorum *kiki* & Latinorum *ricino*
confert. Cap. IV lapides pretioſos deſcribere, rem arduam, imo
impoſſibilem eſſe, conqueritur, ut in hoc argumento probabili-
tate quadam contenti eſſe debeamus. Nihilominus duodecim
426. lapides, pectorali ſummi Sacerdotis olim inſertos, ex LXX Se-
num & Vulgati verſionibus cum aliqua veritatis ſpecie decla-
440. rat, & ampliorem deſcriptionem in libro de templo Hieroſo-
lymitano promittit. Poſt metalla ad veſtitum Hebræorum progre-
ditur, & varia textilium & acupictorum genera deſcribit. In-
ter alia advertit, quod Hebræorum *Scheſch* & *Bad* idem ſit
cum Græcorum & Vulgati *byſſo*, & noſtro *lino*, quia Hebræo-
444. rum *Piſchtim* tam *Scheſch*, quam *Bad* refert. De cibis
Hebræorum acturus, rejicit quidem Salmaſii etymologiam, quæ
Manna ex manhu, *quid eſt hoc*, derivat, approbat tamen ejus-
dem ſententiam, qua Manna rorem fuiſſe ſtatuitur. Sed eo
miraculum mannæ non negat, ſed illud ob alias circumſtan-
tias extollit, quod nempe tanta quantitate deciderit, ut omni-
bus Iſraelitis ſufficeret, quod die Sabbati nulla fuerit inventa,
quod tam æſtivo quam hyemali tempore ſit collecta, & quæ
reliqua. Morborum biblicorum hiſtoriam partim ex Wilhel-
mi Aderi, partim ex Thomæ Bartholini libris hauſit, & in com-
pendium redegit. Reliqua non perſequemur. Sed B. L. po-
tius ad ipſum librum remittemus, in quo plura, quæ ad Scriptu-

ræ

Digitized by Google

ræ explicationem requiruntur, jucunda brevitate & perſpicuitate collecta & deſcripta inveniet.

JOANNIS MEINECI, ECCL. RAMBOENSIS Paſtoris Chriſtus a Tridentino Concilio (Seſſ. 7 can. I de Bapt.) excommunicatus; cum Præfatione ZACHARIÆ GRAPII.

Roſtochii, apud Chriſtianum Gottholt Garmann, 1709, 4.
Conſt. 4 plag.

CONfutat hoc ſchediaſmate Autor Reverendus Canonem Tridentinum I de Baptiſmo: *Si quis dixerit, baptiſmum Johannis habuiſſe eandem vim cum baptiſmo Chriſti, anathema ſit.* Inſtat, Chriſtum ipſum hoc dixiſſe, dum baptiſmo Johannis aquam & ſpiritum, quin & regenerationem, tribuit Jo. III, 5 ſeqq. Id non niſi de baptiſmo Johannis intelligi poſſe, cum alius eo tempore nondum fuerit, evidentiſſime demonſtratur *§ 26, 27 ſeqq.* Jam vero Pontificii ipſi, nominatim Bellarminus & Schererus, quorum verba afferuntur, aquam & ſpiritum eſſentiam baptiſmi abſolvere, diſerte fatentur. Unde baptiſmum Johannis & Chriſti ex hujus ipſius ſententia eundem eſſe, admittant neceſſe eſt. Nituntur Concilii Tridentini defenſores locis Matth. III, 11, Marc. I, 8, Luc. III, 56, Jo. I, 26, 31, 33, ubi Johannes aqua, Chriſtus ſpiritu baptizare dicitur. Sed reſpondetur, perperam ab illis confundi baptiſmum Chriſti improprium & extraſacramentalem, ſcil. effuſionem Spiritus S. ut explicatur Act. I, 5 & XI, 16 cum baptiſmo proprio & ſacramentali. Illum diverſum eſſe a baptiſmo Johannis, nemo unquam negavit: ſed quæritur de poſteriori, quem Chriſtus Matth. XXVIII, 19 & Marc. XVI, 16 non primum inſtituit, ſed confirmavit.

Das neue Teutſche und Wendiſche Geſang-Buch.
h. e.
NOVUS GERMANICARUM ET SORABICARUM Cantionum liber.

Digitized by Google

Budiſſinæ, ſumptibus Joannis Wiliſch, 1710, 8.
Alph. 2 plag. 15½.

ILluſtres ſpectatiſſimique Luſatiæ Superioris Status, pro inſigni ſuo & nunquam ſatis laudando veræ religionis promovendæ ſtudio, in Sorabicæ Nationis gratiam non tantum Evangelia & Epiſtolas, quæ diebus Dominicis ac Feſtis publice exponi ſolent, catechiſmum Lutheri minorem, atque Eccleſiæ Evangelicæ agenda in linguam Sorabicam transferri, & typis ante aliquot annos exſcribi curarunt, (conf. Acta A. 1693 p. 305,) ſed cum ipſos minime lateret, cantiones eccleſiaſticas quoque ad verum Dei cultum haud parum facere, in iis autem, quæ Sorabis in uſu erant, unus atque alter defectus deprehenderetur, de medela huic malo afferenda nævisque illis tollendis pientiſſimam curam foverunt, atque admodum Reverendis Viris, M. Paulo Prætorio, Eccleſiæ Budiſſinenſis S. Petro ſacræ Archidiacono, Georgio Matthæi, Paſtori Colmenſi, Joanni Aſt, Paſtori Budiſſinenſi ad S. Michaelis, & Johanni Wauer, Paſtori Hochkirchenſi, Cantionum illarum accuratiorem perluſtrationem atque emendationem demandarunt. Quem laborem laudatiſſimi Viri lubenti animo in ſe ſuſcipientes libros Cantionum Sorabicarum manuſcriptos e diverſis eccleſiis ad ſe mitti curabant, ut verſiones inter ſe curatius componere, optimas earum eligere, atque emendatione haud ita difficili totum negotium perficere poſſent. Aſt inſtituta ſedula perluſtratione cum fere omnes verſiones in artis poeticæ regulas, non paucas in Sorabicæ linguæ genium, multas quoque in ipſam fidei analogiam impingere deprehenderent, neceſſitas ipſa exigere videbatur, ut novam plane verſionem Sorabicam elaborarent. Ad quam inde ſe accinxerunt, & in ea conficienda Germanicarum cantionum ſenſum & verba ipſa, quantum fieri potuit, exprimere, inprimis autem analogiam fidei probe obſervare ſtuduerunt, inſimul etiam accentum, pedes, genus carminis & rhythmos poeſeos Germanicæ ſequentes. Ut vero appareat, quantum ab antiquis verſionibus nova ipſorum recedat, duas cantiones Paſchales, quas ex hactenus uſitatis optimas eſſe deprehenderunt, fere immutatas inſeruerunt, earumque unam, cum

in

Digitized by Google

in nullo Germanicarum cantionum libro poſt diligens ſcrutinium invenerint, in Germanicum idioma verterunt: cantionem, quæ ſeptem verba a Chriſto in cruce prolata exhibet, transtulerunt, prout eadem a Vincentio Schmuckio emendata fuit, cum prima illius editio, quæ in communi uſu apud nos eſſe ſolet, cum genuino verborum iſtorum ordine pugnet. In quo opere perficiendo publicandoque duos fere annos inſumſerunt, cum illius editionem tum Suecorum in haſce regiones irruptio, tum ſupra commendati, M. Prætorii, qui ceterorum verbi divini Miniſtrorum ad hoc opus perficiendum delectorum Præſes & linguæ Sorabicæ callentiſſimus fuit, beata analyſis, tum horrendum Budiſſinæ urbis incendium retardarint. Superatis hiſce aliisque impedimentis, liber tandem iſte abſolutus in lucem exoptato prodiit. Conſtat autem ille tribus partibus, quarum prima Cantiones Feſtivales; ſecunda Catecheticas; tertia matutinas, veſpertinas, menſales & funebres exhibet. Quibus acceſſit appendix aliquot cantionum, quarum nonnullæ de novo confectæ, aliæ vero e Sorabica lingua in Germanicam translatæ fuerunt, cum in nullo cantionum Germanicarum libro eas reperire licuerit. In linguam Sorabicam inſimul verſa ſunt verba, quorum in vulgo ſic dictis Collectis Eccleſiaſticis uſus eſſe conſuevit. Tandem geminus Index, Germanica alter, alter Sorabica lingua exaratus, adjicitur.

SCRIPTORES ET EXCERPTA JURIS POſtarum ſive Miſcellanea & Collectanea Juris publici curioſa de Regali Poſtarum Jure, publici juris facta per CHRISTIANUM LEONHARDI S. R. Polon. Majeſtatis & Elector. Saxon. Secretarium Intimum & Poſtarum Adminiſtratorem Primarium.

Lipſiæ, ex Officina Chriſtiani Genſchii, 1710, in fol.

Alph. 3 plag. 11.

MUneris, quo curſum publicum dirigit, ratio ſolertiſſimo Autori ſcriptum hocce colligendi præbuit occaſionem, cujus opera illis erit pergrata, quibus Jus Poſtarum penitius cognoſcere volupe eſt. Ita autem in hoc opere concinnando verſatus eſt, ut non tantum integros tractatus ac diſſertationes de hoc argumento conſcriptas exhiberet, ſed & quæ in Receſſibus Imperii aliisque Scriptoribus de jure poſtarum ſparſim habentur, in hæcce collectanea referret, quo fine etiam index Scriptorum, ex quibus hoc opus compoſitum, adjectus eſt. Duos tamen Scriptores ſe hic omiſiſſe fatetur doctiſſimus Autor, videlicet Ludovicum ab Hornigk de Regali Poſtarum Jure & Cæſarei Turriani Glorwürdigen Adler / ſive gründliche Vorſtellung des der Kayſerlichen Majeſtät reſervirten Poſt-Regals / cujus rei eam fuiſſe cauſam ait, quod prius ſcriptum in bibliopoliis adhuc extet, poſterius autem publicam eamque liberam, quantum intelligere licuerit, lucem nunquam viderit, ſed tantummodo in quorundam Poſtarum Imperialium Præfectorum ſcriniis lateat. Ut ſpecialius nonnulla attingamus, primo loco occurrit Gründlicher Unterricht von dem aus Landes-Fürſtlicher Hoheit herſpringenden Poſt-Regal derer Chur- und Fürſten deß heiligen Römiſchen Reichs kürtzlich fürgeſtellet und Hn. Ludolffs von Hornigk irrigen Meynungen entgegen geſetzet durch Emeran Ackold / id eſt, literis ſuo ordini reſtitutis, Andream Ockel. Hoc ſcriptum cum impugnaſſet Cæſareus Turrianus im Glorwürdigen Adler / mox Clariſſimus Ockelius Diſcurſus Juridico-Politicos de Regali Poſtarum Jure Electorum Principumque Imperii, quibus Majeſtaticum hoc jus, vigore Superioritatis Territorialis Sereniſſimis Principibus Germaniæ competens, denuo aſſeritur ac inanibus oppoſitionibus, quibus Dn. Cæſareus Turrianus Emeranum Ackold oppetiit, reſpondetur, in lucem emiſit, qui in hiſce collectaneis ſecundo loco exhibentur. In Capite tertio horum Diſcurſuum Dn. Ockelius viginti duo Turriani argumenta ſtrictim recenſet, iisque in capite quarto reſpondet, ex quo etiam apparet, quod, utut Nobiliſſimus Leonhardi noſter Turriani ſcriptum Volumini huic non inſeruerit,

rit, ejus tamen argumentum ex oppoſito Ockelii tractatu quodammodo poſſit intelligi. Tertium locum occupat der Stadt Nürenberg gründliche Refutation einer mit vielen Läſterungen angefüllten ſo genannten Information, wie es um das Kayſerliche Poſt-Weſen in gedachter Stadt Nürnberg beſchaffen. His accedunt Diſſertationes Bechmanni, Ledereri, Reichii, Feſchii, Canſtadii, Cocceji, Ludwigii, Wildvogelii, Hoffmanni, Fritſchii, Wittii, Miethii & Harprechtii de Poſtis rebusque affinibus conſcriptæ. Denique excerpta ex variis Autoribus deſumta ac ſuis ſingula numeris diſtincta ſequuntur. Ceterum huic Collectioni adjungi non immerito poterit, quæ nuper admodum Giſſæ Haſſorum prodiit, *ſuccincta Demonſtratio, S. Rom. Imp. Principem, Dominum Eugenium Alexandrum de Turre & Taſſis, in poſſeſſionem Juris Poſtarum per Belgium Hiſpanicum, qua per bellum hocce & antea dejectus fuit, reſtituendum eſſe.* Sed de hoc ut pluribus agamus, ab inſtituto noſtro alienum eſt.

C. VETTI AQVILINI JUVENCI, HISPANI Presbyteri, Hiſtoria Evangelicæ Libri III, cum Notis integris Georgii Matthiæ Kœnigii, Magni Danielis Omeiſii & Chriſtiani Schœttgenii; itemque Jodoci Badii Aſcenſii, Georgii Fabricii aliorumque ſelectioribus. ERHARDUS REUSCH recenſuit, & Memoriam Omeiſianam cum duobus Indicibus adjecit.

Francofurti & Lipſiæ, apud Wolfgangum Michahelles, Bibl. Norimb. 1710, 8.

Alph. 1 pl. 14.

DIu eſt, quod nullam hujus Poetæ editionem vidit Orbis eruditus, quam tamen jacturam optima hac editione reſarcire voluit Cl. Editor. Varia autem hujus editionis fuit fortuna. Primo enim Joannes Saubertus filius Juvenci editionem molitus eſt, ejusque etiam in ſcriptis ſuis ſpem fecerat, ſed cum propter impedimenta quædam id præſtare non potuiſſet, Omeiſius veterem aliquam ejus editionem ex bibliotheca

Digitized by Google

illius ſibi comparavit, ad quam ex MS. Helmſtadienſi notatæ erant variæ lectiones. Idem poſtea a Kœnigio, qui Poetam hunc auditoribus ſuis publice prælexerat, notas accepit, ipſe quoque prælectionem ejus publicam & ſimul editionem aggreſſus. Sed mors in cauſa fuit, quo minus ipſam editionem procurare potuerit, adeoque ſpartam hanc paullo ante obitum Cl. Reuſchio obtulit, qui dum id ageret, interea etiam a doctiſſimo Schœttgenio noſtro obſervationes nactus eſt, quas cum ſuis & reliquis debito ordine textui ſubjecit. Sequuntur Præfationem variorum Autorum, tum veterum, tum recentiorum de Juvenco teſtimonia, nec non Catalogus Editionum & Codicum MSS. In ipſis ad Poetam animadverſionibus plura occurrunt, quæ ad illuſtrandam Philologiam tam ſacram quam profanam pertinent. Ita varias habemus verborum ſignificationes exemplis confirmatas, e. g. 1. 432 Poeta *maculoſum textum* pro reti poſuit, ubi in notis obſervatur *maculam* ab optimæ notæ ſcriptoribus pro reti fuiſſe poſitam, tanquam partem pro toto, noſque vocem ei ſimilem in noſtra lingua retinere, eine Maſche oder Schmaſche. *Arcem* pro quavis ſummitate poni oſtenditur ad 2. 281. Apud Scriptores Eccleſiaſticos peculiares ſignificationes obſervantur in verbo *tenere*, quod notat credere, ſtatuere, ad 1. 210. *Affectus* iisdem ſunt cognati, propinqui, erga quos ſingulari amore affici debemus, ut oſtenditur 3. 547. Ex Hebræa lingua petita eſt notio vocis *ructare*, pro eloqui, ſicut radix רחש uſurpatur Pſalm. XLV, 1: *Eructavit cor meum verbum bonum*; qualiter etiam radicem Hebraicam & Syriacam נבע verti obſervatur ad 2. 834. Ex antiquitatibus profanis obſervatur ad 3. 719, *Actores famulos* apud Romanos fuiſſe, qui reditus a colonis exigebant, rationemque deinceps dominis reddebant, & villici fere munia obibant in familia urbana. Quid *ſigma* ſit, oſtenditur 3. 616, ubi Poeta verba Servatoris de vitanda *πρωτοκλισία* efferens ait:

Cornibus in ſummis devitet ponere membra.

Cornua ſunt duæ ſummitates in ſigmate literam Græcam C præſentante, ubi qui accumbebant, primum locum occupabant.

bant. Ad ſacram literaturam ſive Philologiam N. T. ſpectant quampłurima in hunc Poetam annotata, ex quibus ſpeciminis loco ſequentia tantum delibabimus. Lucæ II, 14 in cantico Angelorum, ubi legimus: ἐπὶ γῆς εἰρήνη, ἐν ἀνθρώποις εὐδοκία, videtur Poeta ſecutus eſſe aliam lectionem, quæ omiſſa diſtinctione legit εὐδοκίας, ut ita homines τῆς εὐδοκίας ſint juſti, boni, pii, ſcil. in quibus Deo beneplacitum eſt. Nam Noſter verba hæc ita vertit:

In terris juſtos homines pax digna ſequatur.

Ἄρτον ἐπιούσιον Noſter 1. 595 videtur de ſpirituali pane intelligere, quia eum cum epitheto *ſanctum* vocat. Per κάμηλον non funem ſed animal intelligit, dum verba hunc in modum effert:

Nam citius tenuis per acus tranſire foramen
Deformis poterunt immania membra cameli.

Matth. XX poſt v. 28 in quibusdam Codd. MSS. leguntur hæc verba: Ὑμεῖς δὲ ζητεῖτε ἐκ μικροῦ αὐξῆσαι καὶ ἐκ μείζονος ἔλαττον εἶναι &c. quæ integra lege in notis ad 3. 615. Tali codice inſtructus fuit etiam Juvencus, qui hæc ita reddidit:

At vos ex minimis opibus tranſcendere vultis,
Et ſic e ſummis lapſi comprenditis imos.

Τὸ βδέλυγμα τῆς ἐρημώσεως quomodo Poeta 4. 121 intellexerit, non facile pervidere poſſumus. Nam in eo verſu:

Adveniet jam tunc triſtis defectio terræ;

Alii legunt *defletio*, alii *deflexio*, alii *dejectio*. Quodnam ex his vocabulo ἐρημώσεως proximum ſit, inter interpretes dubium eſt, cum quævis harum lectionum bonam admittat explicationem. Admiſit tamen Cl. Editor in textum vocem *defectio*, quæ ex illius mente notat diſceſſionem militis a duce & h. l. populi diſceſſum ex regione & patria ſua. Unum adhuc notamus, nempe notam Kœnigii ad hunc verſum 3. 270:

Tunc Chriſtus cunctis arridens pectore blando.

Quæ ita ſonat: *Chriſtum aliquando riſiſſe non legitur; fleviſſe legimus. Fuiſſe tamen* ἀγέλαστον, *haud facile dixerim.* Cui & nos pollicem premimus. Nam cum riſus perinde ac fletus ad imperfectiones humanas pertineat, quas noſtri cauſa Servator

tor ſuſtinuit, & præterea indifferens ſit, h. e. ſine peccato fiat, cur non dicamus Servatorem etiam riſiſſe, licet in ſacris literis non legatur? Plura producere ſupervacaneum erit, quippe cum hæc ex multis allata ſpecimina ſufficere putemus ad oſtendendam tum ipſius Poetæ, tum etiam notarum utilitatem. Quoniam autem Cl. Editori placuit, Memoriam Omeiſianam adjicere, vitam quoque hujus ex ea paucis apponemus. Natus eſt Vir Celeberrimus Magnus Daniel Omeiſius Noribergæ 8 Id. Sept. 1646, patre Jo. Henrico Omeiſio, Presbytero Sebaldino, matre vero Gertruda, Jo. Sauberti Jun. filia. In ipſa pueritia poſt chriſtiana ſacra ſtudiorum etiam fundamenta jecit in Schola Sebaldina, ex qua poſtea ad Ægidianum Gymnaſium translatus eſt, ibique Dilherri præcipue & Arnoldi ductu magnos in ſtudiis profectus fecit. Porro eosdem in Academia Altdorfina proſequens, 1667 Magiſtri Philoſophiæ honores nactus eſt, & a Sigismundo a Bircken in Societatem florigeram ad Pegneſum receptus. Poſtea a ſummis viris ad formandas filiorum mentes receptus eſt, in quo ſe ſtrenuum & fidelem adeo præſtitit, ut a quodam Patronorum Reipublicæ Norimbergenſium ad ſubeundam in Academia Altdorfina Eloquentiæ Profeſſionem commendaretur, quam & A. 1674 magno cum ſtudioſæ juventutis applauſu pariter & utilitate adiit, cui poſtea quoque 1677 Morum Profeſſio adjuncta eſt. Anno porro 1691 a glorioſiſſimo Imperatore Leopoldo, intercedente Sereniſſimo Electore Moguntino Anshelmo Franciſco, Comitis Palatini dignitatem ſortitus eſt, cui paullo poſt alia accedebat, dum a Societate ad Pegneſum Præſes conſtitutus eſt. Mortuo A. 1699 Cel. Kœnigio acceſſit etiam Profeſſio Poeſeos & A. 1704 Beneficiariorum Noricorum Inſpectio, præterea faſces Academici binis vicibus ab eo fideliter adminiſtrati. Conjugem vero habuit Mariam Dorotheam Roſtiam, quæ Luciferi Fano ex Hiſpania oriunda, vidua vero Conradi Pilnhuberi fuit, ex qua filium unicum ſuſtulit, quem poſt breve tempus Deo ſuo reddidit. Ad obitum ejus quod ſpectat, ab A. 1705 debilitatem capitis paſſus eſt, a quo tempore licet ad labores redire licuerit, ſenio tamen accedente debilior factus

eſt,

Digitized by Google

eſt, donec A. 1708, qui ipſi erat Climactericus, placida & beata morte obiit, ea nocte, quæ inter diem 22 & 23 Novembris intercesſit. Sequuntur hanc Memoriam duo Indices in Juvencum, quorum alter eſt rerum, alter verborum, quibus etiam libellum διττογραφίας adjungere voluit Cl. Editor, ſed a Bibliopola ad nundinas Francofurtenſes properante, quo minus hoc faceret, prohibitus fuit.

HORATII TURSELLINI DE PARTICULIS Latinæ orationis libellus locupletatus a B. JAC. THOMASIO, nunc collocupletatus a IO. CONRADO SCHWARTZ.

Lipſiæ, apud Jo. Ludov. Gleditſch & Maur. G. Weidmann, 1709, 8. Conſt. Alph. 4.

QUi novam hanc editionem nobis dedit Turſellini, eſt Cl. Schwartzius, qui & Plagium literarium ſcripſit, & demonſtrationes Dei, quem ratio docet & Scriptura ſacra. Quod utrumque ſcriptum bonæ frugis & judicii plenum eſt. In hoc autem Turſellino plurima menda, quæ in ſuperiores editiones irrepſerant, delevit; loca ſcriptorum, unde particularum Latini ſermonis uſus diſcendus eſt, diligenter evolvit, & in decenti integritate annotavit; errores Turſellini modeſte retexit & correxit; uſu trita ab inuſitatis diſcriminavit; interpretationem Germanicam, ſi quando opus fuit, expolivit; plurimas novas obſervationes inſeruit. In ſumma, ut quam pleniſſimus & accuratiſſimus fieret Turſellinus, præſtantiores Scriptores Latinos data opera perlegit, commodis ſtudioſorum Latinæ linguæ unice ſerviturus. Nunc fama eſt, eum in illuſtrandis veteribus Rei Ruſticæ ſcriptoribus, Catone, Varrone, Columella, Palladio verſari, & magnam cum ad ipſos, tum eorum commentatores atque explicatores induſtriam adhibuiſſe. Quas lucubrationes quam primum videre optamus.

HISTORIA MORBORUM, QVI ANNO MDCCII Vratislaviæ graſſati ſunt, a Collegio Academiæ Leopoldinæ

Digitized by Google

Naturæ Curioſorum Vratislavienſi in lucem edita.

Vratislaviæ & Lipſiæ, ſumptibus Chriſtiani Bauchii, 1710, 4.
Conſtat Alphab. 1 plag. 8.

POſt longum ſatis atque diuturnum ſilentium, quod tam Clinici quam alii literarii labores imperarunt, non deferbuiſſe ſuum in Artem nobiliſſimam affectum & ſtudium, nunc denuo teſtatur Academiæ Naturæ Curioſorum Leopoldinæ Collegium Vratislavienſe, quod Hiſtoriæ morborum Vratislavienſium Continuationem, annum ſcilicet quartum, nunc offert, prioribus inſiſtens veſtigiis. De qua pro more noſtro pauca commemorabimus.

p. 49. Quoniam in inteſtinis eorum, qui flatibus vexari levi data occaſione ſolent, deprehendimus, inquiunt, majorem ineſſe flacciditatem ac remiſſionem tenſionis illius, qua motum periſtalticum abſolvunt, putare licet, flatus excitari, quando in inteſtinis reperiuntur fermenteſcibilia ad diffuſionem & expanſionem elaſticam apta, & inteſtina in hac illave voluminis ſui parte non ita tonice tenſa ſunt, ut halituoſæ fermenteſcibilium diffuſioni obnitantur, ſed ita flaccida exiſtunt, ut expanſioni facile amplius concedant ſpatium. Quodſi præterea fermenteſcibilia in inteſtinis præſentia hiſce irritatione, acrimonia, acore, aut alio modo infeſta ſunt; absque dubio ſpasmodicæ contentiones ad amovendum & eliminandum ea, quæ moleſta ſunt, in inteſtinis fiunt, unde contingit, uno eodemque tempore, ut in hac inteſtinorum parte tonus intendatur, in altera vero remittatur. Quando vero portio illa inteſtinorum, quæ relaxatam partem excipit, etiam ſpasmodice contrahitur, & hoc pacto illa a flatibus propter tonum remiſſum debilitata pars inteſtini utrinque & in ſuperiori & inferiori regione cingitur a ſtrictis & ſpasmodice contractis inteſtinorum partibus, fieri profecto aliter nequit, quin flatus incarcerentur, & tormina ac dolores diſtenſorii & quaſi ruptorii ſentiantur; dum nimirum flatus vi ſua elaſtica contentioni inteſtinorum renituntur. Arduum vero eſt definire, an halituoſa illa ſubſtantia,

Digitized by Google

tia, quam flatus dicimus, aqueæ an vero aereæ ſit indolis, cum ſequeretur, ſi aereæ ſit proſapiæ, carnem bubulam omnium maxime eſſe flatulentam, eo quod, teſte Boyleo, ex nullo propemodum alimento major aeris copia educi poſſet. Præterea annon radix cervariæ arefacta cum vino decocta & pedibus p. 56. applicata dolores podagricos demulceat, probandum commendatur practicis. Quoad ſtrabiſmum, modo congenitus 60. modo aſcititius is eſt; ille in eo conſiſtere videtur, quod humor cryſtallinus pupillæ non recte opponatur, ſed in utroque oculo vel ad latus, aut ſurſum aut deorſum verſat & declinet. Eo ipſo autem fit, ut ille non ſecundum lineam rectam ſed obliquam rebus videndis opponatur. Apud alios vitium non tam in depravato humoris cryſtallini ſitu hæret, quam in prava muſculorum oculos moventium diſpoſitione ac conformatione, qua fit, ut oculus non in ſitu æquali contineatur, & præterea neceſſaria muſculorum ſympraxis lædatur. Quando enim hæc pervertitur, & hic vel ille muſculus antagoniſtam ſuum ſuperat, eidemque præpollet, eo ipſo, dum oculum nimis in ſuas trahit partes, viſionem diſtortam efficit, & ſi in utroque oculo id eveniat, ſtrabiſmum inducit: quemadmodum autem talis ſtrabiſmus nulli ſubjacet curæ, ita qui per pravam conſvetudinem contrahitur, non adeo facilem admittit medelam. Sequens hæmoptyſi medendi methodus ab 63. amico communicata aliquoties bono cum ſucceſſu adminiſtrata fuit. Scilicet ſequens Mixtura Hor. VII matutina & III pomeridiana exhibetur doſi 40 gutt. Rec. Eſſ. milleped. mum. exot. ana ʒß. Scord. Tinct. bezoard. ana ʒj. Tinct. Maſſ. pil. de cynogloſſ. gut. xx. M. Hora X matutina & VI pomeridiana ſequens eadem doſi: Rec. Tinct. ♁ ∽ C. C. ana ʒiß. M. Veſperi datur pulveris ſequentis ʒj. Rec. Bol. Armen. præp. Terr. ſigill. mum. veræ, ſangv. Drac. ſpermat. cet. ana ʒij. ſpec. diatrag. frig. ʒj. ſpec. Maſſ. Pill. de Cynogloſſ. ℈j. M. In eruptione violentiori ex ſpec. de hyacinth. ℈ß. quocunque tempore oblatus eſt. Sin vero hoc medicamento ferocia effuſionis non mitigaretur, mox hoc pulvere iſta domita fuit: Rec. Spec. Maſſ. Pil. de cynogloſſa, ocul. 69 ana ℈j. M. Ta-

Pag. 14. cemus alia, quæ non minus digna eſſent, quæ referrentur, e.
36. g. cum de Apoplexiæ differentia ab aliis morbis congeneribus,
72. & diverſa ejusdem cura inter Methodicos & Modernos: de
73. Menſium ſuppreſſionis cauſis & cura: de fluxu ſanguinis in
99. gravidis: de venæ ſectionis utilitate in raucedine: de curis
103. vernalibus inſtituendis præſervatoriis: de fluoris albi & go-
194. norrhœæ muliebris differentia diſſeritur. Legi etiam meren-
205. tur obſervationes de febre quintana, ſeptimana, octana, &
214. hæmorrhoidali, ut & de prima ſpecie morbi ab Hippocrate
Craſſi appellati, quo nomine incrementum totius corporis vel partis in molem ex multa humorum pravitate impactorum parti vel diffuſorum per univerſum corpus complexus eſt.

EUCLIDES REFORMATUS,
ſive
PLANA ET SOLIDA GEOMETRIÆ ELEMENTA.
Autore ANGELO DE MARCHETTIS, *Regiæ Celſitudinis FERDINANDI Hetruriæ Principis Mathematico ac in Piſana Univerſitate Scientiarum Mechanicarum Profeſſore.*

Liburni, apud Jacobum Valſis. 1709, 4.
Conſtat 1 Alph. 10 plag.

PLures jam elapſi ſunt anni, ex quo Cl. Autor rationis & proportionis naturam ac proprietates nova methodo publice demonſtravit, uti videre licet in Actis A. 1696 p. 244, 245. Cum itaque intelligeret, Viris egregiis, quos inter Dn. Abbatem, *Stephanum de Angelis*, *Dominicum Gulielmini* & *Franciſcum Spoleti* refert, inſtitutum ſuum probari; libellum modo laudatum ex patrio idiomate in Latinum transferre decrevit, ut exteri quoque ad ejus lectionem admittantur. Quoniam vero & circa reliqua *Euclidis* elementa emendanda non inanem operam collocaverat; integram Geometriam elementarem enucleandam ſibi ſumſit. Hinc enatum eſt præſens, quod commemoramus, opus. Iſtud evolvens reperies, quod ex theorematum numero in numerum axiomatum & ex proble-

blematum numero in numerum poſtulatorum propoſitiones nonnullas retulerit, quarum, utpote per ſolum definitionum intuitum evidentium, demonſtrationem cum *Euclide* contexere ſupervacaneum duxit. Paucas etiam propoſitiones ſuperaddidit, quæ in *Euclide* non habentur, vel quod faciliores demonſtrationes ſuppeditent, vel quod ad reliqua Mathemata tractanda eorum cognitio requiratur. Contra vero eas omiſit, quarum cognitio tyronibus non usque adeo neceſſaria videri poterat. Factum hinc, ut ordinem Propoſitionum *Euclidearum* immutaverit, quanquam operæ pretium fecerit, quod a latere notarit, cuinam *Euclideæ* quælibet ſuarum reſpondeat. Libro itaque ſecundo explicat, quæ Elementum tertium conſtituunt. Tertio proportionum doctrinam tradit: quarto figurarum proportionem examinat, *Euclidi* in Elemento ſexto expenſam. Quinto figuras circulo inſcriptas & circumſcriptas conſiderat, ubi una propoſitionum Elementi ſecundi oculares fere demonſtrationes affert & ex Elemento decimo tertio ſectionem divinam atque rationem lateris figurarum regularium ad diametrum circuli, cui inſcribuntur, adducit: ſeptimo denique ad Geometriam ſolidorum progreditur, Elementis undecimo & duodecimo comprehenſam. Quæ autem Elementis 7, 8 & 9 de numerorum proprietatibus occurrunt, quæque in Elemento decimo de ſolidis regularibus ſphæræ inſcribendis & circumſcribendis habentur, prorſus omiſit, quod ad alia majoris ponderis intelligenda non omnino neceſſaria ipſi fuerint viſa.

Vollſtändige Anleitung zu der Perſpectiv-Reiß-Kunſt.

hoc eſt,

***PERSPECTIVA PRACTICA, AB ANONYMO Societatis Jeſu Pariſiis primum edita, nunc vero ex idiomate Gallico in Germanicum translata a JOHANNE CHRISTOPHORO* Rembold.**


Auguſtæ Vindelicorum, apud Jeremiam Wolfium, 1710, 4.
Conſt. 1 Alph. 13 plag.

DE Germanis optime meriturus *Johannes Boxbarth*, partem primam Perſpectivæ *Andreæ Putei* Auguſtæ Vindelicorum A. 1706 recudi curavit, textu Autoris Gallico in Germanicum idioma translato & figuris imminuto modulo contractis. Idem anno ſuperiore in parte altera præſtitit *Georgius Conradus Bodenter*. Horum exemplo dubio procul excitatus Autor Germanicam operis Gallici de eodem argumento verſionem dedit, quod ab Artis peritis palmam fere reliquis præripere judicatur. Utut enim Gallus Anonymus praxin potiſſimum tradere intendat, principia tamen totius Artis theoretica ad captum eorum, quos Ars noſtra juvat, una ponit. Tota nimirum parte prima, definitionibus terminorum, tam in Geometria, quam Perſpectiva uſitatorum, præmiſſis, Geometrica quædam problemata explicat, radiorum naturam & phænomenorum nonnullorum opticorum rationes examinat, & quibus fundamentis Perſpectiva tota nitatur, ita ediſſerit, ut nihil afferat, quod non ad praxin momentum quoddam afferat, lucemque ipſi uberrimam affundat. Parte altera Ichnographiam figurarum omnis generis conficere docet; tertia orthographiam corporum explanat & ſingularia artificia practica ſubnectit; quarta in proportionem rerum delineandarum inquirit, quæque circa homines, ſtatuas, animalia delineanda obſervari debeant, annotat; quinta denique de umbra, quam ad lucem Solis atque lumen candelarum projiciunt corpora, tractat. Ad praxin itaque rationalem qui adſpirant, a Geometricis autem demonſtrationibus abhorrent; ad operis utiliſſimi ac nitidiſſimi lectionem facile invitantur. Tot figuras æri inciſas in eo reperies, quot folia: quæ quamvis ad ſplendorem editionis Gallicæ non omnino accedant, nitore tamen ſuo minime carent.

APODIXIS ANALYTICA, QUA FERDINANDUS ERNESTUS Comes ab HERBERSTEIN centri gravitatis

Digitized by Google

tatis adminiculo Sphæræ ſuperficiem Circuli ejusdem Sphæræ maximi quadruplam eſſe demonſtrat.



PRæclarum illud atque admirabile Theorema, quo immortale nomen apud Geometras conſecutus eſt Archimedes, dum ex Analyſeos Speciosæ principiis demonſtrare aggredior, argumentum, ut opinor, ſuſcipio eo tractari dignius, quo certius, neminem hactenus Geometrarum id directe præſtitiſſe. Quanquam enim elegantes ſint acutiſſimi Sturmii conatus, *Prop. 39 Matheſ. Enucl.* circa nobiliſſimum hoc Theorema occupati, in propatulo attamen eſt, eundem hanc veritatem, poſtquam cylindri ad Sphæram ſibi inſcriptam proportionem methodo indiviſibilium demonſtraſſet, per modum Conſectarii ſolummodo deduxiſſe. Aliam proinde ſemitam ingreſſus, viam circulationis contemplor, quam centrum gravitatis R motu ſuo abſolvit, dum interim ſemicirculus ADB ſui circumvolutione Sphæram generat; cum etenim ex illis, quæ P. Guldinus, inſignis e Societate Jeſu Geometra, de centro gravitatis demonſtravit, ſuperficiem Sphæræ, facto ſub via circulationis & ſemicircumferentia circuli maximi ADB æquari ſit manifeſtum, adhibito calculo Analytico, quæ ſuperficiei Sphæricæ ad Circulum ejusdem Sphæræ maximum ſit proportio, pariter innoteſcet. Eſto itaque ſemiperipharia $ADB = x$. $AB : ADB = Z : y$, erit proinde $xy : z = ADB : AB = : (zx : y)$ atqui adeo $QD = ZX : 2y$; Eſt autem: $AD : QD = QD : QR$, hoc eſt, $\frac{1}{2}x : (zx : 2y) = (zx : 2y) : (z^2x : y^2)$ obtinebitur itaque via circulationis, ſi fiat $\frac{1}{2}z : y = (z^2x : y^2) : (2zx : y)$. Quare ſuperficies Sphæræ æquabitur $zzx^2 : y$, Circulus autem ejusdem Sphæræ maximus erit $zx^2 : 2y$. Porro:

$2 : \frac{1}{2}$

$2 : \frac{1}{2} = 4 : 1 = (2zx^2 : y) : (zx^2 : 2y.)$ Eſt igitur ſuperficies Sphæræ quadrupla circuli ejusdem Sphæræ maximi. Q. E. D.

RETICULUM NOVUM PRO OBSERVANDIS ECLIPſibus, exhibitum ab A. C. G. Prof.


Cum Micrometri, ab Ill. Hugenio inventi, & a Piccarto aliisque magis magisque perfecti, utilitates in obſervationibus Aſtronomicis longe ſint maximæ, idem & Eclipſibus maxime Lunaribus adhibere conati ſunt Eruditi. Etenim methodum illam qua ſideris imago in loco obſcuro tabula alba & ſex circulis concentricis diſtincta excipitur, non niſi in Solaribus, minus vero in Lunaribus, eclipſibus ob ejus luminis imbecillitatem locum habere advertentes, Micrometrum in ſubſidium vocavere, cujus ſex fila immobilia diametrum Lunæ Solisve comprehenderent, mobile vero filum, in media diſtantia inter fila immobilia poſitum, ſingulos digitos Eclipſis indicaret.

Aſt quoniam Solis aut Lunæ diameter apparens vix eadem in Eclipſibus recurrit, ideoque pro ſingulis Eclipſibus nova diviſio Micrometri inſtituenda eſt; novum Reticuli genus excogitare coactus fuit Obſervator ſolers & ingenioſus Dominus de la Hire, parando Teleſcopium, quod loco unius vitri objectivi e. g. 8 pedum, habeat duo objectiva, foci 16 pedum, quæ conjuncta dant focum 8 pedum. In foco vero teleſcopii figit laminam vitream planam, in qua ope adamantis circulos deſcribit concentricos, quorum diſtantiam, ut & ſitum lentium objectivarum (quo Solis Lunæve diametrum ad datum tempus circuli exacte includant) per calculum & ambages licet ingenioſas edocet.

Has ambages evitaturus, paravi aliud Reticulum, quod paria cum ſuperiori præſtiturum, ſua vero ſe ſimplicitate commendaturum, confido.

Ex quatuor Regulis æneis Parallelogrammum ad angulos mobile paravi in foco teleſcopii ad E & F firmandum; poſtquam vero methodo alias nota, diametrum maximam Lunæ,

næ, in foco teleſcopii mei apparentem i. e. Reticuli diametrum inveni, hanc in latera oppoſita ab A. ad B. item a C. ad D. transtuli, ſpatiumque intermedium in 12 partes per fila ſerica diviſi, quæ darent digitos eclipticos. Jam vero ſtatim apparet, quod ſi Diameter ſideris minor ſit (nam maximam adſumſeramus) ideoque & digiti arctiores evadant, nil aliud requiratur, quam ut latus E F leni ductu parum vel ſurſum vel deorſum promoveatur, donec fila extima diametrum Lunæ accurate includant, ſpatiis intermediis ſimul proportionaliter coarctatis. Si accuratiſſimum cupis Machinulæ motum, illum cochlea obtinebis.



ANTIQVITATES GANDERSHEIMENSES,

Oder

Hiſtoriſche Beſchreibung des uhralten Kayſerlichen Freyen weltlichen Reichs-Stiffts Gandersheim ꝛc.

hoc eſt,

HISTORICA DESCRIPTIO PERANTIQVI

 liberi

liberi Imperialis ſecularis Monaſterii Gandersheimenſis; Autore JOANNE GEORGIO LEUCKFELD, *Paſtore Primario Groningenſi.*

Guelpherbyti, apud Godofredum Freytagium, 1709, 4.
Alphab. 2 plag. 17 fig. æn. 13.

Hactenus a ſe editis Antiquitatibus variis, quarum in Actis noſtris plus vice ſimplici facta eſt mentio, ſubjunxit *Cl. Leuckfeldius* has etiam *Gandersheimenſes* ſeu *Gandeſianas*, nec non *Ilfeldenſes*, mox memorandas. Has autem Antiquitates Gandersheimenſes ut componeret, eo imprimis ſe permotum fuiſſe, ait Autor, quod pauca de Cœnobio hoc Imperiali libero typis expreſſa reperiantur, nec ſufficiant, quæ Celeberrimus quondam Helmſtadienſium Medicus & Polyhiſtor, D. Henricus Meibomius, in Syntagmate de Monaſterio hoc idiomate Latino ediderit, & quæ a Johanne Leznero, nec non M. Michaele Rupio, conſignata, nondum autem prelo ſubjecta fuerint. Accurate vero Leuckfeldius de ſingulis, quæ ad Cœnobii Gandersheimenſis delineationem faciunt, ediſſerit, de loco ſcilicet, ubi iſtud exſtructum, de fundatore ejusdem, de cauſa & occaſione illud erigendi, de tempore hujus fundationis, de inauguratione, fatis, ædificiis, privilegiis, feudis, Abbatiſſis, Decaniſſis, Canoniſſis (ſpeciatim de erudita illa *Hroswita* ejusque ſcriptis) Advocatis, Superintendentibus Generalibus, Diaconis, Compaſtoribus, Rectoribus Scholæ, aliisque celeberrimi hujus Monaſterii memorabilibus. Fundator nimirum ejus fuit *Ludolphus*, Saxonum Dux inclytus, ſepultus ibidem in ſacello S. Stephani, in cujus, nec non Conjugis ipſius Sereniſſimæ *Odæ* memoriam tabula quædam cum utriusque imaginibus ſequentia lectoribus exhibet verba:

Pag. 19. Da man thât ſchreiben 800 Jahr/
Und 53 die Jahr-Zahl war/
Der tapffre Held **Ludolph** genannt/
Der erſte Hertzog in Sachſen-Land/
Und **Oda** ſeine Frau Lobeſan/
Diß löbliche Stifft erbauet han.

Superintendentes Generales, qui Eccleſiæ Cœnobii Gandeſiani præ-

præfuerunt, hoc recenſentur ordine: *Hermannus Hamelmannus*, autor ille Chronicorum Oldenburgenſium notiſſimus; *D. Nicolaus Selneccerus*, Superintendens quondam Lipſienſium meritiſſimus; *D. Timotheus Kirchnerus*; *M. Valentinus Greſerus*; *M. Michael Rupius*; *Reinerus Schraderus*; *M. Joach. Pœlingius*; *M. Julius Satlerus*; *M. Joh. Wilb. Majus*; *L. Joh. Hackemannus*; *Luderus Gerhard Wettbergius*; *Joh. Georg. Wernerus*, & *Henr. Chriſtianus Behmius*, quorum omnium hic deſcribitur vita, mors animique indoles, allegatis & eorundem, ſiquæ compoſuerint, ſcriptis. Hos excipiunt Diaconi, Compaſtores & Ludi Rectores, nominibus ſuis expreſſi. In fine Chronicon aliquod de hoc Cœnobio ligata oratione conceptum, & a Canonico quodam ejus Eccleſiæ, *Eberhardo*, A. 1216 e Latina in Germanicam linguam translatum; ut & *Hroswitæ* Canoniſſæ Gandersheimenſis ſupra laudatæ *Carmen* Latinum *de conſtructione Cœnobii Gandersheimenſis*, hactenus ineditum diuque deſideratum, Cl. Autor adjecit. Et idem plane carmen ab Ill. Leibnitio in Tomum II Scriptorum Brunſuicenſia illuſtrantium, (qui nondum quidem hactenus integer excuſus propediem tamen una cum tertio proditurus eſt) relatum fuiſſe, in Actis jam tum anni MDCCVIII p. 487 ſeq. nuntiavimus.

p. 309. ſeqq.

351.

ANTIQVITATES ILFELDENSES, Oder Hiſtoriſche Beſchreibung des Cloſters Jlfeld ꝛc. hoc eſt, *HISTORICA DESCRIPTIO COENOBII ILfeldenſis; Autore JOHANNE GEORGIO LEUCKFELD, Paſt. Prim. Groning.*

Quedlinburgi, apud Theodorum Philippum Calviſium, 1709, 4. Alphab. 1 plag. 10.

IN Dedicatione hujus libri, ad quosdam Eccleſiæ Miniſtros directa, deſcribit Cl. *Leuckfeldius* patriam ſuam *Heringam*, in *aureo arvo*, ut vocant, (güldene Aue) Comitatus Stolbergenſis ſitam, enarratis fatis ejusdem variis, ut & omnibus ejus loci

Paſtoribus Primariis, Archi-Diaconis atque Diaconis. De ipſo autem Cœnobio Ilfeldenſi ita agit, ut perpendat illius antiquitatem, ſitum, conditionem, nomen, inſtitutionem, Ordinem, Eccleſias, Privilegia, Dominos, Fundatores, Abbates, Adminiſtratores, Evangelicos Sacerdotes, Scholæ Rectores, Con-Rectores, Alumnosque & alia, inſertis variis Obſervationibus, Diplomatibus, literis, figurisque æneis. In fine adjecta eſt *Ilfelda Hercynica* a M. Laurentio Rhodomanno anno 1581 carmine Latino deſcripta. Quemadmodum vero ubique ad cognatas materias pulcre excurrit, ita hiſtoriam quoque & genealogiam Burggraviorum Kirchbergenſium p. 60 ſeqv. accurate recenſet. Inter Rectores Ludi Ilfeldenſis notandus imprimis celeberrimus *Michael Neander*, cujus non minus ſcripta, edita pariter ac inedita, quam vitam, p. 197 & ſeqv. Autor noſter expoſuit. Ex alumnis quoque ejusdem Scholæ magnum conſecutus eſt nomen *Joh. Henr. Hofmannus*, cujus proinde *Leuckfeldius* p. 212 ſeqv. deſcripſit vitam, allegatis inſimul libris ab ipſo conſcriptis.

Müglische Ehren- und Gedächtniß-Seule.

h. e.

MONUMENTUM MUGELLENSE; AUTORE IOHANNE FIEDLERO.

Lipſiæ, apud Hæredes Friderici Lanckiſii, 1709, 4.
Alphab. 2 plag. 6.

AUtori hujus libri Reverendo, *Joh. Fiedlero*, Eccleſiæ Mugellenſis Diacono meritiſſimo, monumentum aliquod Mugellæ, oppido in Miſnia ſito, erecturo placuit de civitatis iſtius ſitu, ortu, nomine, incolis, fatis & mutationibus variis agere, immixtis quibusdam memorabilibus, quæ non minus in circumjacente Miſnia, quam oppido dicto, belli pacisque temporibus contigere. Cum vero idem hiſtoriam non niſi ad A. 1652 produxerit, eam ad annum usque 1709 continuare non eſt gravatus *M. Daniel Otto Zieslerus*, Diaconus itidem apud Mugellenſes vigilantiſſimus. Oſtendit inter alia *Fiedlerus*, Mugellam vel ipſi *Straboni*, inter antiquiſſimas Germaniæ Miſniæque

que

que incolas Mugillones nominanti, notam, pagumque vel Principatum veterum Svevorum fuiſſe. Dumque Epiſcopos Miſcenenſes, quibus Mugella paruit, recenſet, mentionem facit (p. 41) *Graffthonis* maxime avari, plurimumque temporis numerando pecunias ſuas terentis, & hiſce delitiis die 18 Junii A. 1060 in conclavi ſuo immortui, collo ipſius, ut narrant, a diabolo obtorto. Sed noſtrum non eſt, faſtos oppidi haud adeo celebris curatius evolvere.

NOVA LITERARIA.

PErlatus ex Italia ad nos nuper eſt cum libris novis aliis Diarii novi Veneti, *Giornale di Letterati d' Italia* inſcripti, & ſupra in Novis Litt. M. Aprilis a nobis commemorati, Tomus I, in quo, ſive ordinem & excerpendi ſtudium, ſive typum & reliqua, quæ ejus generis faſtos literarios commendare valent, reſpicias, nihil magnopere deſideraveris. Præmiſere Autores Diarii tum Epiſtolam ad Ferdinandum III Hetruriæ Principem, cujus ſe tutelæ committunt, plura Mediceæ domus propenſi in literatos animi exempla ſimul recenſentes, tum Præfationem perelegantem, in qua potiora Eruditorum, præſertim Italorum, Diaria enumerant, atque id ſibi propoſitum indicant unice, ut, quæ Itali paſſim hoc Seculo vel edidere, vel adhuc prelo parata habent, excerpant accurate aut nuntient. Ceterum trimeſtri quovis ſpatio viginti plus minus plagularum Tomum in 12 edere conſtituere, nova literaria identidem ſub finem liberaliter communicaturi. Enimvero operæ pretium nos facturos exiſtimamus, ſi quæ maxime notatu digna nobis viſa fuerint in hujus Tomi Novis Literariis, huc transferamus.

Venetiis Dominicus Gulielmini, qui de ſanguinis natura & conſtitutione A. 1701, de Salibus A. 1705 & de idearum vitiis, correctione & uſu A. 1707 nonnihil commentatus eſt, *de Principio Sulphureo* Tractatum prelo ſubjecit. Romæ Catalogus Bibliothecæ Cardinalis Imperialis, in quo adornando doctiſſimus Juſtus Fontaninus occupatur, nondum prodiit, quamvis prodiiſſe eum aſſerat Cl. Baſnagius. Ibidem Hieronymus Gigli, qui hoc ipſo anno Tiburi *(in Tivoli) Vita e Profezie del Brandano Saneſe, volgarmente detto il pazzo di Criſto*

vulgavit, in eo nunc eſt, ut edat *Vita di Re Giannino*, h. e. vitam Regis Johannini, (quem Ludovici X Galliæ Regis filium, a nemine fere memoratum, tradit,) ab eodem Cl. Fontanino notis illuſtrandam. Dominicus de Roſſi jam prelo abſolvit opus figuris exornatum: *La Cronologia de Gran Maeſtri dello Spedale della Sacra Religione Militare di S. Gio. Geroſolimitano e dell ordine del S. Sepolcro, oggi detto di Malta*; cui operi vitas ſingulorum adjecit Johannes Baptiſta Brancadori, Senenſis. Ravennæ Petrus Canneti Ambroſii Camaldulenſis Epiſtolas ineditas proxime prelo ſubjiciet, una cum iis quæ ſparſim ſunt editæ, nec non ejusdem Præfationibus & aliorum ad eum Epiſtolis. Patavii Antonius Valliſnieri poſt editum hoc ipſo anno librum: *Conſiderazioni ed Eſperienze intorno al creduto Cervello di Bue impietrito, vivente ancor l'animale*; nunc opus non minus elegans de Generatione vermium in corpore humano parat. Ibidem ſub prelo ſudant triumviri amorum, Catullus, Tibullus & Propertius, cum emendationibus & notis Joannis Antonii Volpe, Pergamatis, Jur. Doct. qui plures etiam Poetarum & Scriptorum veterum editiones, ſi illi minus diſplicuerint, pollicetur. Neapoli Paulus Maria Doria, Nobilis Genuenſis, prelo tradidit de vita civili & educatione Principis librum, vernaculo ſermone compoſitum, ac ſanæ Politicæ regulis refertum: & brevi illic prodibit Dominici de Angelis Vitarum Eruditorum Salentinorum Pars I, eodem ſermone compoſita. Aſtæ imprimitur Jo. Baptiſtæ Vulpini, Aſtenſis, *Spasmologia ſive Clinice inaudita, brevi, facili incruentaque methodo ſaniorum genio adornata*, cui accedent & de vanitate purgationis electivæ. de ſcrutinio urinæ & fecum fallaci & ſordido, de diliriis, ut ait, bilis, & de ſuperſtitione, quæ eſt de diebus criticis, Tractatus quatuor accedent, una cum ejusdem Eraſiſtrato vindicato aut defenſo, quo libro jam olim edito famam Autor ſibi comparavit. Hæc hactenus e Diario novo Veneto, quod ut pari, qua cœptum eſt, induſtria continuetur, ſerio precamur.

LIBRI NOVI.

A*Tlas Novus, exhibens Orbem Terraqueum per naturæ ope-*

opera, hiſtoriæ novæ ac veteris monumenta, artisque Geographicæ leges & præcepta, h. e. Geographia univerſa in ſeptem Partes contracta & inſtructa ducentis fere chartis Geographicis & figuris; Autore R. P. Henrico Scherer, Soc. Jeſu. Auguſtæ Vindel. Dilingæ & Francof. apud Jo. Caſparum Bencard, 1710, 4 maj.

Bavaria Sancta, Maximiliani Sereniſſ. Principis Imperii, Comitis Palatini Rheni, utriusque Bav. Ducis, auſpiciis cœpta, deſcripta eidemque nuncupata a Matthæo Radero, de Soc. Jeſu. Editio nova. Monachii, ſumptibus Joannis Caſpari Bencard, 1704, fol.

Joannis Aventini Annalium Bojorum Libri VII cum doctiſſimorum Virorum quibuscunque editionibus collati, emendatius auctiusque excuſi, quibus ejusdem Aventini Abacus ſimul ac perrarus Franciſci Guillimanni de Helvetia ſeu rebus Helvetiorum Tractatus Lectoris curioſi commodo acceſſerunt, Præfationem curante Nicolao Hieronymo Gundlingio, J. U. D. Sacri Tribunalis, quod in Ducatu eſt Magdeburgico, Conſiliario Regio, Eloquentiæ ac Antiquitatum in Fridericiana Profeſſore Ord. Lipſiæ, ſumptibus Jo. Friderici Braunii, 1710, fol.

Joannis Adlzreitter a Tetenweis, Arcani Conſilii Cancellarii, Annalium Boicæ Gentis Partes III, quibus Hiſtoria a prima Bojorum origine usque ad A. MDCLI, quo Maximilianus Elector Bavariæ deceſſit, continetur. Acceſſere Andreæ Brunneri, e Soc. Jeſ. Annalium Boicorum a primis initiis ad Annum MCCCXI Partes III. Editio nova, ad Monachicas accurate recuſa, novoque indice locupletiſſimo inſtructa; cum Præfatione Godfridi Guilielmi Leibnitii. Francofurti ad Mœnum, impenſis Jo. Friderici Gleditſch, & Filii, 1710, fol.

Miſcellanea Berolinenſia, ad incrementum Scientiarum ex ſcriptis Societatis Regiæ Scientiarum exhibitis edita, cum figuris æneis & indice materiarum. Berolini, ſumptibus Johannis Chriſt. Papenii, 1710, 4.

Muſæum Kircherianum, ſive Muſæum a P. Ath. Kirchero *in Col-*

Collegio Rom. Soc. J. jam pridem inceptum, nuper reſtitutum, auctum, deſcriptum & iconibus illuſtratum a P. Philippo Bonanni, Soc. J. Romæ, typis Georgii Plachi, 1709, fol.

Gemme antiche figurate date in luce da Domenico de' Roſſi colle Spoſizioni di Paolo Aleſſandro Maffei, Patritio Volterrano, Cavaliere dell' Ordine di S. Stefano & della Guardia Pontificia. Parte prima. In Roma, alla Pace, 1707. Parte ſeconda, 1707. Parte terza, 1708. Parte quarta, 1709, 4.

Controverſiæ dogmaticæ adverſus Hæreſes utriusque Orbis, Occidentalis & Orientalis, explicatæ Alumnis ſeminarii S. Pancratii a Rev. P. Fr. Liberio a Jeſu, Carmelita Excalceato &c. in tres Tomos diſtributæ. Tomus I de Eccleſia militante & de prætenſo Primatu Anglicano. Romæ, ex typographia Bernabo, 1710, f.

Agnelli qui & Andreas, Abbatis S. Mariæ ad Blachernas, & S. Bartholomæi Ravennatis, Liber Pontificalis, ſive Vitæ Pontificum Ravennatum. D. Benedictus Bacchinius, Abbas S. Mariæ de Lacroma O. S. B. Congregationis Caſinenſis, ex Bibliotheca Eſtenſi eruit, Diſſertationibus & Obſervationibus, nec non Appendice Monumentorum illuſtravit & auxit. Mutinæ, typis Antonii Capponii, 1708, 4.

Inſtitutiones Theologicæ Antiquorum Patrum, quæ aperto ſermone exponunt breviter Theologiam ſive theoreticam ſive practicam. Tomus I, complectens ſecundum ordinem temporum Opuſcula tum Latina tum Græca, quæ aditum januamque patefaciunt ad Eccleſiaſtica dogmata. Romæ, ex typogr. S. Congreg. de Propag. Fide, 1709, 8.

ERRATA.

Pag. 236 lin. 18 pro quod *lege* enim, *& pro* nolim *lege* velim; *pag. 237 lin. 23 lege* PRAEI'IDII' *&* UEI'PETAS; *lin. ult. lege* Mediceum; *pag. 238 lin. 29 lege* Baſilii; *pag. 141 lin. 13 pro* inſtitui *lege* conſtitui; *pag. 242 lin. 8 pro* bene *lege* pene; *p. 243 lin. ult. l.* adhibitum; *p. 245 lin. 31 pro* &c. *lege* &; *pag. 246 lin. 29 pro* non *lege* nōn; *p. 247 lin. 5 l.* promiſimus.

* *

Digitized by Google

ACTA ERUDITORUM,

publicata Lipſiæ

Calendis Auguſti, Anno M DCC X.

MUSÆUM KIRCHERIANUM, SEU MUSÆum a P. Athanaſio Kirchero, in Collegio Romano S. J. jam pridem incœptum, nuper reſtitutum, auctum, deſcriptum, & iconibus illuſtratum, Excellentisſimo Domino FRANCISCO MARIÆ RUSPOLO, antiquæ urbis Agyllinæ Principi, oblatum a P. PHILIPPO BONANNI, S. J.

Romæ, typis Georgii Plachi, 1709, fol.
Alph. 4 pl. 7 & Fig. æn. plag. 88.

Muſæum hoc jam antea deſcripſit Georgius de Sepibus, Cuſtos ejusdem & elaborandis machinis opifex, eo libro qui Amſtelodami ſub titulo: *Romani Collegii Soc. Jeſu Muſæum celeberrimum*, A. 1678 perexiguo volumine in fol. prodiit & Kircherianis operibus vulgo adjungi conſuevit. Verum non tumultuarie modo progreſſus in eo eſt Autor, ſed non pauca etiam, tanquam revera Muſæum ornarent, jactavit, quæ illi inferre cogitatione ſaltem deſtinaverat Kircherus. Poſt hujus fata, cum partim ſuperiorum incuria furtivas quorundam manus invitaret, partim multa ſeu temporis vitio, ſeu quod conſervari non poſſent ſine ingenti ſumtu, perirent: quid mirum, nihil fere præter nomen Muſæo remanſiſſe? Reſtauratum tamen celeberrimi Bonanni curis eſt, translatumque in ædes Collegii, bonarum artium ſtudiis a Gregorio XIII erectas,

Digitized by Google

& præter novum hoc ornamentum Bibliotheca 60000 voluminium inſignes. Hujus itaque en novam deſcriptionem, ab Amſtelodamenſi illa prorſus diverſam. Digeſtum vero eſt opus in Claſſes XII, quarum prima *idola* & *inſtrumenta*, quæ ſacrificiis
TAB. V. Gentilium ſerviere, complectitur. Inſignis hic occurrit tripus marmoreus, qui alatis gryphorum pedibus nixus, & arietino capi-
Fig. 1. 2. 3. te, ex ſingulo angulo ſuperiori prominente, conſpicuus, triplici facie triplicem genium exhibet, prima ſcutum rotundum ſuſtinentem, ſecunda inclinatum ſupra humerum & temonem navis feren-
p. 6. tem, tertia galeam manibus geſtantem. Illum Apollini, poſt partam ejus beneficio victoriam navalem ad Actium promontorium conſecratum, vel vaſis vel cineribus ſacris aſſervandis inſerviiſſe probatur. Formam illius, quam hic depictam dedimus, ut & candelabri marmorei, prope ad eandem accedentis, lucernisque aut cereis ſuſtinendis olim deſtinati, cujus Autor ectypum in Tab. ſua II dedit, plane diſſimilem tripodum & candelabrorum figuris, quas Michael Angelus Cauſeus in Muſæo ſuo Romano & Claudius Molinetus in Muſæo S. Genovefæ ſiſtunt, deprehendimus. Quos parum diſtincte ſua ſubinde exponere amimadvertet, qui contulerit apud Noſtrum p. 9 de ſeceſpita, p. 11 ſeqv. de ſympuviis ſeu ſimpulis, præfericulo, vaſis libatoriis, pateris & patellis accuratius dicta. Inter
Fig. 4. libatoria vaſa illud quoque hic occurrit, quod antiqui vas fictile appellabant, alii cadum vocant, quo aqua in ſacrificiis adhi-
p. 14. benda e fonte Juturnæ hauriri ſolebat, in acutum fundum, ut ſtare nequeat, ideo deſinens, quia ſacra illa unda terram tangi nefas erat. Sæpe id cum urnis cinerum confundi vero eſt ſimillimum, cum multæ illarum, quales & Noſter Tab. XXXIII ſpectandas præbet, formæ ſint plane ejusdem. Cum porro Deorum ſimulacra proſequitur, occaſione Bacchi Bifrontis, p. 23 unius Solis varias virtutes, modo ſub Dionyſii ſeu Bacchi idolo, modo ſub Hercule p. 24, modo ſub Mercurio p. 25, ſub Serapide p. 26, & Æſculapio p. 27 cultas eſſe, recte monet. Eademque opera, li.et illi quidem hoc propoſitum non ſit, viam ſubinde conjecturis haud inficetis aperit, quibus penetrari nonnulla antiquiſſimæ Philoſophiæ naturalis momenta poſſunt, ſub fabulis

Digitized by Google

TA

Fig.

Digitized by Google

TA

Fig.

Fi

]

Digitized by Google

fabulis plus ſalis, quam vulgo videtur, habentibus occultata. Præcipuæ raritatis eſſe nec ſimile ſibi Romæ habere, affirmat Autor, animal æneum quadrupes taurino capite, & parte poſtica corporis, in collum rurſus caputque vervecinum exeunte. Quo Jovis in iſta animalia metamorphoſin denotari, ſimul opinatur. Nec prætermittendum ſignum muliebre, Lunæ ſemicirculum Solemque capiti ſuperimpoſitum, dextra temonem, ſiniſtra duo copiæ cornua tenens, quod Fortunæ Noſter vindicat p. 27. Sed rectius forte Cereri adjudicaſſet, cum huic Solis Lunæque imago magis conveniat, quæ magnam utriusque in proferendis fovendisque frugibus vim indicat. Et temo quoque Cereri tribui ſolet, ut patet ex numo, quem illuſtris Spanhemius affert in Obſerv. ad Callimachum p. 651, ubi hoc ipſo Deæ hujus in maria potentiam deſignari putat. Præterea Cereris eadem ſæpe ac Iſidis ſymbola eſſe, ne dubitari quidem poteſt; Iſidi vero modo navigia, modo temones tribui, certum eſt, & obſervatum etiam in his Actis A. 1682 p 309. Ceterum nos doctiſſimo Bonanni ſecus ſentienti litem hac de re nequaquam movebimus. p. 27. TAB. V Fig. 5.

Secundam Claſſem *Tabulæ votivæ* & *anathemata* conſtituunt, ex quibus pauca attingemus. Occaſione FLORÆ votivæ illuſtratur familia Plautia p. 61, 62. Tabula, in qua hæc conſpiciuntur: IN. VI. CITE. CE. LE. STI. U. RA. NI. AE. DONA. PO; quæ ita legit Noſter: *Invicta cœleſti Uraniæ dona poſuit*; de Venere explicatur p. 79. Manum æneam, hieroglyphicis figuris utrinque conſpicuam, & ab his, quas Cauſeus propoſuit S. V. Tab. 11, 12, 13, 14, diverſam, repræſentat in Tab. XXV, conjicitque, illam haſtæ præfixam, in Sacris Iſidis, quæ & paſſim Junonis nomine colebatur, circumferri fuiſſe ſolitam. Per expanſam manum beneficentiam Deæ in ſuſtentandis rebus naturalibus indigitari, per lacertam aerem, per ſerpentem ignem, per ranam humidum elementum, per teſtudinem terreſte, per Serapidis caput vim Solis, per vas debitam proportionem in combinandis ad productionem rerum elementis, & per vitem fœcunditatem. p. 71 ſſ.

In tertia Claſſe ſe offerunt *Sepulchra & inſcriptiones ſepulchrales*, ubi iſtarum delitiarum amatoribus haud ingratæ erunt non-

nullæ, in pulcherrimo Inſcriptionum opere Grutero-Græviano nondum obviæ, admiſtæque paſſim obſervationes non ineruditæ. Quales ſunt, quodnam fuerit munus *ab ſacrario D. Auguſti*, p. 100, itemque *a memoria Auguſti*, p. 105, quiſnam fuerit *decurio miniſtratorum*, p. 104, quinam *equites ſingulares*, p. 112, ut & de epulo ferali, in monimento quodam expreſſo, p. 96, 97. Verba inſcriptionis XI p. 103: DIS LI MAN, Cl. Bonannio, ut ipſe teſtatur, nunquam alibi deprehenſa, legit: *Dis Libitinæ* ſeu *Libitinariis manibus.* Hæret autem p. 111 in illa:

DECESSIT TA SOM
JACIS IND TYCHAE
US VIXIT AN. XXX.
M. DUO. DIIS. VIIII.

nec quid ſibi velint verba TA SOM JACIS IND, aſſequi ſe, fatetur. Conſuetudinem cremandi cadavera p. 85 circa A. 138 deſiiſſe putat, quam quidem poſt Antoninorum tempora ſat diu duraſſe, evicit Cl. Ficoroni in Obſervationibus ad Diarium Italicum Montfauconii p. 61, prout nos inde animadvertimus M. Martio hujus Anni p. 116.

Claſſis IV lucernas ſepulchrales exhibet, quæ quidem ad numerum atque elegantiam eorum non accedunt, quas Fortunius Licetus ac Bartoli atque Bellorius conquiſivere. Habet tamen nonnullas, quarum ſimiles apud iſtos Triumviros fruſtra quæſiveris, ut n. 4 Belluarium, n. 18 ſphingem, n. 28 duo cornua copiæ, n. 30 caligam cum clavis, n. 34 elephantem, n. 35 Atlantem. Ante omnes vero inſignis eſt 29, ſigno Pantheo majores Deos omnes, per hieroglyphica cuilibet propria, uno complexu oſtentans.

Claſſis V titulum *fragmentorum eruditæ antiquitatis* præ ſe fert, eaque præter ſtylos ſcriptorios, libellumque plumbeum, e ſeptem laminis, quibus ſigna & literæ ignotæ inſculptæ ſunt, compactum, ſigilla, annulos, lunulam calceorum, inaures, fibulas, tintinnabula, ſiſtrum, nec non XLI caligas & calceamenta peculiaris figuræ atque ætatis, ut & alia quædam, comprehendit.

Claſſis VI *Lapidibus foſſilibus, aliisque glebis, a natura effigie*

figie aliqua donatis, deſtinata, parum habet, quod oſtentare magnopere poſſit. Poſt caput hominis cum thorace, cancrum & alia petrefacta, lapides aliquot poſſidet ac metalla. Inter illos quidem piſcium veſtigiis ſpectabiles exſtant, & asbeſtinus, quem in filamenta diducendi, & ex iis decantatam adeo telam incombuſtibilem contexendi methodus docetur p. 206.

In Claſſe VII *peregrinæ res ex variis Orbis plagis*, in VIII *plantæ marinæ, frutices, animalia tum marina tum terreſtria*, in nona *machinæ mechanicæ, hydraulicæ, catoptricæ, dioptricæ, & automata nonnulla*, ſunt collecta.

Decimam Claſſem conſtituunt: I *Tabulæ pictæ*, præter aliquot inſignium Pictorum & Architectorum imagines, quas inter etiam Albertus Durerus eſt, Magnatum imprimis icones exhibentes: ubi Noſter tres effigies Principum Holſatiæ de Culembach recenſet; quo haud dubie Marchiones Brandenburgicos e ſtirpe Franconica indicare voluit: 2 *Signa marmorea*: 3 triplex *Numiſmatum* ſeries, quarum prima ultra 600 Cæſarum antiquorum nummos exhibet, ſecunda Pontificios, a temporibus Martini V usque ad hodiernum Pontificem cuſos, tertia Heroum celebriumque cum virorum tum fœminarum icones repræſentat. Breviſſimus in hac Claſſe Autor eſt, nec niſi quinque numiſmata attingit: quorum ultimum, ampliſſime de literis elegantioribus & Literatis merito *Antonio Magliabechio* ſacrum, altera parte vultum ejus exhibet, altera ſub arbore inter libros ſedentem legentemque, cum lemmate: *Scire noſtrum reminiſci.*

Claſſis XI complectitur microſcopia, inſtitutasque illarum beneficio obſervationes, culicis, papilionum, muſcæ, pediculi, pulicis, cimicis, aculeorum, ſpinarum, vermiculorum aceti, ſquammarum piſcium, & pilorum. Quæ antequam enarrantur, p. 324 numeroſus illorum index texitur, qui minuta hujusmodi ſollicito microſcopio ſcrutati, ſuarum contemplationum publice reddidere rationem, quique microſcopia aut ipſi confecere, aut conficiendi artificium tradidere.

Denique Claſſis XII, quam complent teſtacea, in tres Partes diſpeſcitur: prima, quænam menti & oculis ex cochlearum con-

Digitized by Google

conſideratione oriatur oblectatio exponit, eaque occaſione Muſæorum, in quibus concharum & cochlearum teſtæ aſſervantur, ingentem numerum recenſet. Inter illa dum Wormianum recte collocat, Wormium ipſum inſignem Medicinæ in Ollandia Profeſſorem appellat: ſimili memoriæ lapſu, quo in ſuperiori Claſſe p. 328 Jo. Hevelium Polonum vocat; quem Boruſſum, & in patria Gedano Senatorem Palæopolitanum fuiſſe conſtat. Inde P. II æri inciſa explicantur primum 39 teſtacea univalvia, non turbinata, deinde 135 teſtacea bivalvia, & ultimo loco 412 teſtacea turbinata. Claſſi operique ſimul colophonem imponit Pars III, varia problemata menti propoſita in obſervatione teſtaceorum ventilans. Multa inibi diſputantur de conchis unionum feracibus, de teſtaceorum generatione, forma, coloribus, & reliquis, quibus ſingulis operoſe recenſendis ſuperſedemus.

AGNELLI, QUI ET ANDREAS, ABBATIS Ravennatis, Liber Pontificalis, ſive Vitæ Pontificum Ravennatium. D. BENEDICTUS BACCHINIUS, Abbas S. Mariæ de Lacroma O. S. B. Congregationis Caſinenſis, ex Bibliotheca Eſtenſi eruit, Diſſertationibus & Obſervationibus, nec non Appendice monimentorum illuſtravit & auxit.

Mutinæ, typis Antonii Capponii, 1708, 4.
Alph. 5 plag. 16.

PRæſens Agnelli ſcriptum laudabili nunc primum opera doctiſſimi Bacchinii, (cujus de Eccleſiaſticæ Hierarchiæ originibus Diſſertationem, quam ut ſcriberet, ex hoc ipſo Agnelli opere occaſionem nactus eſt, juſtis elogiis mactavimus in Actis A. 1705 p. 330 ſſ.) in lucem protractum ſiſtimus, poſtquam per plurium ſeculorum decurſum in Italia latuit, nec niſi ex Hieronymi Rubei teſtimonio, qui in deſcribenda Ravennæ hiſtoria Agnello illo ſæpius duce fuerat uſus, in plerorumque notitiam pervenerat. Unde & factum, ut Eruditorum quidam in errorem ſint adducti, rati, Agnellum hunc eundem eſſe, qui ſexto ſæculo

Digitized by Google

culo Ravennatium fuit Epiſcopus. Hunc enim errorem Voſſius lib. III de Hiſt. Lat. erravit, quem Guil. Caveus in Hiſt. Litter. Script. Eccl. ad ſæc. VI annum 555 ſecutus videtur: ac merito proinde Voſſium emendat eruditiſſimus Agnelli Editor, cujus tamen errorem jam notatum obſervamus a Sandio in Animadverſionibus ad Voſſium p. 291. Præmiſſa eſt autem Operi huic Præfatio longior, cujus initio vitia quædam Agnelli recenſentur, ſed ejus fere generis, facile ut ea condonaturus Autori fuiſſe videatur Cl. Bacchinius, niſi idem ſæpius invectus eſſet in Præſulum ſuæ ætatis mores corruptiſſimos, ac præterea jura Romani Pontificis in Epiſcopos Ravennatium identidem oppugnaſſet: quæ & cauſa fuiſſe videtur, cur liber jam tum A. 1708 prelo abſolutus, nuper demum in vulgus prodierit. Hac enim re inductus, non ſolum ſæpenumero eum vocat ſchiſmaticum, ſed & contra eum, qui P. I p. 281 tradit, Valentinianum III Imp. Præſuli Ravennati pallium conceſſiſſe (quod idem Rubeus memoriæ prodidit) & P. II p. 85 refert, Maximianum Epiſcopum Ravennatium pallium a Juſtiniano Imp. accepiſſe, copioſe diſputat, eumque erroris convincere operoſe conatur in Præfatione a p. 20 usque ad p. 45, adeoque ad finem usque Præfationis. Illud tamen non diſſimulat, Agnellum omnium primum Ravennatium Pontificum acta perſcripſiſſe, ejusque opera eſſe uſos, quotquot eodem de argumento poſtea ſcripſerint. Ipſum opus in duas Partes ſecuit, priore vitas Archiepiſcoporum ab Apollinari ad Eccleſium usque complexus, poſteriore ab Eccleſio ad Georgium, qui ſæculo IX Epiſcopatum geſſit, Agnello σύγχρονος. In utraque Parte ita verſatus eſt Editor, ut non ſolum Vitis ab Agnello deſcriptis ſubjecerit Obſervationes multum lucis Autori affundentes, verum etiam ſeptem interſeruerit Diſſertationes hiſtorico-chronologicas, quibus ſingulorum Pontificum ætatem exquirit, ac temporis diligentiſſimam habet rationem. Quid? quod nec dubitavit Agnello præmittere Scholaſtici anonymi verſus, rudes quidem & impolitos, qui in MSto codice exſtiterant: quos & docte illuſtrat explicatque. Quando vero ad hosce verſus perventum eſt, de Petronacio Archiepiſcopo agentes:

Alterum ab undecimo quem Presbyterumque creavit,

Sum-

Summus is Antiſtes merito ſede (lege *ſedet) urbis opimæ*; eos ita p. 57 explicat, quod ſignificetur his verbis, Petronacium undecimum eſſe a Theodoro, qui Romani Præſulis obedientiæ ſe ſubmiſerit. Sed p. 61 ingenue fatetur, ne ſibi quidem ipſi hanc explicationem ſatisfacere, *cum alter ab undecimo non ſit undecimus*. Liceat igitur paucis Poetæ mentem declarare. Nimirum citatis verbis non Petronacius deſcribitur, ſed Agnellus noſter, quem Petronacius alterum ab undecimo, hoc eſt, decimum Presbyterum ordinarit. Id quod confirmamus ex ipſo Agnello, qui in Vita Maximiani P. II p. 103 diſerte ſcribit, ſe eſſe *decimum Presbyterum in ordine ſedis*. Abſolutum hac methodo opus excipit Appendix, quæ continet primum compendioſiſſimam Archiepiſcoporum Ravennatium hiſtoriam, ab Anonymo quodam usque ad Opizonem, qui fuit octogeſimus tertius Archiepiſcopus, A. 1300 mortuus, deductam. Ubi tamen diligentiſſimus Editor complura alia monimenta nondum ante edita inſeruit: ut p. 9-34 Vitam S. Severi, Ravennæ Archiepiſcopi, ex Lectionario antiquo Ravennati deſcriptam. Hanc vero vitam ex Agnello deſumtam eſſe, collatio manifeſtum reddit, ita tamen, ut hiſtoriis ab Agnello narratis (ſi modo ſunt hiſtoriæ, & non potius manifeſtæ & putidiſſimæ fabulæ) additæ ſint morales digreſſiones. Rurſus a p. 39 ad 58 ex antiquo quodam Lectionario publicatur vita Barbatiani Confeſſoris, quæ & ipſa referta eſt magna & vere incredibili miraculorum ab eo patratorum multitudine. Porro p. 61-67 exhibetur venerandæ antiquitatis documentum de fundis Sicilienſibus, ex avtographo in papyro Ægyptiaca deſcripto deſumtum. Quod cum Mabillonius in Appendice operis ſui Diplomatici jam ediderit, Bacchinius facta avtographi & editionis Mabillonianæ collatione id recudendum curavit. Sic p. 80-90 ex cathedralis Mutinenſis Tabulario edidit Acta ἀνέκδοτα Concilii Romani, ſub Nicolao I Papa contra Joannem Ravennatem Archiepiſcopum habiti. Memoratu etiam digna eſt, quæ p. 94-96 exſtat, Conſtitutio Ottonis Imp. in Romano Concilio A. 998 habito (cujus alibi mentionem fieri Bacchinius non meminit) qua prohibentur Epiſcopi & Abbates poſſesſiones Eccleſiaſticas vendere vel co-

gnatis

Digitized by Google

gnatis ſuis donare. Pag. 110 hujus Appendicis, ubi finitur hiſtoria Anonymi memorata, ſequitur continuatio ejus, Autore Paulo Scordilli, qui ſe fuiſſe Doctorem Decretorum & Præpoſitum Ravennæ, ipſe teſtatur p. 131, 134 & 137. Autor iſte ſequentium Archiepiſcoporum Ravennatium vitas uberius perſequitur atque ad ſua tempora, adeoque usque ad Joannem Archiepiſcopum XCV, qui vixit initio ſæculi decimi quinti. Hic rurſus doctiſſimus Editor interjecit curioſa quædam & antiquitatum cultoribus gratiſſima. Nam poſt p. 138 quatuor æneis laminis deſcripta exſtat ſedes Pontificum Ravennatium, quam ſe vidiſſe Bacchinius teſtatur in archivo Archiepiſcopalis illius Eccleſiæ. Denique p. 341 ſeqq. ex codice membranaceo Tabularii Mutinenſis cathedralis, qui ſeculo XI ſcriptus videtur Editori, exhibetur Calendarium pro divinis officiis & regulæ pro anni temporibus, quibus ex Computiſtarum rationibus ea diſponebantur. Sed redeundum eſt ad Agnellum, cujus fides in antiquiorum Epiſcoporum vitis non videtur omni exceptione major, quippe cum ipſemet fateatur, ſe conſcribere hiſtorias vulgo creditas & communi traditione nixas: ſed circa tempora ab ſe propius remota major ejus eſſe debet autoritas. Primum Ravennæ Epiſcopum facit S. Apollinarium, natione Antiochenum, Petri Apoſtoli diſcipulum, quocum Romam perveniſſe & ab eo poſt aliquot annos Pontifex ordinatus eſſe ſcribitur. Ab eo, refert Agnellus, plurima miracula patrata eſſe, quæ recenſet, addens, ei in vincula conjecto angelos victum cœleſtem miniſtraſſe. Tandem Epiſcopatu annis 28 geſto eum martyrio coronatum eſſe refert temporibus Veſpaſiani Cæſaris. Imprimis lectu digna eſt vita Mauri P. II p. 270 ſqq. cujus contentiones cum Papa Rom. enarrat Agnellus, & ſimul affert ejus epitaphium hiſce verbis conceptum: *Hic requieſcit in pace Maurus Archiepiſcopus, qui vixit annos LXVII, qui tempore Domini Conſtantini Imp. liberavit eccleſiam ſuam de jugo Romanorum ſervitutis.* Nec obſervatu indignum, quod Agnellus in Prologo operis ſui p. 73 Gregorio M. Papæ diſerte tribuat *libros Dialogorum*, de quorum auctore alias Eruditi diſputant. Nec pauca ſunt in

 Agnello

Agnello, civilem illuſtrantia hiſtoriam. Sic P. II p. 178 meminit, Narſetem Romæ obiiſſe annos natum 95: ibidemque & ſeqq. paginis Alboini Langobardorum Regis cædem opera uxoris Roſmundæ, cui patris ſui cranium vino repletum præbuerat ebibendum, patratam meminit: quam hiſtoriam paulo aliter enarrat Paulus Warnefridi lib. II cap. 28. Idem Agnellus P. II p. 466 teſtatur, Carolum M. obiiſſe die 30 Januarii. Sed operæ pretium majus facturi videmur, ſi ex Editoris annotationibus doctiſſimis nonnulla afferamus in gratiam ſtudioſorum antiquitatis. P. II p. 488 obſervat, Oblatas ſive Hoſtias Agnelli ævo diverſæ quidem formæ fuiſſe & differentis artificii a vulgari pane: eas tamen, licet ex azymis confectas, ad placentarum modum craſſas & in furno coctas fuiſſe. P. I p. 104 ſqq. erudite demonſtrat, Acta Concilii Romæ a Julio celebrati A. 337, quæ circumferuntur, & a Baronio pro genuinis habita ſunt, eſſe ſuppoſititia. Julium Firmicum Maternnm, quem a Baronio inter Epiſcopos Mediolanenſes male referri notat, opus ſuum *de myſteriis profanarum religionum* ſcripſiſſe imperantibus Conſtantio & Conſtante, poſt A. C. 348, oſtendit P. I p. 113 ſqq. Elegans quoque eſt obſervatio P. I p. 298 ſqq. & P. II p. 65, non licuiſſe olim intra Baſilicas ſive templa fidelium corpora ſepeliri, ſed tamen fas fuiſſe, cæmeteria circa templa fieri, nec non ædiculas fidelium ſepulturæ dicatas. Cum vero ex Petri Chryſologi, qui ſeculo V Ravennæ Archiepiſcopus fuit, verſibus ab Aghello P. I p. 330 allatis:

- - ſe ſternat humi, morboſque latentes
Ante pedes Medici cura properante recludat;

Bacchinius in Præfat. §. VIII p. 14 probari poſſe putat auricularis confeſſionis praxin, illo jam tempore vigentem, veremur, ut cordatiorum multos in aſſenſum pertrahat. Quando Agnellus P. I p. 233 in vita Petri memorat, eum *alapas* Evangeliorum ex auro optimo & gemmis lucidiſſimis feciſſe, & effigiem illius itidem factam fuiſſe, annotat Bacchinius p. 235, per *alapas* hoc loco intelligi tabulas exteriores, quibus Evangeliorum liber compactus fuerat: addens, barbarum illud *alaparum*

Digitized by Google

rum nomen Gloſſariorum ſcriptoribus ignotum eſſe. Sed veremur, ne librarii manus iſthoc loco aberraverit, & pro *alas* oſcitanter ſcripſerit *alapas*. *Alarum* certe vocabulo commode inſigniri poſſunt duæ illæ tabulæ, quibus libri compinguntur. Quemadmodum & latera templi *alas* vocata eſſe, ex Gervaſio quodam probat Carolus du Freſne in Gloſſario. De Hieronymo Rubeo, Ravennatis hiſtoriæ ſcriptore percelebri, P. I p. 8 hoc fert judicium: *Fecit id ille ſane ſumma Latini ſermonis puritate, eoque accurato ſcribendi genere, quo Livii gloria æmulus audit: at quod pertinet ad chronologiam, rerumque & ſcriptorum criſin, plura ex arbitrio ſcripſit, & ſæpius veritatem ita parergis ornavit, ut ſimplicitate ademta fucum obtruſerit. Verum, quod pluris eſt, ſpretis veris Agnello narratis, falſa nonnulla ita inſeruit, ut Agnello tanquam gravi auctore laudato, & ejus, & vera eſſe, ullus vix inficiari poſſit.* Etiam P. I p. 80 refert, Rubeum hiſtoriam illam ſuam nova editione, eaque ſupra dimidium aucta Venetis typis A. 1590 in publicum produxiſſe. In antiquarum fabularum numero ponendum eſt, quod monachi in vitis Epiſcoporum deſcribendis perſæpe memorant, ſupra caput eorum ad Epiſcopatum electorum apparuiſſe columbam. Videatur hujus operis Appendix p. 4, 5, 13, 14, & pluribus locis, & ipſe Bacchinius P. I p. 173 ſqq. Id quod in memoriam nobis revocat hiſtoriam in Actis de Martyrio Polycarpi, ſupra menſe Maio recenſitis, exſtantem, qua traditur, ex Polycarpi gladio confoſſi corpore columbam proceſſiſſe. Hinc enim liquet, Autorem illorum Actorum eo reſpexiſſe, quod, ſicut Spiritus S. ſub ſpecie columbæ ſupra Polycarpi, cum Epiſcopus eligeretur, caput apparuerit, ita jam ex ejus corpore cum anima diſceſſerit, hoc facto teſtatus, Polycarpum verum ſanctoque Spiritu repletum fuiſſe Epiſcopum. Ex quo colligere licebit, Acta illa Martyrii ſi non plane ſubdititia, certe a credulo quodam & ſuperſtitioſe Græculo interpolata fabulisque aucta eſſe. Antequam de manu deponamus eximium hoc opus, lubet quædam Agnelli teſtimonia afferre de corruptis clericorum moribus. Ac ſane mirandum eſt, Bacchinium in his

Xx 2 fidem

fidem derogare Agnello, cum tamen omnis ævi hiſtoria confirmet, nimiis Epiſcoporum honoribus opibusque ſanctitatem morum veluti ſuffocatam eſſe, & ejusdem generis complura alia teſtimonia in hoc ipſo opere exhibeantur, & quidem in monimentis non ab Agnello profectis. Graviter itaque Agnellus conqueritur de Epiſcoporum ſui ævi avaritia, luxu, & turpiſſimis moribus P. II p. 101, 202, 224 ſqq. 231, 233, 295 ſq. 304. Et P. II p. 39 laudato Eccleſio Archiepiſcopo exclamat: *Heu vobis gregibus, quales erant Paſtores! quantum mutati eſtis ab illis!*

INSTITUTIONES THEOLOGICÆ ANTIquorum Patrum, quæ aperto ſermone exponunt breviter Theologiam, ſive Theoreticam, ſive Practicam.

Tomus primus.

Romæ, ex Typographia S. Congreg. de propag. Fide, 1709, 8.
Plag. 18.

COnſtituit Editor hujus operis, qui latere voluit, ſecundum ordinem temporum Opuſcula Patrum dogmatica, tum Latina, tum Græca, certis comprehenſa faſciſculis, evulgare. Unde præſenti in Volumine apparent Tertulliani liber de præſcriptionibus adverſus hæreticos, ex recenſione Pamelii: Gregorii Nazianzeni Oratio de moderatione in diſputationibus Theologicis ſervanda, interprete Jacobo Billio: ejusdem Oratio prima de Theologia, ejusdem Billii adjuncta verſione: ac denique Vincentii Lirinenſis Commonitorium. Etſi autem Editor id ſpectaſſe videtur, ut accuratiſſimas maximeque emendatas ſequatur editiones: tamen nullis hæc opuſcula diſtinxit annotationibus, niſi quod quatuor earum in toto hocce Tomo occurrunt, ſed nec ipſæ magni momenti. Præfationis loco præmiſit trium Pontificum Romanorum, Leonis, Innocentii III & Gregorii M. litteras, quibus lectionem Patrum Eccleſiæ magnopere commendarunt, ſubjunctis aliquot verſiculis ex cap. 39 Siracidis. Pollicetur etiam Indicem generalem, ultimo hujus Operis

ris Tomo annectendum, in quo ſententias Patrum ibi contentorum diſtincte ſit collocaturus. Non dubitamus, gratum fore hoc inſtitutum iis, qui ab ingrediendis vaſtis Patrum campis abhorrentes, ſelecta eorum ſcripta perluſtrare malunt, ideoque, ut reliqui Tomi ſequantur propediem, haud dubie optabunt. Illud unum adjicimus, Editorem, ejusmodi ſcripta conjungendo, quibus adverſus hæreticos urgetur argumentum ab autoritate Eccleſiæ deſumtum, haud obſcure prodere, ab ſe eo potiſſimum conſilio tomos hosce edi, ut & Pontificii in fide ſua conſerventur, & Proteſtantium quidam hoc artificio ad amplectenda ejus Eccleſiæ, quæ antiquitatis ultimæ ſpeciem præ ſe fert, dogmata permoveantur.

R. SALOMONIS JARCHI COMMENTARius Hebraicus in Pentateuchum, Latine verſus, cum duobus vetuſtiſſimis Codicibus MStis collatus, & notis illuſtratus a JOANNE FRIDERICO BREITHAUPTO, S. Cæſ. Majeſt. & Duc. Sax. Conſiliario.

Gothæ, typis Reyherianis, 1710, 4.
Alph. 8 plag. 12.

USum, quem Raſchii Commentarii in ſacri Codicis explicatione præſtant, multi Eruditorum agnoverunt. Noſter B. Scherzerus eum hoc labore dignum judicavit, ut ejus Sectionem primam, Judæis *Breſchit* cognominatam, in Latinam linguam transferret, notis ex Judaicis ſcriptoribus collectis illuſtraret, & ſub nomine *Trifolii orientalis*, & *Operæ pretii*, una cum Maimonidis *Mercaba*, & *Abarbanelis Commentario in Haggæum* ederet. Diſtractis exemplaribus, Jo. Georgius Abichtius, S. Theol. D. & LL. OO. in Academia noſtra Profeſſor, Collega noſter honoratiſſimus, ſui anteceſſoris veſtigia preſſit, & non ſolum Trifolium Scherzeri revidit & emandavit, ſed etiam ſecundam Jarchii Sectionem, Judæis *Noach* appellatam, Latine vertit, notisque ad methodum Scherzeri ex Judæorum ſcriptis illuſtratam, una cum *Commentario AbenEſra in Haggæum*, Latine verſum, ſub

Selectorum Rabbinicorum titulo Lipſiæ A. 1705 publicavit. Tanti etiam Cl. Relando Raſchii Commentarii æſtimati ſunt, ut eos in numero optimorum interpretum poſuerit, & in Prolegom. ad *Analecta Rabbinica* fateretur, quod Raſchii Commentarii ſæpius, dubio in codice Hebræo moto, magis ſatisfecerint, quam alii interpretes in Bibliis Criticis comprehenſi, aut alibi obvii. Idem nos l. c. certiores reddidit, Amſtelodami agitari conſilium de recudendis Raſchii Commentariis, in ſermonem Latinum transfuſis. Conſilium hoc executus eſt in Germania Illuſtris noſter Breithauptus, qui non ſolum Commentarios in Pentateuchum, ſed & in omnes reliquos libros ſacros, Latinitate donavit, & hactenus Bibliopolam, qui ſumtus ſuppeteret, exſpectavit. Felicis ſui in vertendis Hebraicis libris ingenii ſpecimen dedit in verſione nova Joſephi Gorjonidis, de qua in Supplement. Tom. IV Sect. III p. 111 verba fecimus. Idem in hoc Raſchii Commentario præſtitit, quod agnoſcent illi, qui ejus verſionem cum Hebræo Rabbini contextu conferent. Omnes harum literarum cultores concedunt, quod Raſchii Commentarii, propter ſtylum conciſum ac brevem, ſæpe obſcuri ſint, & alios interpretes requirant, qui etiam magno numero apud Hebræos proſtant. Huc pertinent *Biurim al haaſchel* R. Nathanis, Venetiis Anno ſupput. minoris 349 h. e. Chr. 1589 editis, & *Debek Tobb* a R. Simeone Osneburgo ſcriptus & Venetiis & Cracoviæ impreſſus, reliquos nominat R. Schabhſe in *Siphſe Jeſchenim* fol. 11 col. 2. Traditiones quoque Judæorum ex Rabboth, Tanchuma, Pirke, Rabbi Elieſer, Talmude &c. adductæ, ſed ſine capitis & folii allegatione ſummariter & quandoque primis tantum verbis deſcriptæ, interpreti remoras ponunt; nihil dicam de nominibus Gallicis, ſeculo duodecimo uſitatis, ſed tanto temporis intervallo immutatis, & in codicibus rarius recte deſcriptis, ad quæ explicanda & reſtituenda tempus & labor non exiguus requiritur. Has tamen difficultates noſter laudatus Interpres ſedulo ſtudio ſuperavit, & oblato dubio librum *Gur Arieh*, a R. Leone Juda ſcriptum, & *Siphthe Chacamim* a R. Schabhſe Uratislavienſium Judæorum Cantore editum, conſuluit. Prior ſententiam Raſchii explanat, poſterior vero plerorumque Judæorum explicatio-

cationes in Raſchium in compendium collegit, & ipſius Raſchii verbis ſubjunxit. Allegationes, quas in nôtis frequenter offendes, ex *Toldos Abaron* in ejusdem R. Schabhſe libro repertis, alias quoque ſeparatim excuſis, hauſit. Ut vero ubique ſenſum Raſchii perſpicuum exprimeret, ſtylum adhibuit, non quidem elegantiſſimum, & oratorum floribus conſperſum, qui a nemine in verſione deſideratur; ſed Latinum ſatis evidentem & brevem, qui non ubique Commentatorem preſſo pede ſequitur, ab eo tamen non adeo multum recedit. Decreverat noſter Cl. Interpres, textum Hebræum, prout in Gorjonide factum, verſioni adjungere, ſed mutavit mentem, & verſionem tantum exhibuit, quia Raſchii exempla ubique proſtant; quod nobis optimo conſilio factum videtur, notum enim eſt, quod *Raſchii Commentarii in Pentateuchum* duobus abhinc annis Francofurti ad Oderam una cum Onkeloſio & textu Moſis recuſi vili pretio vendantur. Variantes lectiones, quæ noſtro tempore magno labore colliguntur, noſter Cl. Interpres non prætermiſit, ſed eas ex duobus codicibus MStis vetuſtiſſimis, quorum copia ipſi ex Bibliotheca Erfurtenſi facta eſt, multo ſtudio collegit, & notis ſuis, cuivis paginæ ſubjectis, inſeruit. Ut pauca de ejusmodi verſionis uſu addamus, eum varium eſſe exiſtimamus. Sive enim Rabbinicarum literarum tyrones Judæorum ſcripta Hebræo idiomate exarata legere cupiunt, Raſchii Commentarios evolvere, & cum verſione conferre poterunt. Sive alii Judæorum fabulas, quas ſancte venerantur, cognoſcere ſtudeant, habebunt librum, qui pleraſque Judæorum traditiones complectitur, illas enim partim in ipſo Raſchii textu, partim in annotationibus fuſius deductas invenient. Sive denique quidam Judæorum errores refutare, vel cum Judæis diſceptare velint, neceſſe eſt, ut ex Raſchio imprimis eorum dogmata hauriant, eaque ſolidis rationibus deſtruant, niſi Judæorum ludibrio ſe exponere velint. Præter hos uſus alius proſtat, interpretibus maxime proficuus. Si phraſis Pentateuchi obſcurior occurrit, quæ linguæ idiotiſmo, vel loco parallelo, vel antiquæ Eccleſiæ Judaicæ conſenſu, explicanda eſt, ea frequenter a Raſchio quam optime exponitur, & aliis locis illuſtratur, ut alios uſus ſilentio prætereamus.

Si

Digitized by Google

Si v. g. Judæi hodierni negant Gen. XLIX, 10 per Schilo intelligi Meſſiam, refutantur ex Raſchio, qui hoc nobiscum affirmat. Si iidem nobis objiciunt, quod Jeſus quem nos colimus, Meſſias non ſit, quia legem Moſis immutavit; reſpondemus ex Raſchio, qui ad cap. XVIII, 22 Deut. fatetur, quod Prophetæ excellenti & perfecte juſto, qualis fuit Elias, obtemperandum ſit, licet aliquid contra legem præcipiat. Sic enim Elias in monte Carmel obtulit ſacrificium, licet omnia ſacrificia in excelſis eſſent prohibita. Gratulamur itaque Cl. Interpreti, nullique dubitamus, ejus labores, quos in ſenectute ſuſcepit, Eruditis fore gratiſſimos.

ΧΑΡΙΤΟΛΟΓΙΑ SACRA,

ſeu

SYSTEMA GRATIÆ DIVINÆ, ID EST, conciliationis Gratiæ Dei ſalutiferæ univerſalis & particularis tentamen; Autore SAMUELE STRIMESIO, Profeſſore Theol. & Eccleſiaſte primario in Eccleſ. & Univerſ. Francof.

Francofurti ad Oderam, apud Jo. Völcker, 1710, 4.
Alph. 2 plag. 3.

Celeberrimus Autor in doctrina de Gratia Dei ſalutifera ab una parte ſibi obſervaſſe videtur peccari, dum Gratia *Univerſalis* plus æquo extenditur naturæque commiſcetur, particularis vero infenſo animo rejicitur: ab altera, dum abuſu dictorum Scripturæ, de gratia *particulari* agentium, nimis gratia coarctatur, & major hominum pars inevitabili, ſive ante ſive poſt lapſum communium omnibus parentum, exitio addicitur, omnique gratia ſalutifera orbatur: Scripturæ vero dicta gratiam univerſalem confirmantia, contra expreſſam eorum literam, citra neceſſitatem, in particularis gratiæ argumenta commutantur. Hinc gratiæ *univerſali* & *particulari* conciliandæ animum appulit: eoque fine primum *ſupponenda* quædam præmittit, abſque quibus indoles ejus non facile percipiatur. Dehinc ad ea procedit, quibus utriusque gratiæ natura con-

continetur. Atque eo quidem, quod nunc tenemus, volumine gratiæ univerſalis delineatio continetur. In poſteriore vero, deinceps ſecuturo, celeb. Autor gratiam particularem ejusque cum univerſali conciliationem poſſibilem, re ipſe præſtitam, neceſſariam, ſiſtit, deque ejus æqualitate & inæqualitate nonnulla commentatus, operi coronam imponet. In ſupponendis *primum* eſt doctrina de imagine & ſimilitudine Dei, quam re unum idemque in Deo eſſe, in homine parte conſtare duplici arbitratur: *eſſentiali*, quæ ſit ipſa mens humana ejusque intellectus ac voluntas; ac *extraeſſentiali*, quam abſolvunt qualitates ſapientiæ & bonitatis, omnem ſtuporem & ad malum proclivitatem excludentes, neque in ſtatu purorum naturalium hominem relinquentes. Cumque hac imagine Dei hominem creari debuiſſe, neque eam, lapſus licet mox fuerit homo, fruſtraneam fuiſſe oſtenditur. *Secundum* in ſupponendis obſervationes quædam abſolvunt circa lapſum hominis, ad tria capita revocatæ: hominem nempe labilem, ſponte ſua & per ſe ipſum lapſum eſſe, ita ut nec a Deo, nec a Diabolo, nec a proprio intellectu, ſed libero voluntatis abuſu ad peccandum ſit determinatus; tum poſtea uno labente omnes defeciſſe miſeroſque evaſiſſe, participatione quidem & infectione ejus peccati, non vero vel imputatione, vel ſurreptione Phyſica, vel imitatione. denique cum unius tum omnium lapſum per ſe exitialem fuiſſe, totumque adeo genus & morbis & morti Spirituali atque æternæ obnoxium feciſſe. Hinc *tertium* ſequitur ſupponendorum caput: hominem nempe ex mera Dei φιλανθρωπίᾳ ad fœdus gratiæ fuiſſe admiſſum: idque factum eſſe per Protevangelium Gen. III, 14, 15. In eo vero gratiam & *univerſalem* & *particularem* manifeſtatam eſſe. Illam quidem eo, quod inimicitia h. e. ſpirituale odium, ponatur inter mulierem perq; eam virum quoque; totumque adeo genus humanum, & ſerpentem h. e. diabolum: atque ad hoc odium ſpirituale gratia ſpiritualis ſufficiens, reſpectu habito ad ſemen mulieris conferenda, antecedenter ad infidelitatem majoris partis ſubſecuturam promittitur, quæ proinde gratia & *ſubjective* & *objective* ſit *univerſalis*. *Particularem* vero gratiam partem

Digitized by Google

alteram promiſſionis Prot-evangelicæ promere. Nempe in ea per ſemen ſerpentis, ſuffragantibus inter Lutheranos B. Hulſemanno & Geiero, intelligi quotquot principis Diabolorum indolem referunt, damnati ſcilicet Spiritus ceteri & impii homines. Per ſemen mulieris *primario* Chriſtum, *ſecundario* fideles indicari, neque id quidem diffitentibus Lutheranis quibusdam, quod non diſſimulet B. Seb. Schmidius noſter Colleg. Bibl. prior. Loc. IV §. I p. 145 ed. tertiæ. Hinc vero patere, promiſſionem de ſemine mulieris, contrituro caput ſerpentis, pertinere ad *actualem* regni Diabolici oppugnationem & deviſtionem, cum ratione *Chriſti*, tum ratione *membrorum* Chriſti conſpicuam, adeoque ad gratiam *particularem*, ſeu *ſpecialem*: cui hypotheſi ſuæ quæ faveant, in ipſa Lutheri commentatione ad Protevangelium T. I Oper. p. 23 ſe reperiſſe exiſtimat: quemadmodum contra Reformatos, qui gratiam univerſalem in Protevangelio agnoſcere nolunt, confutat, eisque alios, quos ſanius heic judicaſſe exiſtimat, opponit.

A *præſupponendis* iſtis ad ipſam gratiæ indolem delineandam procedit: ab initio ſtatim in evolutione terminorum, quorum mira in hoc articulo confuſio variæ rerum perturbationi occaſionem dedit, occupatus. Et primo quidem, ad diſcutiendas nebulas a Pelagio & aſſeclis doctrinæ de gratia offuſas, obſervat, gratiam Dei, *abſolute* & *generaliter* acceptam, benevolam Dei voluntatem in hominem ſimpliciter ſpectatum; *reſtricte* & *ſpecialiter* ſumtam, in hominem qua lapſum & miſerum, ad media ſalutis ſupernaturalia, ſine merito ejus, ipſi ſuppeditanda ſignificare. Gratiam *reſtricte* ad hominem miſerum acceptam conſiderari poſſe primo *ſubjective*, quatenus eſt in Deo; & ſic iterum cum *radicaliter* pro bonitate & benignitate Dei eſſentiali, tum *formaliter* pro ipſa benignitate actuali erga dictum hominem miſerum in propria ſua forma, & cum objecto, homine miſero, ſpectata, accipi; quæ quatenus cum objecto ſuo ſpectatur, non *eſſentialis* quidem ſit Deo, ſed tamen *naturalis* h. e. naturæ ejus congrua, *arbitraria* tamen & *liberrima*, Deo ſc. per naturam ſuam non obligato ad miſerendum hominis, ſponte lapſi. Vel ſecundo *cauſaliter*

Digitized by Google

aliter gratiam accipi, pro beneficio ejus, homini impertito, quo ſalus vel procurari *poſſit*, vel *actu* procuretur: eamque vel *objectivam* tantum eſſe, extra hominem ſitam, quæ tamen ſalutem ejus quoquo modo efficere poſſit, qualis ſit gratia redemtionis; vel *ſubjectivam* eſſe ſimul, quæ uno verbo ſit gratia ſalutiferæ vocationis, quæ reſpectu ejus, *per quod* homo vocatur, *objectiva* ſit quidem, ſimul vero ſit *ſubjectiva*, reſpectu ejus, *quo vocatur*, vel quo vocationi dicto audiens eſſe poteſt. Hanc non ſola doctrina & exemplo Chriſti, ſed interna in utramque animæ facultatem operatione, perfici: gradusque habere ſuos, qui Gratiæ *prævenientis*, *præparantis*, *operantis*, *cooperantis*, *perficientis* nominibus non incommode deſignentur. In omnibus ſuis gradibus *ſalutiferam* eſſe gratiam, ſalutemque & *afferre* & *conferre* quodammodo, ſupernaturalem hujusmodi diſpoſitionem ſive majorem, ſive minorem efficiendo, cui, ſi haut deſint homines, majorem gratiam conſequantur, ad ſalutem eos æternam, vel *contingenter* tandem, vel *neceſſario* perducturam. *Univerſalitatem* inde gratiæ ratione *objecti* intelligi talem, qua nemo, qui homo ſit, non comprehendatur: ratione *temporis*, quæ pateat omni tempore hujus quidem vitæ *per ſe*, licet *per accidens* in ſtatu indurationis, & peccato in Spiritum S. culpa hominum ſubtrahatur. Gratiæ vero *univerſalitatem* non intelligi ratione omnium *graduum* gratiæ, nec cum excluſione mediatoris, ſed ſecundum *gradum* exilem, remote interim ad ſalutem ſufficientem. *Particularem* gratiam intelligi ratione *objecti*, quod paucioribus contingat, per media eadem quidem, per quæ obtingit gratia univerſalis, atque adeo per media ordinaria (ut cum gratia proinde extraordinaria confundenda non ſit) gradu tamen excellentiora. Hinc ratione *formæ* ſuæ eam illos, quibus obtingit, infallibiliter, neceſſario, & a priori ad ſalutem æternam perducere: cum gratia *univerſalis* vel homines ad ſalutem non perducat, ſufficiens licet in ſe, ex hominum culpa: vel, ſi perducat, non infallibiliter tamen, a priori, & ratione cauſalitatis ſuæ verum a poſteriori tantum, & ratione euentus id præſtet. Sicque adeo *Univerſalitatem* & *Particularitatem* gratiæ divinæ,

Digitized by Google

non duas gratiæ *ſpecies*, ſed totidem tantum gradus efficere, quorum uterque ad converſionem per ſe ſit efficax. Conciliationemque proinde *univerſalis* & *particularis* gratiæ ex Scripturis ſacris ita eſſe inſtituendam, ut ne dicta ejus ad *univerſalem* gratiam ſpectantia detorqueantur ad *particularem*, & vice verſa, ſed ut utrorumque vigor illibatus ſervetur, & tum *univerſalis* gratia *particulari*, ut ipſe loquitur, ratione *continentiæ intenſivæ:* tum particularis gratia univerſali ratione *continentiæ extenſivæ* ſubordinetur.

Iſtam viam conciliationis ingreſſurus, poſtquam gratiæ *univerſalis* præciſe acceptæ *formale* in *potentia ſalutis* conſequendæ poſitum eſſe oſtendiſſet, ad eam potentiam duo pertinere docet, tum *gratiam ſubjectivam univerſalem*, h. e. redemptionem Chriſti, quam omnium hominum eſſe ex Scripturis probat, ita plures ex Reformatis ſenſiſſe prolatis teſtimoniis eorum oſtendit aliorumque rationes & exceptiones in contrarium diluit: tum *gratiam ſubjectivam univerſalem*, h. e. vocationem omnium hominum. Hanc vero docet duabus partibus conſtare, indivulſo nexu junctis, externa altera & adhuc *objectiva*, nempe oblatione & vocatione, altera *interna*, *ſubjectiva* & *inhæſiva*, nempe ſufficientis capacitatis vocationem ſequendi infuſione, ſine qua prior pars hujus gratiæ, in vocatione externa, gratiæ nomine omnino indigna ſit, ad rigoroſam Dei juſtitiam potius referenda. Naturam vero gratiæ *univerſalis ſubjectivæ* in quatuor momentis eſſe locandam, 1 ſeria Dei homines ſalvandi intentione, 2 efficacia ſalvandi, 3 ſufficientia ad ſalutem, qua impedimenta homini lapſo naturalia, quam reſiſtentiam naturalem vulgo vocant, tollat, ita tamen ut malitioſe homo reſiſtere valeat, 4 univerſalitate, quam tamen ut explicet, citra verbum Dei hominibus vocationem divinam obtingere poſſe docet, per propoſitionem regiminis & beneficentiæ divinæ in creaturas, & ſuſcitationes concluſionum practicarum in mentibus infidelium, eamque gratiam remotiſſime ſufficientem ſtatuit, de qua mox pluribus. *Subjectivæ* autem gratiæ huic proprietates tribuit duas, *irreſiſtibilitatem* ratione initii & potentiæ, *reſiſtibilitatem* ratione continuationis & actus. Atque ex iſtis liberum

rum

Digitized by Google

rum arbitrium ex gratia reſtauratum exſtruit, quod ante plene peractam converſionem homini a Lutheranis negari reprehendit (quaſi illi, quousque gratia operatur, & in initiis ipſis converſionis liberandi arbitrii initia fieri negarent) ſuamque hypotheſin pluribus firmat & vindicat, indeque gratiæ univerſalis *ſubjectivæ* delineationem multis argumentis propugnat, diſſentientibus vero reſpondet. Gratiæ *ſubjectivæ* ſeu vocationis univerſalis duos jam *modos* generaliores ſtatuit. Eorum prior *vocationis naturalis* nomine ipſi venit: ad quam ſtabiliendam locum Job. I, 9 trahit, eamque cum Jobi XXXIII, 30, 31 confert vindicata ab Enthuſiaſmi ſuſpicione explicatione ſua. Huic vocationi eſſentialiter cohærere docet gratiam precandi univerſalem. Modos vero ejus eſſe tres, nempe *primo* vocationem externam per opera creationis & prudentiæ divinæ: *ſecundo* vocationem internam per legem naturæ, quam contra Chauvinum vindicat, atque ex ea occaſione ideas innatas contra Bentlejum, Clericum, Lockium prolixiore digreſſione defendit: *tertio* per vocationem, quam civilem vocat, ex fama de Eccleſia exiſtentem. *Naturalem* vero hanc vocationem, quam tamen *gratiæ* eſſe vult, citra verbum revelatum, ſalutarem ſaltem remote plurimos tam Lutheranorum quam Reformatorum agnoviſſe, neque cum Arminianiſmo, vel Amyraldiſmo & Enthuſiaſmo ei commune quidquam eſſe, dubiis quoque nonnullis ſolutis, oſtendit. Alterum *modum* gratiæ ſubjectivæ ſtatuit *vocationem ſupernaturalem*, per verbum Dei revelatum peractam, cujus univerſalitatem priori modo multum cedere, & ad tria tantum tempora, Adamitarum ſcilicet, Noachidarum, & primorum Chriſtianorum extendendam eſſe putat. Ejus tamen etiam univerſalitatem, & argumentis tuetur plurimis, & teſtimoniis Doctorum, & confeſſionum Eccleſiæ Reformatæ, & exceptionibus variis reſpondet, Apoſtolosque omnino in omnibus partibus terræ habitabilis Evangelium prædicaſſe defendit, ſententiamque hanc a Pelagianiſmi, Sociniſmi, Arminianiſmi, Papiſmi & Synergiſmi criminatione vindicat. Denique totam doctrinam de Gratia Univerſali ſequentibus limitibus circumſcribit, quos ipſis ejus verbis hoc loco referre dividiæ haut fore exiſtimavimus.

 I. *Nun-*

I. *Nunquam objectiva ſeu externa Dei gratia, cujuscunque generis ea ſit, ſola & a ſubjectiva, ſeu interna, abſtracta ſeparataque putetur, quippe quæ libero arbitrio naturali, ſeu viribus hominis naturalibus, omnem ſalutis efficientiam tranſcriberet, ad minimum ipſam divinæ gratiæ & verbi divini admiſſionem ac receptionem iſtis vindicaret naturalem; ſed vero omnis gratia objectiva & externa, cum ſubjectiva præveniente atque interna, concreta ſtatuatur, quin niſi hæc præfracte rejiciatur, etiam cum concomitante & ſubſequente gratia interna, connexa.*

II. *Subjectiva præveniens, intelligatur, quæ potentiam, irreſiſtibilis, actu vero libero uſurpata, majoribus gratiæ gradibus, ipſa quoque particulari & quà actum irreſiſtibili Dei gratia (per quam fere ſolam a Deo ſolo, converſio efficitur, homine ſeſe mere paſſive habente) adaugenda.*

III. *Subjectiva præveniens ſufficiens quidem habeatur, at, ſi naturalis tantum ſit, & citra verbum Dei contingat, ſufficientia remotiſſima, ſi vero per verbum Dei impertiatur, ſufficientia proximiori gaudens, quæ homines per hanc ipſam ſolam minus refractarii, mediantibus majoribus gratiæ gradibus, tandem irreſiſtibili quoque ac particulari gratia ad Chriſtum fidemque in Chriſtum deducendi ſunt, unice per & propter Chriſtum, fide vera apprehenſum, ſalvandi.*

IV. *Subjectiva præveniens, ſive citra verbum, ſive cum verbo talis, nullo modo meritoria, ſed omni ex parte gratuita cenſeatur.*

V. *Gratia univerſalis quæcunque, tam propius, quam remotius ſufficiens, a nullo homine ſibi ipſi ita applicanda doceatur, ut hic per legitimum iſtius uſum ad particularem gratiam ſe perveniſſe autumare queat; quin potius pro certo habeatur, homini ad Deum ſe converſum animadvertenti, deque fide ſua certo, æſtimandum eſſe, ſe poſthabita neglectaque gratia univerſali, utut ſufficienti, ex mera tantum Dei miſericordia, ſpeciali ſola gratia poſtliminio donatum eſſe, ſicque gratiæ huic totum converſionis ſuæ negotium in ſolidum a ſe acceptum ferendum.*

Horum limitum *primum* arcendo *Pelagianiſmo* & *Semipelagi-*

pelagianiſmo vult ſervire, omne liberum arbitrium naturale excludendo. *Secundum*, eo quod excludat omnis liberi arbitrii, etiam ex gratia reſtituti, ſeu uſus hujus recti, in ipſa converſione exercitium, *Arminianiſmo* & *Synergiſmo* opponi. *Tertium Socinifmum* ſpectare, dum doctrinam de ſalute, extra unicum Chriſti ſacrificium, ceu meritum proprie ſic dictum, fidemque in iſtud, ceu inſtrumentum morale, citra omnem fidei acceptilationem ſperanda, rejiciat. *Quartum Papiſmum* excludere, omnis meriti ſive de congruo ſive de condigno negatione. *Quintum* denique pullulantem ex his omnibus Phariſaiſmum, erroribus dictis omnibus ſive theoreticis ſive practicis per eum repudiatis.

JO. GEORGII NEUMANNI, THEOLOGI Vitembergenſis, Theologia Aphoriſtica, ex B. Autoris MSS. abſoluta, & edita a M. JO. GUILIELMO JANO, Ord. Phil. Adj.

Vitembergæ, apud Godofr. Zimmermannum, 1710, 8.
Alph. 2 plag. 6.

QUod in omni doctrinæ genere maximopere ſpectandum exoptandumque eſt, ut vera ſententia cum perſpicue exponatur, tum ſufficientibus rationibus confirmetur, id inprimis in ſanctiſſima Deum colendi diſciplina B. Autor, multis jam pridem in rem ſacram meritis clarus, ſibi propoſitum habuit. Nam per totum hunc librum id unice egit, ut præcipua ſingulorum articulorum fidei momenta ſuccinctis Aphoriſmis comprehenderet, & ſelectiſſimis quibusque argumentis, quæ jam antea in controverſiis Theologicis adhibita ignem tentationis ſuſtinuerunt, confirmaret. Fecit autem hoc in iis potiſſimum, quæ a recentioribus adverſariis impugnata ſunt, & quibus ſpeciatim ſinguli Aphoriſmi opponantur, in margine breviter indicavit.

Ceterum cum per modum diſputationum Academicarum opuſculum hoc edere inſtituiſſet, præmatura morte occupatus non ultra caput de Scriptura S. progredi potuit. Reliqua ex re-

lictis

Digitized by Google

lictis ejus ſchedis collegit Jo. Guil. Janus, Collega noſter perinduſtrius, plura ex iis additurus, niſi importuna Bibliopolæ flagitatione impeditus fuiſſet. Hic enim ſuæ utilitati intentus cum fructu impenſæ, quam in priores XIII plagulas, ſuperſtite adhuc B. Autore impreſſas, fecerat, diutius carere nollet, & niſi reliqua ante imminentes nundinas abſolverentur, vitioſam eorum ex neſcio quo collegio illius MS. additionem minaretur, intra paucos menſes totum colligendi edendique laborem reſtrinxit. Quo factum eſt, ut poſteriores loci prioribus paulo exiliores prodirent. Interim ea, quæ forſan deſiderari poſſunt, editor aut iterata editione, aut alia occaſione ſupplere conſtituit.

HIEROCLIS, PHILOSOPHI ALEXANDRIni, Commentarius in Aurea Carmina; de Providentia & Fato, quæ ſuperſunt, & reliqua Fragmenta, Græce & Latine. Græca cum MSS. collata caſtigavit, verſionem recenſuit, Notas & Indicem adjecit PETRUS NEEDHAM S. T. B. Coll. D. Joannis Cantabr. Socius.

Cantabrigiæ, impenſis A.& J. Churchill, Bibliop. Lond. 1709, 8. Alph. 1 plag. 11.

AUreus eſt plane Hieroclis huius in aurea carmina, quæ ſub Pythagoræ nomine circumferuntur, Commentarius, ſed qui bis terve tantum hactenus lucem vidit. Et primo quidem Latina ſaltem verſio Jo. Auriſpæ prodiit Patavii 1474, qui eam ex codice MS. Venetiis emto concinnaverat. Græcum vero textum primus Pariſiis 1583 edidit Jo. Curterius, qui tamen ex Pearſoni & Cl. Editoris judicio admodum in Græcis autoribus vertendis & emendandis infelix fuit, cujus etiam rei aliquot in Præfatione teſtimonia adducuntur. Melior ſecuta eſt Londinenſis editio A. 1655, cum notis Merici Caſauboni & Prolegomenis Pearſoni. Verſiones quoque Anglicanæ hujus Commentarii memorantur, quarum una edita eſt A. 1682. Tandem Vir Celeb. Andreas Dacerius una cum vita & ſymbolis Pythagoræ edidit etiam vitam Hieroclis & verſionem Commentarii in aurea Car-

Digitized by Google

Carmina Pariſiis 1706, quæ recenſita invenies in Actis noſtris A. 1708 p. 140 ſeqq. Operæ ergo pretium ſe facturum putavit Vir. Clar. Petrus Needham, ſi hunc librum emaculatum, recenſitum, ſuisque & aliorum animadverſionibus illuſtratum, in eruditorum conſpectum emitteret. Subſidia ad hæc fuere primo Aurifpæ verſio, ex qua ille perpetuo textus ipſius lectionem dijudicavit, multasque bonas lectiones & conjecturas confirmavit; deinde illa, quæ Lambecius de MSS. 77, 78, 79 Bibliothecæ Vindobonenſis excerpſit, quamvis pauca admodum adhibuit, de codice 77 quoque conferendo ſollicitus, quod tamen impetrare non potuit. Poſtea ex bibliotheca Iſ. Voſſii collationem cum variis MSS. Regis Galliæ editionis Curterianæ margini adſcriptis impetravit, cui tandem acceſſerunt ea, quæ ex MS. Mediceo Dacerio miſerat Ant. Maria Salvinus, Græcæ Linguæ Profeſſor Florentinus. Integram hujus codicis collationem, quamvis id ſedulo egerit, nanciſci tamen non potuit Cl. Editor.

Ea porro Fragmenta, quæ ex Hierocle citat Stobæus, emendata ſunt ex MSto Stobæi, quod in Collegii Novi Bibliotheca Oxonii ſervatur. Poſtea Viros Celeberrimos Bentlejum & Daviſium laudat, qui animadverſiones & emendationes ſuas benigne ſecum communicaverint. Ipſa vero aurea Carmina ex aliquot Bibliothecæ Bodlejanæ codicibus caſtigavit. Verſiones Curterii in Commentario Hieroclis & Schotti in Excerptis librorum de Providentia & Fato ex Photii Bibliotheca Cl. Needham multis in locis ſibi minus ſatisfacientes invenit, quapropter eas recenſere neceſſe habuit, & plurimis in locis immutare. Quanquam in hoc quoque ſtyli ſui veniam petat, dum aliquando voces & phraſes Philoſophicas adhibet, idque auctoritate Quintiliani tuetur.

Cum autem ſub Hieroclis nomine plures noti ſint, duo ex his præcipue ſunt, quos horum operum auctores eſſe tradunt Viri eruditi. Unus fuit Vicarius & poſtea Præſes Bithyniæ, tandemque Præfectus Alexandriæ circa A. C. 302, Imp. Diocletiano, cui auctor fuit excitandæ in Chriſtianos perſecutionis, quippe quos etiam libris duobus acerbiſſime inſectatus

Digitized by Google

eſt, quod teſtatur Lactantius. Alter fuit Philoſophus Platonicus, qui circa medium ſeculi V Alexandriæ docuit, Theodoſio II, Martiano & Leone Thrace Impp. Hunc poſteriorem Noſter autorem tradit operum a ſe editorum, idque ſequentibus rationibus ductus, (1) quia libros de Providentia & Fato dedicavit Olympiodoro, qui ſeculo eodem vixit, (2) quia Theoſebius, qui A. C. 540. floruit, ejus fuit diſcipulus, (3) quia memorat Plutarchum, qui iisdem temporibus inclaruit, (4) quia fuit præceptor Æneæ Gazæi, ut ipſe in Dialogo de Reſurrectione notat, qui ſub finem quinti & principium ſeculi ſequentis inclareſcere cœpit.

Præfationem Editoris in hoc opere ſequuntur Suidæ de Hierocle teſtimonium, & Pearſoni Prolegomena cum ipſius animadverſionibus: ipſa deinde aurea Carmina & commentarius Hieroclis, tum librorum de Providentia & Fato excerpta ex Photii bibliotheca, nec non fragmenta ex Stobæo. Poſtea Theodori Marcilii notæ in aurea Carmina, Editoris notæ in eadem & Hieroclem, quibus admixtæ ſunt etiam Merici Caſauboni, tandemque Facetiæ, quæ ſub Hieroclis nomine eduntur, cum anonymi Editoris Lugdunenſis obſervationibus.

Ad ipſum Hieroclis commentarium quod attinet, non facile quis aliquid ab Ethnico profectum inveniet, in quo ſolidiores de veris virtutibus regulæ tradantur. Et certe hoc unicum fere ſcriptum eſt, ex quo optime diſcere poſſumus, quanta ſit hominis naturalis in moralibus ſcientia, cum hodie quamplurimi ſint, qui vel nimis, vel minus æquo tribuant homini ſacris Chriſtianis non initiato. Dignus ergo utique fuit aureus plane liber, cujus menda ab erudita manu abſtergerentur, quod ſane in hac noviſſima editione quampluri mis in locis feliciſſime factum eſt. E. g. p. 10 occurrit lacunæ ſignum in præcedentibus editionibus, quæ ita legunt: Ἔςι δὲ ἡ μὲν πρακτικὴ φιλοσοφία ἀρετῆς ποιητική. ἀληθείας *** ὡς καὶ ἐν αὐτοῖς τοῖς ἔπεσι τὴν μὲν πρακτικὴν φιλοσοφίαν ἀνθρωπίνην ἀρετὴν εὑρίσκομεν λεγομένην. Clariſſimus igitur Editor

tor cum celeb. Bentlejo ita reſtituit: ἔστι δὲ ἡ μὲν πρακτικὴ Φιλοσοφία ἀρετῆς πολιτικῆς. ἡ δ᾽ ἄλλη θείας· ὡς καὶ &c. *Practica autem Philoſophia virtutis politicæ eſt; altera vero* (Theoretica) *divinæ.* Quam lectionem probat ex ſequentibus verbis Hieroclis, qui practicam Philoſophiam ἀνθρωπίνην ἀρετὴν vocat, theoreticam vero θείαν ἀρετήν. Deinde producit aliorum auctorum loca, ex quibus conſtare poſſit, ſæpe vocem ποιητικὸς pro πολιτικὸς ſcriptam inveniri. Plura doctarum emendationum & reſtitutionum ſpecimina non adducimus, ſed potius ex MS. Medicei collatione, quam poſſidet quidam ex noſtris Collegis, aliqua depromemus, quæ fortaſſe adhuc obſervanda eſſent. P. 30, ubi hæc leguntur: Μελέτη δὲ ἀρίστη τοῦ τηρεῖν τὸ περὶ αὐτὸν (ὅρκον) σέβας, τὸ μὴ πυκνῶς, μηδὲ ὡς ἔτυχε χρῆσθαι τῷ ὅρκῳ; multo melius MS. Flor. legit τὸ περὶ αὐτοῦ δόγμα, hoc ſenſu: *Optimum eſſe ſtudium, ſi quis de jurejurando hanc doctrinam obſervet, ne crebro, neque temere eodem utatur.* Sic p. 40, ubi ita: πάντων οὖν ἀνθρώπων ὄντων κατὰ τοῦτο καταχθονίων, ὡς τρίτων λογικῶν, οὐ πάντων δὲ δαημένων, MS. For. emendatius habet: πάντων οὖν ἀνθρώπων κατὰ τοῦτο χθονίων, ὄντων λογικῶν &c. Lectionis hujus veritas & evidentia melius ex toto contextu dijudicari poterit. Locutus enim erat ſupra Hierocles primo de Diis immortalibus, deinde Heroibus & Dæmonibus, qui καταχθόνιοι vocantur in aureis Carminibus, tandem etiam de hominibus loqui incipit. Hoc igitur tertium genus τῶν λογικῶν οὐσιῶν vocat χθόνιον, quippequum Deus ipſi ſit οὐράνιον, Dæmones αἰθέριον. Nunc ergo pergit: πάντων οὖν ἀνθρώπων, κατὰ τοῦτο (provocat his verbis ad ea, quæ modo de ſubſtantiis rationalibus dixerat) χθονίων, ὄντων λογικῶν. P. 66. ita Hierocles: *Unde contingit, ut ejus* (juſtitiæ) *primum verſus meminerit, deinde prudentiæ,* καὶ ἐφεξῆς τῶν ἀπὸ τῆς φρονήσεως ἐπιγινομένων ἀρίστων ἐπιτηδευμάτων. Lege pro ἐπιγινομένων e MS. ἐπιγεννωμένων, & verte: *Poſtea quoque meminit optimorum ſtudiorum, quæ a prudentia deſcendunt.* Porro p. 74. *Fuerit vero perfecta prudentia,* ἡ περὶ μηδενὸς ἀλογί-

ςως ἔχουσα, ἀλλ ἐπεσκεμμένη μὲν περὶ τοῦ θνητοῦ σώματος, ἐπεσκεμμένη δὲ περὶ τῶν εἰς τούτου χρείαν συντελούντων. Lege utraque vice ex MS. *ἐπεσκεμμένως* ut *ἀλογίςως ἔχουσα*, & post *δὲ* inſere copulam *καὶ*. P. 88, ubi de legibus agit, dicit, pœnas punito memoriam injicere *τοῦ νόμου, δι' ὧν πάσχει κακῶς*. Melius MS. *δι' οὗ*. P. 110 *Φόριμος γὰρ ἡ ἀνθρώπων Φύσις πολλῶν διαςρόφων δοξασμάτων* vertit Cl. Editor: *Obnoxia enim eſt hominum natura variis opinionum erroribus, cum notitias communes non ſequitur.* Lege ex auctoritate MS. Medicei: Γόνιμος, & verte: *Producit enim hominum* &c. Ad p. 124 notat Cl. Needham p. 394, pro verbo *ἀμετρία* in MS. Mediceo legi *μετρίαν*, quem tamen non ſequitur, ſed vulgatam editionem recte retinet. Verum in noſtra collatione etiam apparet *ἀμετρία*, & incertum eſt, quid iſta ſibi velint. Pythagoras Deum *τετράδα* & *τετρακτὸν* vocat v. 47, quæ verba dum Noſter exponit, inter alia hæc dicit: *πῶς δὲ τετρὰς ὁ θεὸς οὗτος.* Ita legunt priores editiones Bentlejus vult *θεὸς νοητὸς*, quod Noſter in textum reponit, & ita vertit: *Ceterum quo pacto Deus ille, qui ſub intelligentiam cadit, quaternarius ſit*, ex ſacro ſermone Pythagoræ diſces. MS. Flor. optime legit *ὄντως*, hoc ſenſu: *Qua ratione Deus vere ſit* Τετρὰς &c.

Plura talia ſunt, quæ ex ſæpius laudato Codice Florentino reſtitui poſſent, ſed quæ nos data opera præterimus, qui hæc ſpeciminis ſaltem loco adduximus.

DE LINEARUM CURVARUM LONGITUdine; Autore JOANNE CRAIG.

Excerpt. ex Tranſ. Anglic. A. 1708 n. 314 p. 64 & ſqq.

LEMMA. *Duorum quadratorum ſummam in alia duo quadrata dividere.*

Sint dz^2 & ds^2 duo quadrata data, quorum ſumma $dz^2 + ds^2$ dividenda eſt in alia duo quadrata dx^2 & dy^2, ſintque m & n duo quilibet numeri ad arbitrium ſumendi. Jam ex conditione problematis eſt $dx^2 + dy^2 = dz^2 + ds^2$, unde (ut ex *Dio-*

ex *Diophanto* conſtat), erit $dx = \frac{(mm - nn)\,dz + 2mnds}{mm + nn}$, $dy = \frac{(nn - mm)\,ds + 2mndz}{mm + nn}$. Q. e. d.

Problema. *Curvas innumeras invenire, quæ ſint ejusdem longitudinis cum curva quavis propoſita, ſive Algebraica, ſive Tranſcendente.*

Deſignent z & s coordinatas curvæ propoſitæ, x & y coordinatas curvæ quæſitæ, quæ ejusdem ſint longitudinis cum propoſita. Unde ex curvarum elementis $dx^2 + dy^2 = dz^2 + ds^2$. Ideoque per lemma præcedens $dx = \frac{(mm - nn)\,dz + 2mnds}{mm + nn}$, $dy = \frac{(nn - mm)\,ds + 2mndz}{mm + nn}$. Quarum integrales ſunt: $x = \frac{(m^2 - n^2)\,z + 2mns}{mm + nn}$, $y = \frac{(m^2 - n^2)\,s + 2mnz}{mm + nn}$ Et ſic innoteſcunt coordinatæ x, y unius ex curvis quæſitis. Similiter ex hac una invenietur ſecunda, ex ſecunda tertia & ſic porro innumeræ invenientur. Q. e. d.

Exempla jam non addo, nam poſtea (Deo volente) opportunior dabitur locus, in quo methodus hæc ad plura hujusmodi problemata extendetur, & ſolutio problematis hujus per exempla illuſtrabitur. Et quidem hanc ſolutionem ſemel iterumque tam aperte indicavi, ut facillime a quovis in his verſato deduci poſſit ex iis, quæ ſubjunguntur ſolutioni caſus ſpecialis hujus Problematis, in quo ſc. Curva propoſita eſt Algebraica, quamque exhibui in Actis Phil. R. S. Jan. 1704, ut Clariſſimo Problematis propoſitori *D. Jo. Bernoulli* conſtaret, illius ſolutionem e methodis calculi differentialis inverſis maxime tritis poſſe obtineri, utpote qui in privatis ſuis ad D. *Cheynæum* litteris ſignificabat, eandem non poſſe exhiberi per Theoremata noſtra in Actis Phil. R. S. Mart. 1703 publicata. Et quoniam ex Actis Erud. Aug. 1705 percipio, ſolutionem illam (quæ ſcopo prædicto ſatis ſuperque ſatisfaciebat) doctiſſimo Viro non arridere, ideo modo præmiſſam ſolutionem nulli

 objectio-

objectioni obnoxiam publici juris facio. Neceſſe itaque eſt, ut Cl. *Bernoulli* agnoſcat, vix ullum dari problema, cujus ſolutio ex calculo integrali facilius deducitur, quam ſui de transformatione curvarum. Quæ vero in ipſius *Bernoulli* ſolutione diſplicent, paucis enarrabo. Et 1 quod ad curvas tantum Algebricas eam extenderet, 2 quod Mechanica tantum ſit, a motu (ut vocat) reptorio tota dependens.

L' INGENIEUR PRATIQUE.

h. e.

ARCHITECTUS MILITARIS PRACTICUS; Autore SEBASTIANO FERDINANDO DE MEDRANO.

Bruxellis, apud Fratres T' Serſtevens, 1709, 8, ch. maj.
Alph. 1 plag. 1 & Tabb. æn. 36.

CUm anno 1696 primum prodiret libellus, ex lingua Hiſpanica in Gallicam ab ipſo Autore non ſine augmento translatus, applauſu ab iis excipiebatur, qui caſtra ſequuntur. Et tyronibus certe commendari meretur ad praxin Architecturæ militaris adſpirantibus. Etenim ſatis perſpicue in eo explicantur, quæ uſui eſſe poſſunt. Præmiſſis ſcilicet ſolitis terminorum explicationibus & axiomatibus fundamentalibus de quantitate præſertim linearum in fortalitio vel conſpiciendarum, vel ſaltem concipiendarum, antiquam muniendi methodum exponit mechanicam, collis quintam, alis ad chordam perpendicularibus ſextam lateris interni partem tribuens, ſecundarias rejiciens, operumque externorum atque campeſtrium conſtructione abſoluta, propriam annectit, quæ alas retractas & auricula rotunda tectas *Vaubaniano* more in arcum efformat & *Paganiano* duplicat. Conſtructio ſine omni Tabularum apparatu numerorumque notitia abſolvitur: id quod practicis placere ſolet. Facta autem in charta delineatione lineæ ſingulæ ad ſcalam Geometricam applicantur, & e. g. in Pentagono reperitur linea defenſionis 849 $\frac{1}{2}$ pedum, facies 324 $\frac{5}{7}$, ala recta 160, collum 170, chorda 460 $\frac{1}{2}$, linea capitalis

309

Digitized by Google

309 $\frac{3}{10}$ ſemidiameter 680, auriculæ chorda 64, linea retractionis alæ 35, ala retracta 110. Poſtquam ſub finem libri primi methodos muniendi *Freitagii*, *Stevini*, *Matthiæ* Dögen/ *Samuelis Marolois*, *Nicolai Goldmanni*, *Erhardi de Barleduc*, *Emanuelis Alvarez*, *Petri Brovino*, *Petri Sardi*, *Tanſini* (cui propugnaculorum ſeparatorum inventionem tribuit) *Antonii de Ville*, *Comitis de Pagan*, P. P. *Fournier* & *Millieti de Chales* atque *Malleti* examinaſſet; Libro ſecundo de ſingulis lineis, angulis aliisque fortalitiorum partibus diſcurrit, & quænam in ſingulis obſervari debeant, edocet. Simili induſtria ipſam monimentorum exſtructionem Libro 3, & praxin offenſivam ac defenſivam Libro 4 edocet, tandemque Libro 5 Geometriam practicam more conſueto ſuperaddit.

Hiſtoriſche Nachricht von der öffentlichen Bibliotheque des Fürſtl. Gymnaſii zu Eiſennach. hoc eſt,

HISTORICA RELATIO DE PUBLICA BIBLIOTHECA Gymnaſii Iſenacenſis; una cum peculiari Diſſertatione de nonnullis regionum Saxonicarum publicis Bibliothecis, edita a CHRISTIANO JUNCKERO, Dreſd. Hiſtoriographo Ducali Saxo-Hennebergico, Duc. Gymnaſii Rectore & Bibliothecario.

Iſenaci, apud Joh. Adolphum Boetium, 1709, 4.
Plag. 16.

LAudabili ſtudio, & in Rei litterariæ haud contemnendam utilitatem, Cl. Autor hanc Bibliothecæ, quæ Iſenaci eſt, ſcholaſticæ hiſtoriam compoſuit. Primum veluti fundamentum modo memoratæ Bibliothecæ A. 1586 jecit M. Valentinus Weinrichius, firmiuſque reddidit illud Chriſtoph. Winerus, cum A. 1589 Calendis Nov. 150 florenos Miſnicos, nec non varios ex ſupellectile ſua libros impreſſos & manu exaratos, ei legaret teſtamento. Lucem Winerus iſte vidit A. 1545 in pago Megalupniſſa (Groſſen-Lupnitz) prope Iſenacum. Jactis Iſena-

Iſenaci ſtudiorum fundamentis, Jenam poſteaque Heidelbergam ſe contulit, ac ultimo loco Magiſterii gradum lauream- que Poeticam accepit. Circa annum 1569 Conrector ſcholæ Gothanæ conſtituebatur, quod quidem officium decennio per-
12 ſqq. acto depoſuit, anno 1579 Sunthuſium ad munus Eccleſiaſtes vocatus. Sed cum pro concionibus ibi doceret, corpus & ſanguinem Chriſti in ſacra cœna ſpiritualiter tantum a ſolis fidelibus veris manducari, ob hanc, cui adhærebat pertinaciter, ſententiam officio ſuo fuit exutus. Reliquum vitæ tempus privatim Sunthuſii conſumſit, & peſte tandem correptus, A.
16 ſqq. 1597 obiit. Scripta, quæ edidit maximam partem poetica, exiguæ molis neque majoris ſubinde momenti ſunt. Noſter ea chronologico ordine recenſet, atque ex illis notatu digniſſima ſtudioſe excerpit. Poſtquam deinde ipſam fundationis epiſto-
30 ſqq. lam Winerianam, ſuperiorum auctoritate confirmatam, ex manuſcripto adduxit Cl. Autor, catalogum exhibet librorum omnium in Bibliotheca Iſenaci ſcholaſtica, ab aliis, hic paſſim laudatis, poſt Wineri obitum inſigniter auctas, atque ſuas
85. nonnullis obſervationes ſubjicit. Hos inter, licet numerum 545 nondum excedant, reperiuntur tamen varia ſingularis & raritatis & pretii ſcripta. V. gr. ex *Theologicis* I Biblia Latina
48. V. & N. T. cum Canonibus Evangeliſtarumque concordantiis, nec non præmiſſa Codici Biblico interpretatione Hebraicorum nominum, in oppido Nürnberg, anno 1478 fol. Scripturæ horum Bibliorum, uti obſervat Cl. Autor, valde ſunt decurtatæ, literæque initiales omnes rubra notatæ lineola. Libri quidem ipſi in capita, illa vero in verſiculos non diſtinguuntur. Pſalmos vocat editor *Soliloquia*. II Pſalmorum Davidis codex Latinus cum canticis Prophetarum Moguntiæ im-
49. preſſus A. 1490 fol. exſtat Typorum characteres ex rubris nigrisque coloribus mixti ſunt, adeoque recentes, ac ſi nuper admodum eſſent impreſſæ. Litera initialis uniuscujusque Pſalmi permagna eſt; & variis tenuibus lineolis atque ornamentis pulcerrime exornata. Inſuper muſicæ notæ, quamvis in quatuor tantum lineis, occurrunt adjunctæ. Finem libri, notatu dignum, & hic exhibemus: *Præſens Pſalmorum codex ve-*

nuſt-

Digitized by Google

tuſtate capitalium decoratus rubricationibusque ac notis ſufficienter diſtinctus, adinventione artificioſa imprimendi ac caracterizandi: abſque ulla calami exaratione in nobili civitate Moguntina hujus artis inventrice elimatriceque prima ſic effigiatus, & ad laudem Dei ac honorem ſancti Benedicti per Petrum Schöffer de Gernſheim eſt conſummatus. Anno Domini MCCCCXC, ultima die menſis Auguſti. III Bibliorum Germ. Lutheri Tom. I & II, p. 49
Caſſellis 1601 fol. IV Biblia Germ. Norimb. 1483 fol. Aureis 53 ſeq.
iſta literis varieque pictis egregie pro ejus temporis ratione ornata ſunt. Figuræ ligno inciſæ, itidemque diſcolores, quoad inventiones inſignem ſæpius ſimplicitatem ſpirant. Sic enim Gen. III ſerpens facie muliebri, quæ crines promittit; paradiſus mœnibus turribusque cinctus; Sirenes duæ ad arcam Noæ; Abrahamus prægrandem ſub brachio gladium tenens juxta molam in monte alatam; & qui Jacobum mortuum efferunt, in veſtitu monaſtico repræſentantur. Locus 1 Joh. V, quem in ultimis ab ipſo Luthero reviſis, ac Witteb. 1544 editis Bibliis fruſtra quæris, diſerte in hiſce legitur. Ex *Juridicis* merito rariſſimum cenſetur 60.
Jus Canonicum, impreſſum Coloniæ 1479 fol. quod juxta Noſtrum non tam Jus Canonicum, quam commentarium in partem ejusdem exhibet. Ex *Philoſophicis* notanda veniunt Friderici 69.
Wilhelmi, Saxoniæ Ducis, Adminiſtr. Electoratus, Exercitationes horarum ſubſecivarum, Torgæ 1598 fol. impreſſæ. Obſervat hic Cl. Autor, quod exempla veteris ac recentioris hiſtoriæ nec non moralia & ſapientum prudenter dicta iſtæ contineant, quodque ejusdem Principis precationes Latinas Torgav. 1595, 4 editas alibi viderit, & ipſe alium codicem, A. 1559 vulgatum forma ſedecim foliorum poſſideat, in quo precationes Electoris Saxoniæ Johannis Friderici, ejuſque conjugis atque liberorum, collectæ ſunt Inter MSta, recentioris omnia ætatis, eminent cum Epi- 87 ſſ.
ſtolæ eruditorum, ex quibus notatu digniſſima hic attulit Noſter, tum Nic. Renhani Chronicon Eccleſiæ Iſenacenſis. 96.

In diſſertatione de nonnullis regionum Saxonicarum Bibliothecis primo loco exoptat Vir clariſſimus, ut non ſolum Præ- 3.
fecti publicis Bibliothecis, aut ſeorſim ſinguli, aut unanimi omnes conſenſu catalogos Bibliothecarum in ordinem redigerent, & pecu-

Digitized by Google

culiaribus diatribis exponerent Orbi erudito; ſed etiam alii ex privatis ſuis bibliothecis rariſſima quæque & manuſcripta lubenter cum illis communicarent: ſiquidem hac demum ratione plenum & utiliſſimum prorſus ſyſtema hiſtoriæ & arcanorum Bibliothecarum aliquando confici poſſet. Deinde Cl. Autor publicas Bibliothecas Annabergæ, Arnſtadii, Budiſſæ, Chemnitii, Coburgi, Dreſdæ, Iſenaci, Gothæ, Jenæ, Lipſiæ, Mainungæ, Miſenæ, Romhildæ, Schleuſſingæ, Vinariæ, Wittebergæ, Cizæ & Cygneæ iſto, quem hic exhibuimus, ordine breviter recenſet & quinam illis præpoſiti hodie ſint, quique unam alteramve jam deſcripſerint, paucis obſervat, & ipſe hinc inde nonnulla de iis curioſa inſpergit.

* * *

EQuidem novos libros recenſere noſtri alias inſtituti leges ferunt, ut eclogarum, quas ex *Petri Alliaceni* ſcriptis nobis transmiſit celebris Doctor Complutenſis, rationem iſthic habere initio hæſitaverimus. Verum, præterquam quod hic ipſe non pauca in iis obſervat, ea argumenti, de quo illic agitur, dignitas, ea librorum, ex quibus illa excerpta petita ſunt, etiam inter eruditiſſimos viros raritas, ea autoris harum eclogarum conditio, ut illa omnia ſpectanti nova multis modis videri poſſint, quæ hic repræſentamus. Ea præterea *Petri Alliaceni* ætas, ea in Romana Eccleſia auctoritas eſt, ut jucundiſſimum non eſſe non poſſit, illum de argumento ejus indolis ſententiam expromentem audire. Is enim Gallus gente, Compendii ad Iſaram anno 1350 natus, Joannis Gerſonis & Nicolai Clemangii in Collegio Navarrenſi præceptor, Academiæ Pariſienſis ab A. 1389 Cancellarius, & Carolo VI Regi a ſacris largitionibus & confesſionibus, Capellæ item Regiæ apud Pariſios ab A. 1394 theſaurarius, Epiſcopus inde A. 1395 Anicienſis & poſtea 1396 Cameracenſis, maximis in Republica Eccleſiaſtica negotiis adhibitus fuit. Academiæ Pariſienſis A. 1387 coram Clemente VII Pontifice Avenione Oratorem, contra Joannem Monteſonum Dominicanum, conceptionis immaculatæ B. Virginis impugnatorem, egit. Anno 1394 a Carolo Rege ad Benedictum XIII, qui Clementi VII ſucceſſerat, Schismatis tollendi cauſa eſt miſſus. Anno 1395 eidem Ponti-

Digitized by Google

Pontifici decreti de celebrando feſto Trinitatis, habita Genuæ concione, autor extitit. A. 1411 Concilio Piſano interfuit. Et Cardinalitia eo tempore impetrata dignitate, triennio poſt in Germaniam, Pontificis legatus, abivit, atque ſub anni 1414 exitum ad concilium Conſtantienſe profectus, tertiæ ejus ſeſſioni præfuit, ejus reliquo tempore pars magna exſtitit, crebras in eo conciones habuit. Cameraci fatis eſt functus A. 1425, *Aquila Franciæ*, & *Mallei veritate aberrantium indefeſſi* elogio mactatus. Tanti igitur inter ſuos Viri en tibi, Lector, de *infallibilitate Eccleſiæ* ſententiam, ab interprete minime ſuſpecto ipſis ejus verbis, ne apice quidem mutato, ut integra ſit ſcripto fides, ipſo ita volente, repræſentatam.

EX PETRI ALLIACENI, DOCTORIS PARIſienſis, tum Romanæ Eccleſiæ Cardinalis, Quæſtione de Reſumpta Selecta quadam & Excerpta de Eccleſiæ infallibilitate; adjunctis nonnullis ad ejus mentem rationibus & autoritatibus, in voto Chriſtianæ & Catholicæ pacis. Opera D. PETRI DE AGURTO, Doctoris Complutenſis.

PRo Petro Alliaceno, ſcholæ Pariſienſis Doctore celebri, & dein Cardinali, dicto Cameracenſi, fidejubere non eſt animus. Sibi ſtat, ſua ſatis ſententia & doctrina ſecurus, quam jam breviter exponam. Quod emolumento fore duxi, cum tantum hodie de infallibili Eccleſiæ judicio Doctores & Epiſcopi altercantur, & in hunc exceſſum efferuntur plurimi, ut Eccleſiam contendant divino & certo munere ab errore eſſe immunem, etiam cum de factis poſt Prophetarum, Chriſti & Apoſtolorum tempora ſero natis dijudicat. Si anguſtiori tramite factam a Chriſto Eccleſiæ ſponſionem Alliacenus concludit, novitii Magiſtri indulgent longe nimium latiori. Hæreat, qui poterit, medio interſecamine.

Petrus Alliacenus in hanc iverat ſententiam, in ſuis ſupra Magiſtrum ſententiarum Lectionibus, & eam tota fere quæſtione, quam inſcripſit de Reſumpta, repetit & confirmat: *Ex Scriptura Sacra non convincitur, quod ſemper eſt aliqua particu-*

Digitized by Google

laris Eccleſia, quæ Chriſti legis regulæ conformetur. Iſta fuit illius potiſſima ratio: *Illud, quod in Scriptura Sacra attribuitur toti & nulli parti, temerarium eſſe aſſerere de parte.* Nimirum hoc ſibi viſum ſolummodo in Filii Dei verbis: *Ecce ego vobiscum ſum omnibus diebus, usque ad conſummationem ſeculi,* Matth. IV verſu ultimo. Et clarius adhuc his: *ubi ſunt duo vel tres congregati in nomine meo, ibi ſum in medio eorum,* eodem XVIII, 20. Promiſſum ſemper adimplendum autumabat, ſed in hac vel illa parte. In nulla vero, quæ hoc jure perenniter neceſſario potiretur. Unde Eccleſiam definiebat, Eccleſiam inquam, cujus ſunt promiſſiones: *Eccleſia eſt omnis homo, vel omnes homines fideles in mortali corpore naturaliter viventes.* Obſervabat, Eccleſiam fuiſſe quondam in Abele totam, in paucis, vel forte uno extremis mundi temporibus futuram. Ideoque Vir ſummus arguebat, eſſe bonam definitionem abs ſe allatam, quæ *converteretur cum definito, non ſolum pro una differentia temporis, ſed pro qualibet, & reſpectu cujuslibet copulæ etiam de poſſibili.*

Ex his comperitur, & deinceps pluribus patefiet, quantum arctarit promiſſiones Cardinalis eruditus; quantum ſponſam, & promiſſam a Chriſto ſponſæ fidem.

Doctor alius quidam, cujus nominis non meminit in ſcriptis Alliacenus, forte Alliaceni æmulus, iis omnibus impetiit argumentis problema, quibus & hodie ſpes eſſet poſſe convelli. Argutabatur, Eccleſiam, ex mente ipſiusmet Alliaceni, non eſſe totam erroris & mendacii capacem, quod promiſiſſet Chriſtus, ſe affore ſemper, allaturum ſui luminis auxilium. Concilium ergo generale, quod totam Eccleſiam repræſentabat, quamvis non tota eſſet Eccleſia, ſed illius pars, nunquam in errorem delapſurum. Re ipſa non licere a Concilio generali ad aliud Concilium generale appellare, multo minus ad Papam Concilio inferiorem. Unde ajebat S. Gregorius de quatuor primis conciliis generalibus, quod univerſali conſenſu conſtituta ſunt, & ideo quisquis præſumpſerit abſolvere, quæ illa ligant, aut ligare, quod ſolvunt, ſe ipſum & non illa deſtruit. Addebatur, eos qui in nomine Domini convenere, de lumine ſuperno certos fieri. Nec oppo-

opponendum, eos non donatos fide obfirmata, & nullatenus variabili, quia nutaret fides Eccleſiæ totius argumento eodem.

Ad hæc Alliacenus conſtanti ſane & vivido mentis acumine, ſtatim calculum aliquorum, ut invidiam propellat, vel intundendo in plures minuat, indigitans, *Probabiliter reſpondent aliqui*, inquit, *quod Concilium generale poteſt contra fidem errare. Imo de facto ſic aliquando erravit, ſicut per multa exempla oſtendam, & ſpecialiter per Synodum Epheſinam ſecundam, quæ erravit & ideo reprobata fuit, ſicut Gloſſa 15 diſt. cap. 11. Et ad objecta in contrarium dicunt, negando conſequentiam. Et ad probationem negant aſſumptum dicentes, quod ſi concilium generale erraret contra fidem, liceret ab ipſo appellare, ſcilicet ad aliud concilium generale, ſi eſſet facultas ipſum congregandi. Et ſi illud iterum erraret, liceret ad aliud appellare, & ſic ſemper, donec Catholici convenirent. Inſuper ſi Papa non eſſet præſens, concilio generali errante, liceret ad ipſum præſentem, vel ad ipſum tunc cum alio concilio congregando appellare, vel etiam ad univerſalem Eccleſiam, ſi poſſet in unum convenire, eſſet principaliter appellandum. Si vero tota Chriſtianitas eſſet ſic depravata, quod ſoli hæretici haberent potentiam, & quod ſoli pauci & ſimplices pauperes manerent in fide, & reputarent, concilium generale errare, nec poſſent ſe humano auxilio tueri, non reſtaret aliud niſi ſe divinæ gratiæ committere, & illam injuriam patienter tolerare cum gemitu, triſtitia & dolore, ſicut Hieronymus conſulit viro Eccleſiaſtico, quando in ea, quæ vocatur domus Domini, invaleſcit iniquitas, & juſtitia omnis deprimitur, prout recitatur 93. diſt. cap. Diaconi. Vide Hieronymum Canone quando ergo 11, quæſt. 3.*

Quantum vero ad illud, quod dicitur de ſubjectione in cauſa fidei, dicunt, quod omnis perſona & congregatio errans in fide omni alteri non ſic erranti in cauſa fidei eſt ſubjecta. Et talis eſt præſtantior in Eccleſia, qualiscunque, aut cujuscunque conditionis exiſtat. Ad confirmationem, conceſſo antecedente negant conſequentiam. Tum quia primo Papa eſt perſona publica, gerens vices totius Eccleſiæ, & tamen poteſt contra fidem errare, & per conſequens ſimiliter concilium generale. Tum ſecundo, quia non oportet, quod omnis perſona vel congregatio gaudeat omni prærogativa

Digitized by Google

gativa, qua gaudet illa, cujus vices gerit. Et ad autoritatem B. Gregorii ajunt, quod loquitur de conciliis Deifice & rite a Catholicis celebratis, & loquitur de facto, non de poſſibili. Quare non oportet ſic eſſe de omnibus aliis. Ad aliam confirmationem poteſt dici, quod ſtat, quod illi qui ſunt in generali Concilio, non ſint congregati in nomine Chriſti, ſed quod ſint Chriſto contrarii. Tamen hoc non obſtante, non ſequitur propoſitum, quia illo conceſſo ſtaret, quod ſic congregati errant in fide, propter tactam ibidem cauſam, quia ſcilicet non propter hoc ſunt in fide confirmati. Nec valet replicatio, quia non ſic argui poteſt de Eccleſia univerſali. Nam licet ſit viatrix, tamen confirmata eſt in fide univerſalis Eccleſia, nec talis confirmatio repugnat ſtatui via ad intellectum ſupra expreſſum. Nec valet, quod dicitur, quod licet ſeorſum poſſit errare, tamen non ſequitur, quod omnes ſimul congregati. Nam concurſus ad eundem locum non reddit aliquos magis inobligabiles a fide, quam ante. Talis etiam concurſus in Chriſti nomine, habet locum in conciliis particularibus, de quibus tamen conſtat, quod poſſint errare. Hactenus Alliacenus.

Magiſter is alter Petri Alliaceni æmulus urgebat pro infallibili Eccleſiæ judicio, in concilio, vel ſuppoſito determinato, ſedis Romanæ privilegium, quo aliis omnibus ſedibus præeminet, ut in quibuscunque fidei cauſis judicet, & ſit commune aliarum Eccleſiarum coagulum, centrum. Quod eſt certiſſimum iſtius ſedis ſummæ jus; adſtipulantibus antiquis Patribus, Cypriano, Ambroſio, Hieronymo, Auguſtino. Aſt Alliacenus reponit, Eccleſiam Romanam *ipſammet poſſe deformari* legi Chriſti. De privilegii vero jure, ut ad ipſam omnes conveniant Eccleſiæ, & de omni cauſa fidei judicet, non abſolutum jus, ſed conditionatum cenſet, ita ut jure cadat, ſi fide. *Reſpondetur*, inquit, *quod ipſa particularis Eccleſia Romana, non eſt caput univerſalis Eccleſiæ, nec apud eam reſidet autoritas prædicta, niſi ſub conditione, quamdiu manet in fide recta. Nam licet in B. Petro recepit eam, tamen nihil videtur prohibere quin eam poſſit perdere, ſicut Eccleſia Antiochena. Et ita ſi ipſa fieret infidelis, vel hæretica, illi, qui prius erant Romana Eccleſia, deſinerent eſſe caput Eccleſiæ, nec haberent talem principatum, aut autoritatem; nec propter hoc deficeret fi-*

des

Digitized by Google

des Eccleſia univerſalis. Patres autem, qui ſuffragati ſunt ſedi, laudaſſe dicit Romanam Eccleſiam, ſui ævi quisque, ſanam, & non hæreſi pollutam; ſed non importune dijudicare voluiſſe, quid ad eam, contrario & poſſibili eventu, pertineret. *Loquuntur de facto*, ait hic iterum, *& de Eccleſia, quæ erat tempore Sanctorum illorum; ſed non loquuntur de poſſibili. Et ideo, ſi in futurum contingeret, quod Romana Eccleſia hæreticaret, ſicut videtur poſſibile, nec oppoſitum eſt ex Sacra Scriptura revelatum, quare hoc dicere eſſet temerarium, tunc illud quod in dictis autoritatibus affirmatur, in illo caſu, non haberet locum.*

Objecit & adverſarius celebre Auguſtini effatum: *Ego Evangelio non crederem, niſi me Eccleſiæ Catholicæ commoveret autoritas*; Aug. cont. Epiſt. fundam. cap. 2. Hic primo abſurdum eſſe obſervat Alliacenus, dicere autoritati alicujus particularis Eccleſiæ eſſe magis credendum quam Evangelio. Deinde patere dicit ex verbis Auguſtini, quia loquitur de Eccleſia, quæ ad usque ipſum ſucceſſerat a tempore Petri; & ſic ipſa comprehendebat Petrum, alios Apoſtolos, Evangeliſtas, ac Sanctos omnes, a quibus in Eccleſia ſuſceptum erat Evangelium. Ergo univerſalis Eccleſia, non particularis ulla portio. Quin imo non tam univerſalis Eccleſia ipſa, quam traditio divina, & vivens & loquens perpetuo verbum divinum, verbo ſcripto teſtificans.

Ultimo effutiebatur duraturum ſemper Miniſterum, donec Chriſtus veniret, teſte Paulo. Quaſi vero Alliacenus de duratione Miniſterii diſcerperet, cum de infallibilitate.

Sic clara mente & generoſo pectore Doctor eximius ſumptum lemma tuebatur, non poſſe probari ex Scriptura Sacra, quod ſemper ſit aliqua particularis Eccleſia, & ſpecialis Eccleſiæ portio, quæ Chriſti legi, regulæ conformetur; & contra temerarium videri tribuere parti, & non toti, quod Scriptura tribuit toti, & nulli ſpeciatim parti.

Alliaceni digna prorſus longa & erudita commentatione ſententia. Sed cordi ſit laboris alicui ejusdem ſcholæ Alumno, & Pariſienſi Doctori, mentis & placitorum hæredi. Rota verſetur hæc a diſcipulo innocui ac veracis Richerii Doctoris, qui ſuæ ſcholæ majorum Alliaceni, Almaini, Gerſonis, Joannis Ma-

joris

Digitized by Google

joris & aliorum libertatis Eccleſiæ vindices codices in unum collegit. Mihi ſit penſulum, nonnulla advertere non ut præs dogmatis Cardinalis Alliaceni, ſed æquus æſtimator, qui, & pondus judicet, & diductiori doctrinæ in aſſerenda infallibilitate Eccleſiæ circa non revelata, præferat.

1. Alliaceni doctrina non ea haberi poteſt, quæ ei de calamo deciderit præceps incogitanti. Sic jam ſenſerat in ſuis in Magiſtrum Sententiarum Quæſtionibus. Tota fere Quæſtione de Reſumpta iterum defendit. Purpura indutus, mentem non exuit priſtinam.

2. Ex ejus loquendi modo conſpicuum eſt, non tunc eum ſolum ſuis faviſſe placitis. Docti & Doctores alii calculum addebant. *Reſpondent. Dicunt.*

3. Non male hypotheſin cum Scriptura conciliat. Tantum cohærere ſatis non videretur cum Prophetarum promiſſis & allegoriis in efferenda præcellenti Eccleſiæ gloria. Verum hoc habuiſſet imbelle adverſarii telum Alliacenus; cum meris allegoricis locutionibus, nihil usquequaque certum. Hic etiam diſtinxiſſet factum & poſſibile, inſtitutum & eventum. Magnam hanc florentis Eccleſiæ gloriam a Prophetis prænuntiatam, comparata ſub Conſtantino Magno libertate, deſignaviſſet. Vel forte ipſo jugo, ipſa tyrannide ſub Nerone & Diocletiano. Quoniam tunc ſanguis Martyrum, ſemen Chriſtianorum, & multiplicabatur gens, magnificabatur lætitia, coram Deo & Angelis in cœlo, & coram hominibus fidelibus in terra. Illius & non omnis ævi talis fuit decor, talis Eccleſiæ gloria. Arrha autem, gloriæ, a qua nusquam potuit, poterit Eccleſia deſilire, qua nullo carebit tempore, hæc eſt, non eam deſerturum ſponſum, magnam, vel parvam, anguſtam, vel dilatatam & populoſam. *Ecce ego vobiſcum ſum omnibus diebus, usq; ad conſummationem ſeculi*, Matth. IV v. ult. inquiebat Chriſtus, ſeipſum promittens diſcipulis, numero paucis. Et iterum: *Ubi ſunt duo vel tres congregati in nomine meo, ibi ſum in medio eorum*, ibid. XVIII, 20 Quodque cumprimis adnotandum, Patres & Doctores antiqui, qui Scripturæ metaphoras de Eccleſia numeroſa & viſibili protendere longius, eam tamen in omni determinata parte, in ipſo etiam plenario & generali

rali

Digitized by Google

rali concilio agnovere fallibilem. Adeo Alliacenus cum illis in re primaria convenit, ſi in aliqua circumſtantia diſcrepat. In medium proferetur eorum ſententia deinceps.

4. Quamvis in fidei controverſiis Judicis viventis & loquentis probetur neceſſitas, quo altercationes & hæreſes ſopiantur, diminuentur, nondum æquali momento ſtabilita eſt certa & infallibilis Judicii fides. Ad Eccleſiam remittimur a Chriſto & Apoſtolis, in qua Doctores, Epiſcopi, Concilia ſedent judices. Sed Doctores, Epiſcopi, etiam ſummi, & in propriis Apoſtolorum ſedibus ſucceſſores, utique fallibiles. Concilia particularia errori obnoxia. Concilia generalia ſimiliter obnoxia Alliacenus cenſet. Sed infallibilis tamen, inconcuſſa veritas ſemper in Eccleſia vigebit, quia, invitis erroris conatibus & præjudiciis, ſibi ſervabit Deus, ſibi ſervabit Chriſtus hos duos vel tres congregatos in nomine ejus, in quorum medio erit. Ad Dominum pertinebit cura de rara olea poſt arboris excuſſionem, de racemo raro poſt vindemiam. *Quomodo ſi pauca olivæ, quæ remanſerunt, excutiantur ex olea, & racemi, cum fuerit finita vindemia, hi levabunt vocem ſuam*, Eſ. XXIV, 13, 14.

5. Nec ideo conſentaneum non eſt, ut Eccleſiæ tribunal non adeatur. E contra Chriſtus Dominus expreſſe præcipit, audire nos Scribas & Phariſæos ſedentes ſuper cathedram Moſis & Prophetarum, Matth. XXIII, 2. Hoc certe jubens, ut juxta hæreamus, & iis, ſalva alioquin veritate & incolumi, credamus. Scilicet Scribæ & Phariſæi doctrinam divinam in multis corruperant, a Chriſto reprehenſi, qui diſcipulis ajebat, ut caverent a fermento Phariſæorum, Marc. VIII, 15. Joſeph ab Arimathia, & Nicodemus, duo vix homines, in ſenatu & concilio Judæorum non omnino mali. Alliacenus inveſtigata Chriſtianorum hiſtoria, non ſemel ſimilem deprehendit defectionem. Honorabilis tamen cathedra, non ſpernendum Miniſterium. Non longe ſtare licet. Audienda vox; ſed ita ut ſecernatur, caveatur fermentum. Flagitioſus & nequam Caiphas incogitans ipſe prophetabat. Ut Doctorum & Paſtorum multitudo aberraverit, jam puſillus & purus grex balatu reſonet, jam fideles illi pauci, electi clament, vociferentur, tantoque magis, quo fuerint magis anguſtiati, & longe remoti. *Hinnient de mari*, Eſ. XXIV, 14.

6. In iſtis non fallitur parum, quisquis non adverterit, ea quæ ſufficiunt malis communibus remedia, extremis cedere malis, ipſaque extrema augere mala. Paſtor Eccleſiæ unus, Doctor unus, ſummus aliquis Pontifex, concilium provinciale, nationale, generale, hanc & hanc ſeorſim compeſcuere hæreſim. Ceſſit veritati & zelo mendacium. Verum ſæpe ſæpius tenebræ ortæ, unde lumen oriebatur. Doctores, Epiſcopi, ſummi Pontifices, Concilia, & ex mente Alliaceni ipſa Generalia, prava diſſeminarunt, decreverunt dogmata. Varium morbi incrementum. Et ecce juxta doſis medicamenti. *Epiſcoporum litteras per ſermonem ſapientiorem cujuslibet in ea reperitioris, & per aliorum Epiſcoporum graviorem ſapientioremq; autoritatem & prudentiam licet reprehendi, ſi quid iis forte a veritate deviatum eſt. Et ipſa concilia, quæ per ſingulas regiones fiunt, vel provincias, plenariorum conciliorum autoritati, quæ fiunt ex univerſo orbe Chriſtiano ſine ullis ambagibus cedunt. Ipſaq; plenaria ſæpe priora poſterioribus concordantur.* Aug. L. 2 cont. Don. C. 3. Alliaceni verba diceres, & ſunt Auguſtini, concinentis Alliaceno. Si vero poſteriora plenaria concilia & ipſa a veritate deflectant, augeant malum, non emendent, tunc illud unum ſupereſt ex eodem Alliaceno, mutuante ex Hieronymo, ut fideles ſe divinæ gratiæ committant & ingemiſcant cum lacrymis, eo quod invaluit error, & omnis veritas deprimitur. Prorſus ingens, ſed funereum, Antichriſtus regnans in templo Dei concilium! 2 Theſſ. II, 4. Gregorius nempe ſcripſit, præparari exercitum Sacerdotum Antichriſto. Lib. IV Ep. 38 C. 82. Quod Paulus, ut videtur, indigitat, loquens de periculis noviſſimorum temporum, Tit. I, 10, & in illis pravos hos Doctores & Paſtores ſuis propriis & nativis coloribus depingens. Unde jam non ænigma in Scripturis Antichriſtus, qui veniet & jam venit. *Antichriſtus venit & Antichriſti multi facti ſunt*, 1. Joh. II, 18. Congregata ſunt & congregabuntur concilia generalia & ſolemnia, libera, heu nimium! excelſa heu nimis in templo Dei, cum ſint Antichriſtus, Chriſtum præfingentia. Fallerentur, ſeducerentur etiam ipſi electi, niſi propter illos breviarentur dies, & ii miris modis ſalvarentur. Ope ſuorum reſarcitur Eccleſia, in juventutem renovatur, & quæ prius fere erat mortua, feliciter reſurgit interdum.

7. Alterum quoque argumentum Petrus Alliacenus attigit, quo

quod ſedi & curiæ Romanæ non parum faceſſat negotii. Supremum communionis Chriſtianæ ſibi tribuit apicem. Hinc infert ſuum infallibile judicium, ut de tota Eccleſia poſſit judicare & totius infallibilis non ſit caput fallibile. At Alliacenus non agnoſcit, hoc jus primarium ad ſedem Romanam pertinere, niſi ſub conditione, & quatenus in fide ſincera perſeverat; ita ut, quo gradu a fide deficit, & eodem a primatu. Fuit quondam Antiochena ſedes omnium prima. Recedente B. Petro, de privilegio decidit. Pariter Romana decidet, ſi a fide Petri recedat; cum fides magis, quam præſentia primatui congruat. Potuiſſet altius rem totam eruere Pariſienſis Magiſter, obſervando, Apoſtolicas ſedes omnes æqualis fuiſſe honoris & poteſtatis, ex divino inſtituto, quidquid ſit de humano. Si enim Petrus primus omnium in Apoſtolorum teſſera ab Evangeliſtis nuncupatur, hoc ſolum denotat, fuiſſe hunc primum omnium a Chriſto vocatum, vel hunc primum ante alios Apoſtolos poteſtate ligandi atque ſolvendi donatum. Nihil præterea. Re ipſa Apoſtolus Paulus primas dat Jacobo, Petrum nomine poſtponens, Gal. II, 9. Luculenter Cyprianus: *Hoc erant utiq; ceteri Apoſtoli, quod fuit Petrus, pari conſortio præditi, & honoris & poteſtatis*, de Simplic. Præl. Aliæ igitur ſedes Apoſtolicæ, quæ ſuorum autorum & fundatorum juri ſuccedunt, cum non ſibi quæque de apice & primatu abblandiantur, neq; Romana Apoſtolica ſedes debet abblandiri, multo minus ſibi infallibile tribunalis judicium uſurpare, quod nulla alia primaria ſedes neque per ſomnium ſedis prærogativam ſuæ cogitavit. Fama notæ illæ Orientis Eccleſiæ, manibus Apoſtolorum formatæ, ſapientia gubernatæ, ſanctitate conſpicuæ, nihil hodie niſi magni nominis umbræ. Similis forte manet fortuna Romam, niſi forte pejor etiam ſtrage nequiori. Sed ſtet ſemper Romana ſedes, ſtet Antiochena, ſtet Hieroſolymitana, Alexandrina. Stent ad uſque ultimum diem, ut non dubium ſtaturum perpetuo Miniſterium vel in iis ſedibus, vel ab iis derivatum, non erunt niſi cathedra Moſis & Prophetarum, cathedra Chriſti & Apoſtolorum, in qua Scribæ & Phariſæi, corrupti miniſtri & fallaces ſedebunt non raro. In hanc venient lupi rapaces, veſtiti pellibus ovium, ut ſe ſimulent candidos & mites. Quæ nobis Evangelium ob oculos ponit mala miniſterii. Sed ſylvam quoque bonorum detegit. Oſten-

Digitized by Google

dit dignitatem excellentiamque; ex parte Dei, qui eſt autor & principium; divini verbi, quo uti debet ut norma, ut regula; Sacramentorum, quæ ſemper ſacra & ſancta in nomine Chriſti adminiſtrat; vinculi denique, quo cum miniſterio nunquam non cohæreamus indivulſi, etiam audientes malos magiſtros, miniſtros, ut, quæ vera & bona docent, amplectamur, non facientes ſecundum eorum opera.

8. Ubi de prece communi totius, quæ Chriſti nomine inſignitur, Eccleſiæ ageretur, appoſite ſatis ſeſe offerret Cardinalis Alliaceni doctrina. Nulla ſe Eccleſia jactaret infallibilem, ex præjudicio & ſupercilio. Eccleſia Romana & Eccleſiæ illi in Latio asſeclæ, Eccleſiæ Græcæ, Eccleſiæ Hiſpanicæ, Eccleſiæ Germanicæ, Eccleſiæ Galliæ, Angliæ, Poloniæ, Sueviæ, Daniæ, cujusvis demum ditionis terræ ad aſſignatum congreſſus locum legatos mitterent, quos quæque elegiſſet doctos, ſed modeſtos & non immoderati animi. His omnium Eccleſiarum committeretur fides, de qua ex Evangelii lege ſemper ſarta tecta tranſigerent. Sic fidem firmarent, figerent, variis Eccleſiarum placitis tremulam. In apertis pronunciarent. In obſcuris & dubiis judicium ſuſpenderent, & cuique permitterent ſuo a bundare ſenſu. Verum & generale eſſet concilium, in quo Eccleſiæ & gentis omnis Chriſtianæ admitteretur liberum ſuffragium. Non tamen ideo fimbrias veſtimentorum extenderet & infallibilitatem ambiret, affectaret. Nihil ſimile a Chriſto fuit promiſſum ex ſententia Alliaceni. Parcius, ſed æquius, certius in fidei dogmate dijudicaret. Non præſumens dirigeret ad verum rectius. Laus denique ejus, non verba, ſed operis magnitudo. Vere dignum & laudandum concilium, cujus exitus tamdiu deſiderata Chriſtianorum omnium pax & unanimis fides! cum potuerit aliorum conciliorum eſſe, nec omnino malorum ſcopus, imperium regere & poteſtatum ſoli Deo ſupparum colla ſubdere, in Gentium Politiam invadere, anathemata & articulos ad ravim & ut in ſcholis, non ex decore tribunalis pronuntiare, non omnes audire & ſuſcipere, Monarcham alium a Chriſto in Eccleſia habere, omnipotentem, omniſcium, infallibilem, cujus nutu ſolius, & non Evangelica Scriptura, traditione divina cuncta gubernentur, uno verbo, cum tot & aliis pluribus errationis indiciis de tripode ſe dare infallibile.

Digitized by Google

le. Sin Eccleſia Romana de præjudicato in his judicio deſiſteret, & de ſancita ſibi fide compromitteret, Autorem haberet, non extraneum, non pumilionem, ſed alumnum, ſed Magiſtrum Scholæ inprimis celebris & orthodoxæ Pariſienſis, Doctorem, quem ſedes ipſa Romana purpura ſua donavit.

9. Quoniam vero difficilius hæc labefactarentur Cardinalis Alliaceni dogmata, quæ ſunt aliunde paci & quieti communi faventia, non continuo in contrarias omnino partes eſſet eundum. Prudenter jam in medio ſiſteretur, & Eccleſia concluderetur infallibilis, in præceptis & documentis divinis ſolis enodandis, explicandis; juxta hæc Chriſti jamjam aſcenſuri in cœlum verba: *Ite, docentes omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris & Filii & Spiritus Sancti, docentes eos ſervare omnia quæcunque dixi vobis. Et ecce ego vobiscum ſum omnibus diebus, usque ad conſummationem ſæculi*, Matth. Cap. & verſ. ult.

9. Aſt ſibi non temperat curia Romana & medio ſtare neſcit, utcunque hoc placuerit Theologis & Magiſtris ſuis quampluribus doctiſſimis & ſapientiſſimis. Curia Romana & extra curiam illi adulantes Prælati, non ſibi ſatisfactum, ſat conceſſum putant, niſi Eccleſia, quam curia afflat, infalſiloqua in omni judicio pronuntietur, etiam de rebus & eventis novis, longe poſt clauſa S. Spiritus & ſacrorum Autorum ſcrinia. Videant, ne lacerent, quod nimis diducunt. Fenelonius, Archiep. Cam. qui tot & tanta nuper pro hoc alio tripode ſcripſit, jam primum ſalvet & muniat. Jam infalſidicos probet, non ſummos Pontifices & Epiſcopos ſeorſim & ſeparatos, ſed in congreſſibus & conciliis generalibus conjunctos, non de rebus & factis humanis agentes, ſed volentes loqui divina, divina interpretari. Obnubilantem Fenelonius Alliacenum abigat, nubes, rationum momenta diſſipet, quæ Doctor celebris in hanc meliorem infalſiloquam vim intulit. Si præſtas, Feneloni, jam amicitus purpura Romana donaberis. Reprimes, rejicies doctrinam Petri Alliaceni, ſed nomen dignitatis revocabis. Exurges & velut reſurget Cardinalis Cameracenſis in te Cardinali Archiepiſcopo Cameracenſi. Sed antequam ſpartam hanc, quam nactus eſt Fenelonius, ſibi & nobis exornet, per hunc liceat nobis placita Archiepiſcopi Cameracenſis placitis Alliaceni, Cardinalis Cameracenſis dicti, poſtpo-

nere. Hæc pacis, concordiæ communis amica, & forte quondam, ut diximus, janua, nodus. Illa cient inter Catholicos bella, & reduces oves longe arcent ab Eccleſia.

11. Jam hic ad litem de Janſenii recta fide &, ut vocant, factum Janſenii devenimus. Controverſia ſane ſuper æthera nota, ſi unquam ulla, quam poteſtas utraque Sacerdotium & Imperium componere tentavit; quam Epiſcopale tribunal iteratis judiciis diremit. Deinceps nolle dijudicare iterum, conſentaneum & commodum. Sat firmæ inhæretur ſententiæ & facilis ſic quies paratur. Sed nonne hoc ſufficit? num adhuc de humano Janſenii errore & caſu tanquam de divino quodam & revelato credendum? An Chriſtus ſedit pro tribunali, cum judicatus eſt Janſenius non docuiſſe cum orthodoxis Auguſtino & Thoma? Implicita res & quam Spiritus Sanctus ne γρῦ expreſſit in Evangelio. Apud Archiepiſcopum Cameracenſem Fenelonium, & Doctores ſui ſimiles, in parvo pretio fides divina. Aliis in multo majori eſt. Sacri & divinitus afflati Autores non ſcripſere, Janſenium hoc & hoc pravum dogma docturum; ne quidem fore unquam Janſenium. Chriſtus circa hæc ſolum, quæ præcepit & docuit, promiſit Eccleſiæ ſe affuturum. Ubi ergo divina fides de Epiſcopi crimine? humana eſt, non divina fides, quæ in humano Eccleſiæ judicio fundatur. Impetiit Janſenium ſuorum Coepiſcoporum numeroſa manus. Æquo fert animo & placido, fructu nunc Deo indubie poſt vitam in laboribus & in pietate actam. Sin aberravere judices, deluſorum miſeretur, & infauſtis res ſecundas ſucceſſuras ſperat. Similem fortunam experti alii Doctores & Pontifices, majori preſſi judicio. Quæ vident omnia & metuunt Janſenii hoſtes, qui ideo de Decreto, adverſus Janſenium, prout ejus perſonam & opus afficit, vellent ſentiri, tanquam de dogmate ſarto fidei, a quo non licet reſilire unquam. Bene ſi vel hypotheſin Alliaceni in adverſo poſitam elidant, tantum abeſt ut in tam novo & fragili fidem antiquam & divinam collocent.

12. Nullus diffiteatur, qui pectore ſit candido & aperto, motum de Janſenio judicium non a fide revelata pendere, ſed ab æquitate & charitate. Æquum, ſi reus eſt, ut condemnetur. Æquum & humanum, ut vel dubie innocens dimittatur. Ignavum, indoctum vulgus non judicat. Cæcum acquieſcit Pontificum & Epi-

Digitized by Google

Epiſcoporum nutu; compendio facili. Qui autem legendo non ſunt impares Janſenio, alii ſibi videntur in re, vel in imagine, quinque famoſas illas Propoſitiones reperiſſe, tuti & ſecuri addentes calculum. Alii vero tota oculorum acie & mentis perſpicacia nihil ſimile inveniſſe aſſerunt, quamvis propoſitiones deteſtentur in ipſo Janſenio, ſi ſint. Illis deſit viſus, mens & attentio docilis. Non mehercule ſupernaturalis fides. Quin ipſi Epiſcopi & ſummi Pontifices potuere falli judicio, quia non omnes, quia non congregati, tum præcipue quia de iis, quæ revelata non ſunt, nulla ſpecialis facta Eccleſiæ promiſſio, non promiſſum auxilium. Attamen Eccleſia cenſura perſtringit rebelles ſuæ ſententiæ, de evidenti, ut putat, hæreſis crimine. Dolenda ſors eorum, qui a ſe depellunt errorem judicio impactum, & tamen reverentur tribunal. Incauti, male ſobrii, æquo ſinceriores, de quiete non ſolliciti. Verum laudandi, qui Eccleſiæ ſemper adhæreant, & unitatem & fraternitatem ament; ut inſons diffitens impoſitum ſcelus & judicem non odio habens. Nullis parcant laboribus, ut veritati nunquam non ſerviant, non litent. Suaque illis & norma & conſolatio ſit in eximiis Auguſtini verbis: *Si Furius Camillus*, inquit, *ingratam Patriam a cujus cervicibus acerrimorum hoſtium Vejentium jugum depulerat, damnatusq; ab æmulis fuerat, a Gallis iterum liberavit, quia non habebat potiorem, ubi poſſet vivere glorioſus; cur extollatur, velut grande aliquid fecerit, qui forte in Eccleſia ab inimicis carnalibus graviſſimam exhonorationis paſſus injuriam, non ſe ad ejus hoſtes hæreticos contulit, aut aliquam contra ipſam hæreſin condidit, ſed eam potius, quantum valuit, ab hæreticorum pernicioſiſſima pravitate defendit*, de Civ. Dei L. V c. 18.

13. Nihil hic in malam trahatur partem. Hoſtes Eccleſiæ profligavit Janſenius. Profligavere magni nominis Viri, defenſores Janſenii, & glorioſi diſcipuli. Exterorum & domeſticorum Vejentium jugum depulerunt. Hinc contra illos invidia, ira. Stetere tamen immoti in ſuo pro Republica, pro Sanctorum patria amore, utcunque pulſi. Non ſit Reſpublica, patria tam conſtantis animi immemor. Non ſummi juris prætextu, ſummam de ſe bene meritis inurat injuriam. Non periclitatur fides; non ſancta morum regula. Flocci res eſt, & in qua errare ſit perhumanum. Vane ergo inflatis buccis inclamet Archipræſul Cameracenſis, fide divina certum hæreſin condidiſſe Janſenium. Sit modo fidei humanæ, & fallibilis momentum. Romani judices, non unis addicti partibus, contrarias partes cœco & inclementi zelo peſſumdent; ſed quæ ſunt communis

Eccle-

Eccleſiæ pacis ament, quærant, decernant. Nondum plenarium Eccleſiæ concilium in cauſa pronunciavit Janſenii, ut concilia plenaria totius Eccleſiæ in ſcripta pronuntiarunt Papæ Honorii, ut quæ dogma Monothelitarum ſaperent: vindicatur Romæ ſui Pontificis honor. Et ſit hæreticus, qui in Belgio, vel in Gallia honorem vindicat Janſenii! Non erubuiſſe nos, erubeſcent poſteri.

14. Hi contra Cardinalis Alliaceni opinionem fuiſſe ex data occaſione e longinquo gaudebunt reducem. Quaſi unico ſecuris ictu arborem ingentem infallibilitatis tot ramorum truncum de radice vertit. Non pro Alliaceno ſumus prædes & ſponſores. Nec præſtat apud creditores præpotentes juxta & duros, ad ultimum & vilem obolum debitum repoſcentes. Sed tamen ſententia Alliaceni e Scriptura, ut videtur, naſcitur, fluit. Scaturigo in Eſ.XXIV,11,12, ubi de fide & Eccleſia ſymbolice dicitur: *Deſerta eſt omnis lætitia, translatum gaudium terræ. Relicta eſt in urbe ſolitudo & calamitas opprimet portas.* Ibidem Eſaias fideles paucis olivis, quæ poſt excuſſionem oleæ, paucis racemis, qui poſt vindemiam ſuperſunt, comparat. Paria Chriſtus de puſillo ſuorum grege. *Puſillus grex*, Luc.XII,32, inquit, fidem & Eccleſiam condens, quam ſe ſervaturum ſpondet, ubi duo vel tres erunt in nomine ejus congregati. Quæ de Paſtoribus & Miniſterio tota efferuntur ſacra pagina, iis conſonant. Patres ipſi avitæ huic Pariſienſium Doctorum doctrinæ conſentiunt; paucos Romanos Pontifices & aliqua concilia excipe, in ſua cauſa æquo creduliora. Alii dixerunt ingemuiſſe totum Orbem terrarum, ſe incogitantem eſſe hæreſi pollutum Hier. Alii conſeſſus Epiſcoporū generales plerumq; nocuiſſe, raro profuiſſe. Greg. Naz. Alii quaſcunque partes de ſuis plenariis Conciliis ſibi plaudere; unde ſepoſitis his ad amuſſim verbi divini erant cuncta componenda. Alii concilia generalia ſæpe priora poſterioribus emendari. Auguſtin. Patres deniq; & Doctores hoc viderunt & videre nos voluerunt, quod objicitur oculis, tum in hiſtoria Judæorum, tum in hiſtoria Chriſtianorum, tres cœlum patuiſſe aliquando non amplius ulnas; Eccleſiam, inquam, nonnunquam oppreſſam, non fuiſſe extra paucos carceres & anguſtas cavernas diſſitam. Unus vel alter eorundem Patrum de viſibili & magna ſpecie Eccleſiæ cum pompa diſſeruit. At quam viſibili & magna ſpecie, eandem fallibilem judicio agnovit. Eccleſiam ſui ævi, longe usquequaque dilatatam, propatulum tunc & fulgens late Miniſterium, continua ſerie ab Apoſtolis prognatum, & cui hoc vere par eſſet, oſtentabant providi Patres, non ex æquo eidem Miniſterio fore fidem ſemper ſociam, judicantes. Suas illi indivulſas ſedes in oraculis Prophetarum & Apoſtolorum, in fidelium ſinceris pectoribus figebant. Viridarium, vineam, arbores, vitem deſignaverunt, non fructum proceloſo erroris impetu, quandoque rarum. Ita ut & Scriptura, & hiſtoria, & autoritas Patrum Alliaceno faveant. Cardinalis eruditus animo ſenſit generoſo & libero. Ad jugum demittendum, quisque bene præparatæ mentis inardeſcit, ut viderit ſpei luculam. In periculis & terroribus, tetro & horrendo circumſepti Inquiſitorio Tribunali, adſpiramus liber ari.

Excerpta & meditata in noſtro Muſæo, Compluti, a Kal. ad Idus Maji A. 1709. D. Pedro de Agurto, Doctor Complutenſis.

* * *

Digitized by Google

N. IX.

ACTA ERUDITORUM,

publicata Lipſiæ.

Calendis Septembris, Anno MDCC X.

Chriſtfürſtliche Andachten/ und Betrachtungen etlicher Bibliſche/Sprüchen zur Ehre und Lobe GOttes/ wie auch ſein und der ſeinigen Erbauung/ aufgeſetzet von J. W. H. Z. S.

id eſt,

CHRISTIANO AC PRINCIPE DIGNÆ MEditationes, Conſiderationesque aliquot Scripturæ Sacræ Dictorum; Autore JOHANNE WILHELMO, Duce Saxoniæ, &c. &c.

Iſenaci, & proſtant Lipſiæ apud Jo. Ludov. Gleditſch & M. Weidmann, 1709, 8.

Alph. 1 pl. 13.

RArum utique eſt, videre Principem ita ſtudiis litterarum indulgentem, ut non modo utatur iis ad Reipublicæ ſuæ commoda, ſed in alios etiam, quidquid ipſe feliciter hauſit, velit derivare, aut animi meditamenta, aut res a ſe ſuiſque majoribus geſtas fortiter præclareque peculiaribus libris exponendo. Rarùm id eſt, ſed nec tamen ab omni alienum documento. Nam & priora ſecula tales tulerunt Principes in Græco pariter Romanoque Imperio; nec patrum memoria, aut noſtri ævi ſpatium infœcundum eſt præſtantia exemplorum. Si vero quædam ineunda ſit ratio, non temere aberraſſe a vero cenſendus eſt, qui, ceteris fere in hoc genere eminere plures SERENISSIMÆ DOMUS SAXONICÆ PRINCIPES, audeat affirmare. In promtu foret, huic aſſer-

tioni adſtruere fidem, niſi fruſtra videretur, in re, quæ dubio caret, prolixæ immorari velle oſtenſioni, nec adhuc dum per totam Germaniam vel REVERENDISSIMI AC SERENISSIMI DUCIS SAXO-NUMBURGICI, DOMINI MAURITII WILHELMI, fama circumferretur, qua conſtat ſatis, nihil in omni hiſtoriarum complexu tam obſcurum eſſe, intricatumve in ſerie illuſtrium familiarum genealogica, cui ipſe aut non affundat lucem, aut quod neſciat explicare.

Quam propria vero laus iſta SERENISSIMO huic PRINCIPI eſt, æternumque duratura; tam grande ſimul & litteris & veræ pietati acceſſit decus ex SERENISSIMI DUCIS SAXO-ISENACENSIS, DOMINI JOHANNIS WILHELMI, edito nuper ſub literis initialibus J. W. H. Z. S. hoc eſt, Johañ Wilhelm, Hertzog zu Sachſen, libro, quo ipſe *Meditamenta ſua de beneficiis Dei*, (quæ ſola A. 1709 prodierunt) iisque nunc junctas *Conſiderationes dictorum aliquot Biblicorum*, noluit intra privatæ pietatis limites continere, ſed juſſit potius eas notas fieri pluribus, edique in lucem, & incitamento eſſe ad cultum ſincerum Dei virtutisque, tum *Suæ Familiæ Celſiſſimæ*, tum ſuis etiam civibus, aliisque. *Facere* enim, quod ali-
II, 126. quo loco peropportune infert Vellejus Paterculus, *recte cives ſuos Princeps optimus faciendo docet; cumque ſit imperio maximus, exemplo major eſt.*

Genus autem ſermonis, quo SERENISSIMUS AUTOR utitur, PRINCIPE omnino dignum haberi debet, planum quippe & elegans, nec ullibi affectatum, ſed plenum amoris erga ſupremum Numen, cumque verbo ejus ſanctiſſimaque loquendi conſuetudine prorſus conveniens; ſic ut multos hinc intelligamus erubeſcere poſſe, qui in more habent poſitum, neſcimus quo orationis faſtu & fuco aliunde petito, precum meditationumque ſacrarum exempla proponere, ingenii quidem fortaſſe nimium ſapientis ſpecimina daturi, tantum abeſt, ut ſimplices animi ſenſus exprimere ſtudeant. Nihil certe heic aut adulationi damus, aut noſtræ in SERENISSIMUM hunc PRINCIPEM devotioni, maxima illa ſit licet ac ſubmiſſiſſima; certi quippe, idem nobiſcum facile perſuaſum iri quem-

quemlibet libri, noſtro hoc ævo rariſſimis adnumerandi, pium curioſumque Lectorem, quem, ſi unquam alias, nunc ſane utile eſt inſtrui a tanti exempli autore, ut quævis potius aut facere velit aut pati, quam ea deſerere fidei vitæque officia, quæ Deo non poſſunt eſſe non grata, atque a ſuperſtitioſo impioque cultu ſunt alieniſſima.

Eam vero ob cauſam, quia majori cum fructu datur legentibus liber iſte in manus, quam ſi particulas ejus velimus aut decerpere, aut contrahere in ſummam; hinc poteſt ſufficere, ſi indicamus non ſolum, ineſſe eidem, ſimul cum *Adlocutionibus* piis, clementiſſimisque & gravi oratione compoſitis, ad SERENISSIMAM CONJUGEM, SERENISS. FILIOS FILIASque, & Miniſtrorum utriusque ſtatus Collegia, *Meditamenta* XLI & LII *Conſiderationes dictorum Biblicorum* veteris novique Teſtamenti; ſed &, quod aliunde certo accepimus, in eo fuiſſe, quem *Hala Magdeburgica* peracerbo, quia præmaturo, funere nuper extulit, SERENISSIMUM PRINCIPEM HÆREDITARIUM SAXO-NUMBURGENSEM, DN. FRIDERICUM AUGUSTUM, nunc beatiſſimum, ut hunc ipſum librum *Gallica* interpretaretur lingua, eique operæ jam quoque dediſſe initium, perducendæ mox ad finem, niſi animam cœleſtem cœlo reddidiſſet ante, quam cœptam telam perficeret. Ceterum noſtrum eſt optare, ut vivendi ſpatiis & diuturnis & conſtanti decurrentibus proſperitate SERENISSIMUS DUX poſſit perfrui.

GENEALOGIÆ VIGINTI ILLUSTRIUM in Italia Familiarum, Exegeſi hiſtorica perpetua illuſtratæ, Inſigniumque iconibus exornatæ. Studio ac opera JACOBI WILHELMI IMHOFF, Conſiliarii & Quæſtoris Ærarii Norimbergenſis.

Amſtelodami, ex officina Fratrum Chatelain, 1710, in fol. Alph. 4.

SPlendidum opus eſt, quod illuſtris *Imhofius* cum Eruditis, quibus volupe eſt ultra vulgus ſapere in ſtudio excelſarum

 fami-

familiarum ſtirpes ſucceſſionesque cognoſcendi nuper communicavit; benevolam ea in re expertus operam Clariſſimi apud Amſtelodamenſes Viri, *Chatelainii*, quem nos alio loco, autorem eximii operis, quod *Atlantem Hiſtoricum* inſcripſit, ex merito laudavimus. Nec addi quidquam poſſe illius perfectioni, plane perſuademur, usque adeo & typi ſunt elegantes, & adhibita ab Autore induſtria ſingularis omnino habenda eſt, quippe cum nihil appareat, quod tritum ſit aut temere poſitum, ſed exquiſita omnia, & longo etiam cum Viris in utraque Republica principibus eam ob rem inſtituto litterarum commercio confirmata. Nos quidem, qui fatemur, facem prætuliſſe hactenus Celeberrimum Imhofium, non paucis inter noſtræ gentis homines, longe tamen eos poſt ſe relinquentem malumus verſum, quo coronatur operis præſentis Præfatio: *Scripſi, atque abſolvi dederat quæ penſa Minerva:* eo accipi ſenſu, quod nihil in ipſo deſiderari queat, quippe numeris omnibus abſoluto; quam quo accipi voluit ipſemet in litteris ad quendam Collegarum noſtrorum datis, ultimam videlicet manum nunc impoſitam a ſe eſſe toti ſtudio Genealogico publicis ſcriptis explicando; quin potius, ut defatigatus videri nolit in curſu tam generoſo, vehementer optamus; jam quidem, quid in opere præſenti exhibeatur, paucis tradituri pro more noſtro.

Diviſum eſt illud in *Claſſes* omnino *Tres*; quarum *Prima* complectitur *Novem* in *Superiore Italiæ* regione, quam Galliam Ciſalpinam vocant, eminentes florentesque familias nempe: I *Ciboam*, Ducum Maſſæ & Principum Carrariæ; cui inſpergitur *Malaſpinæa*; II *Farneſiam*, Ducum Parmæ, Placentiæ & Lateræ; III *Picam*, Principum Mirandulæ & Concordiæ; IV *Biragam*, ex qua prodierunt etiam Comites de Viſques, & Roaſche, & Marchiones *de Roccavione*; V *Ferreriam*, Principum de Maſſerano, nec non Marchionum de Crevecœur, Romagnan, Marmora, & Canoſio; VI *Homodeam*; VII *Giudiciam* (ſeu *Judicum*, dei *Giudici*) unde propagines Principum de *Cellamare* & Ducum de Giovenazzo; VIII *Sfondratiam*, & IX *Trivultiam*.

Clas-

Digitized by Google

Claſſis *Secunda* exhibet *quinque* familias *Hetruſcas*; quarum eminentiſſima ac merito ſuo *prima* eſt *Medicaea*, Magnorum Florentiae Ducum ſtirps; in qua tradenda adjutum ſe eſſe illuſtris *Magliabecchii* ſingulari ſtudio, prolixe praedicat Imhoſius. II Comitum *Guidiorum*, *Comitum Palatinorum in Thuſcia*; ex quibus originem trahunt Comites de Mutiliano, de Balneo (*di Bagno*) aliique; III *Piccolominea*; IV *Salviatina*; V *Strozziana*. Praef. & p. 121.

Claſſis *Tertia* repraeſentat familias partim *Romanas*, partim *Neapolitanas*, videlicet, I *Columnenſem*; II *Gambacurtiam*; III *Pignatelliam*; IV *Ruffenſem*; V *Sanſeverinam*; & VI *Urſinam*. Adeoque omnino XX Familiae dantur conſpiciendae, prorſus diſtinctae ab iis, quae ante aliquod tempus comparuerunt in *Genealogiis Stirpium Italicarum*, & *Stemmate Regio Luſitanico*. Singulae ſtirpes in ſuos ramos diffuſae per tabulas oculis curioſis ſubjiciuntur; ne vero ex ſola nominum allegatione taedium Lectori ſubnaſci queat, ſtim explent abunde additae ſtatim *Exegeſes hiſtoricae*; ex quarum penu larga depromere nunc libet aliqua ſaltim, multis etiam verbis fontem ipſum dulciſſimum non exhauſturi.

Itaque refertur de *Johanne Baptiſta Cybo*, qui poſtea inclaruit Pontifex Mox. ſub Innocentii VIII nomine, quod revocaverit annuum viginti millium Ducatorum cenſum, a Rege Neapolitano pendi ſolitum, cum equo albo commutatum, ex conceſſione Sixti IV P. M. ut ſaltim aliquod vinculum feudi Regii ſupereſſet; quodque idem Bajazethis II Turcarum Imperatoris fratrem *Zizimum* Romae habuerit in cuſtodia honeſta, acceptis pro illius ſuſtentatione annuis XLM aureis, ne fratri nocere poſſet; non ingrato interim lucro ipſi Pontifici. p. 7.
Albericus autem *Cybo* ab Imp. Rudolpho II augmentum dignitatis S. Imperii Principis, qua jam ornatus fuerat a Maximiliano II, retulit A. 1588, aquilam videlicet Imperialem, cum vocabulo *Libertatis*, ſcuto ſuo gentilitio inſerendam. Tum Petrus III Farneſius, ſupremi Equitatus Eccleſiaſtici Praefectus exſtruxiſſe dicitur oppidum maris Thuſci, *Orbitello*, A. 1099, & alius Petrus Farneſius A. 1362, caeſis Piſanorum copiis, nu- 9. 18.

Digitized by Google

p. 19. numos aureos argenteosque juſſiſſe cudi, ſignatos *reſupina*
vulpe, ſub effigie S. Johannis, quod *Piſani* a Florentinis joculari
20. vocabulo *vulpes* appellarentur. *Alexander* autem *Farneſius*,
qui Pauli III nomine ſedem Romanæ Eccleſiæ A. 1534 oc-
cupavit, uſus magiſtro, *Pomponio Læto*, Ciceronis Epiſtolas ad
Atticum illuſtravit, exſtantque ejus ad viros ſui ſeculi eruditos
21. Epiſtolæ tredecim. In vitiis tamen ejuſdem commemoratur,
quod in conſiliis capiendis ac ceteris rebus ſuis ſemper a-
ſtrologos, hoſque inter inprimis *Lucam Gauricum*, conſu-
luiſſet, quem & menſæ ſolebat adhibere; exprobrata etiam
Patri (nam filios genuerat duos, cum filia, non ex conjuge)
Petri Aloiſii, ſeu Ludovici, flagitia & obſcœnitates cum eſ-
22. ſent, hoc ſolum conſueviſſe dicere: *Filium non commonſtrante*
parente hæc didiciſſe. De hoc vero *Petro Aloiſio Farneſio*,
Parmæ & Placentiæ Duce, memorabile non minus eſt, quod
traditur, ipſum juſſum eſſe a Diabolo, incantationibus evocato,
ut conjuratorum in ſe nomina indicaret, diligenter inſpicere
ſuam monetam, in ea quippe locum conjurationis & conſcio-
rum nomina reperturum; id vero tunc minime intellectum,
proque deluſione habitum, & tamen facta mox cæde verum
fuiſſe compertum. Nam cum in *antica parte* Farneſiano-
rum numorum ſcriptum ſit: P. ALOIS. FARN. PARM.
ET. PLAC. DUX. vocis *Placentia*, ubi cædes facta eſt, pri-
ma quatuor elementa, *Pallavicinum*, *Landum*, *Anguiſciolam*,
31. & *Confalonerium*, deſignarunt, cædis auctores. Prolixius
traditur vita *Johannis Pici*, Mirandulæ Principis, qui, quod
eſſet vir ingenii pæne prodigioſi, inque omni artium, ſcien-
43. tiarum & litterarum varietate uſque ad miraculum excultus,
Phœnix meruit appellari. Sepulcro Renati *Biragi*, Cardinalis
& Franciæ Cancellarii, A. 1583 fato functi ſuo, inſcriptum
fuiſſe hunc verſum commemoratur:

Quid tibi opus ſtatua? ſatis eſt, ſtatuiſſe, Birage,
44. *Virtutis paſſim tot monumenta tua.*

neque præteritur ſilentio, quod *Franciſcus Birago*, qui in Tici-
nenſi Univerſitate magna cum laude docuit, A. 1643 facul-
tates ſuas omnes generali donatione in *Franciſcum Mariam*
Mediobarbam, nobilem Ticinenſem, Helenamque *Biragam*,
conju-

conjuges, tranſtulerit, ea lege, ut ſucceſſoribus eorum primogenitis perpetuo nomen *Franciſci* Biragi inderetur; quæ lex uſu etiam nuper venit in Illuſtriſſimo S. R. J. Comite *Franciſco Mediobarba Birago*, illorum nepote, ac Regiæ Civitatis Papienſis Decurione, viro in ſtudiis rei antiquariæ numariæque egregio, & ſcriptis de ea vulgatis per omnem cultiorem orbem celebratiſſimo. *Johannes Stephanus* f. 54.
Ferrerius, Epiſcopus Vercellenſis & Bononienſis, A. 1513 mortuus, non mortalem ſibi famam peperit, quod ipſius auſpiciis & cura *Ariſtotelis Magna Moralia*, tum nemini nota, communia cum orbe litterario per *Jacobum Fabrum Stapulenſem* facta fuerint. Porro exſtat narratio accurata, de vita 80.
ſcriptisque *Cæleſtini Sfondratæ*, Abbatis S. Gallenſis apud Helvetos, & R. E. Cardinalis, de quibus in his Actis etiam non una jampridem facta eſt mentio. *Trivultiorum* Inſignia vel 81.
hoc ipſo nomine notanda ſunt, quod ut imago Jani duos; ita hæc *tres vultus* humanos, uno tectos pileo, repræſentent. Singulare eſt Epitaphium, quod *Johannes Jacobus Trivultius*, 93.
Franciæ Mareſchallus, qui obiit A. 1518 ſuo ſepulcro juſſit inſcribi: *Joh. Jacobus Magnus Trivultius, qui nunquam quievit, quieſcit. Tace.* Gentem autem hanc non parum 95.
exornavit *Damigella Trivultia*, uxor Franciſci Torelli, Comitis de Montechirugulo, in Parmenſi territorio, quæ inter eruditas mulieres locum nacta eſt, quod erudita eſſet litteris Græcis Latinisque, & Philoſophiæ ſciens, ac fertur etiam orationes ſuo Marte elaboratas coram Pontificibus & Prælatis ſæpenumero habuiſſe. De *Coſmo* I Medicæo laude dignum eſt, quod 126.
narratur, cum immenſam pecuniæ vim indies erogaret in res ad cultum divinum pauperumque ſuſtentationem ſpectantes, aliquoties queſtum eſſe apud amicos, ſe nunquam eosque largiendo in Dei honorem progreſſum fuiſſe, ut Deum rationibus ſuis debitorem haberet. Digniſſima certe vox locupletiſſimo Principe. *Franciſcus Piccolomineus*, Papali ornatus 174
corona A. 1503, aſſumto Pii III nomine, cum in ſolennitate coronationis facem ſtupeam more majorum vidiſſet collucentem, audiviſſetque vocem illam; *Sanctiſſime Pater, ſic tranſit* glo-

Digitized by Google

gloria mundi; flere cœpit, ingemiſcens humanam ſortem brevi perituram; implevitque poſt paucos dies triſte præſagi-
f.178. um. Ac memorabile eſt etiam *Franciſci Piccolominei*, celeberrimi Viri Epitaphium, iſtis conceptum verbis: D. O. M. *Franciſcus Piccolomineus*, *Philoſophus*, *ejusque hæredes*, *donec lux poſtrema refulgeat*, *in his tenebris requieſcent*. Fides *di-*
212. *rigit*, Spes *elevat*, Charitas *cum Deo nectit*. MDCIIII. *Laurentia Strozza*, quæ A. 1591 obiit mortem, cum vitam religioſam adhuc ſeptenniis voviſſet, & Dominicano ſodalitio Prati in Etruria in cœnobio S. Nicolai dediſſet nomen, Græcam Latinamque linguam in illa ſolitudine apprime didicit, & hymnos Latinos in cunctos feſtos dies, juxta Eccefiæ Romanæ uſum, metris & Horatii imitatione felicitate mira panxit, eosque in *Lactantii de Lactantiis*, *Piſtorien-*
213. *ſis Antiſtitis* nomine edidit. *Carolus* autem *Strozza*, Senator Florentinus, qui octogenario major A. 1670 mortuus eſt,
ibid. inde a prima juventa ad ſenectam ætatem mirifice ſtudio antiquitatis Etruſcæ Latinæque ac Græcæ flagravit, Archivaque civitatis patriæ cuncta indefeſſa excuſſit, pervolutavit atque excerpſit induſtria, ita ut plus quam centum & quinquaginta volumina, res præcipue Florentinas complexa, & propria ſcripta manu, reliquiſſe celebretur; alia quoque Manuſcripta Volumina, eaque tria millia & amplius perhibetur collegiſſe, quæ indicibus repertoriisque copioſiſſimis ipſe inſtruxerit. Genealogiam præterea non ſuæ tantum, ſed aliarum etiam familiarum confecit; a cujus filio, *Ludovico Strozza*, Abbate & Archidiacono Florentino, genealogiam Strozzianam, ad hæc usque tempora productam, accepit Imhofius, non ſine grata in benevolentiam hanc ſui animi declaratione. De *Petro* autem *Strozzio*, cui ingens cum Medicæis interceſſerat inimicitia, in vincula demum
215. conjecto, refertur, quod gladio, ne ſubjiceretur tormentis, incumbens damnatas ſibimet attulerit manus, inſcriptis prius in menſam verbis Didonis Carthaginenſis ex Virgilio: *Exoriare*
219. *aliquis noſtris ex oſſibus ultor.* Fidei autem conjugalis hoc maxime feſtivum ac memorandum exemplum eſt, quod aucto-

rem

Digitized by Google

rem habet Franciſcum Petrarcham Libr. 2 Rer. memorand. Tract. 3 cap. 28, his quidem verbis: Bonifacius VIII, Rom. Pontifex, duobus fere luſtris domum de Columna vagam egit ac toto orbe diſperſam; capitale fuerat, aliquem de generoſis exulibus hoſpitio ſuſcepiſſe. Nuntiatum eſt interea, *Agapeti de Columna* uxorem, quæ ſanguine illum contingebat, eſſe prægnantem. Senſit hoſtem ſuum Romæ fuiſſe, & accenſus ira atque odio, perduci ante pedes ſuos mulierem juſſit. Venit illa verecunde, & ventrem ſtudio tegens. At ille, ut erat in ſermone mordaciſſimus, dimitte, inquit, pallium, meretrix, quis te gravidam fecit? Loqui coacta, Pater, ait, ſanctiſſime, tu mihi virum meum abſtuleras, quid facerem? quod & ætas & forma ſuaſerunt, conſilium cepi. Inter innumerabiles peregrinos, quos hic annus in urbe hac congregavit, (erat milleſimus trecenteſimus isque Jubilæus primus) conſpiciens unum viro meo ſimillimum, notavi; placuit oculis meis ille, & in exulantis mariti memoriam ſuſceptus eſt per noctem; mane abiens, qualem cernis me, dimiſit. Hæc autem, alludens ad viri habitum, dicebat, qui ſub veſte peregrini ignotiſſimus, ad uxorem penetraverat. Riſit Bonifacius, & muliebri facundia mitigatus eſt. Carolus III, Rex Neapolitanus, ordinem equeſtrem inſtituit, cui a *Nave* nomen erat, A. 1381, virisque nobilibus in eum cooptatis deferendam dedit *torquem*, ex *conchis & lunis cornutis* compoſitam, a qua pendebat navigium, cum lemmate: *Non credo tempori.* Ceterum uſque adeo ſingulare fuit matrimonii exemplum, ut recte Autor noſter aſſerat, vix ullum ſimile huic exſtare in omni hiſtoria, quando *Johanna*, VIII Dux de Monteleone, & VI de *Terranova*, Andreæ Fabritii *Pignatelli* filia, A. 1679 nupſit *Proavi ſui fratri*, Nicolao VIII, Duci de Monteleone, & Pro-Regi Sardiniæ, Equiti Aur: Vell. & Magnati Hiſpaniæ. Nec notabile mortis omen non eſt, quod *Jacobo*, *Aſcanio* & *Sigismundo* fratribus, Comitibus *Sanſeverinis*, ſtirpis Saponariæ, contigit; ex quibus Aſcanius, per Saponaram cum præceptore ſuo, Marino Solima, deambulans, forte in ruina caſulæ tres vidit perdices, captoque ſubito & emiſſo telo, mediam ex eis dejecit,

p. 265. 271 ſeq. 304.

reliquis nullatenus ſeſe moventibus; itaque ſecundo tertioque miſſili etiam iſtas necavit. Quod cum in triſte omen traheret Solima, perſcriberetque ad Alphonſum, Sommæ Ducem, cum hoc epilogo: *utinam mali nihil nobis accidat!* brevi poſt evenit, ut *Aſcanius*, hauſto juxta cum fratribus veneno, *primus* animam efflaret, huncque *Jacobus* exciperet, quem *Sigismundus* ſecutus eſt. Ex occaſione donati feudo Neapolitano *Urſi Urſini*, explicatur locutio uſitata medii ævi ſcriptoribus, doceturque, quod *ligius homo* (i. e. vaſallus) inde fuerit dictus, quod *ligatis* Rex pollicibus illum fidei imperioque ſuo ſic vinciat ſtatuatque obnoxium. Cujus rei ratio e Pontani Hiſt. Lib. II prolixe traditur.

p. 329.

Tandem adjiciendum & hoc eſt, quod in fine hujus operis Imhofiani legantur Gallica lingua ſcriptæ ad Autorem elegantiſſimæ duæ Epiſtolæ Viri illuſtris, *Danielis de Mediolano Vice-Comitis*, (Milan-Viſconti) Lib. Baronis S. Rom. Imperii, & Senatoris Ultrajectenſis, *de Gentis ſuæ ortu & ſcuto;* additis tabulis Genealogicis.

TITI PETRONII ARBITRI SATYRICON, quæ ſuperſunt, cum integris Virorum Doctorum Commentariis & Notis, curante PETRO BURMANNO.

Trajecti ad Rhenum, ap. Guil. Van de Water, 1709, 4.
Alphab. 6 plag. 14.

Luculentiſſimam Petronii editionem ſiſtimus, in qua non ea tantum, quæ præcedentibus aliquid vel dignitatis vel ornamenti atque elegantiæ conciliabant, omnia reperiuntur; Joannis Sambuci, Petri Danielis, Jo. Tornæſii, Petri & Fr. Pithœorum, Jani Douſæ, Conr. Rittershuſii, Jo. Alex. Braſſicani, Jo. Aurati, Jo. Wouwerii, Georgii Erhardi, (quem Goldaſtum eſſe Cl. Burmannus exiſtimat, variiſque argumentis eam ſententiam perſuadet,) Erici Emmii, Alphonſi Delbeni, Claudii Puteani, Jac. Bongarſii, Mamerti Patiſſonii, Joannis Weitzii, Jos. Antonii Gonzalii de Gonſalas, Jo. Boſſchii, Jo. Schefferi,

ſeri, Thomæ Reineſii, Jo. Caji Tilebomeni, qui eſt Jacobus Mentelius, &c. Notæ, Commentarii, Lectiones, Emendationes, Præfationes & Diſſertationes in Petronium editæ: verum & quæ nunquam antea lucem adſpexerant, Nicolai Heinſii, Gulielmi Goeſii, & clariſſimi Joannis Burmanni eruditiſſimæ obſervationes. Toti operi luculentam Præfationem præmiſit idem Cl. Burmannus, in qua primum de ipſo Petronio agit: quem non ad Neronis ætatem referendum, neque ejus vitia Satyricis iſtis caſtigari, quod viſum pleriſque; multo minus ad Antoninorum tempora detrudendum eſſe cum Valeſiis, eosque ſecutis Sponio & Statilio; ſed Tiberii, Caligulæ, Claudii ætati eſſe vindicandum, imo ipſius Auguſti tempora attigiſſe, exiſtimat. Ipſum vero Claudium & potentium ſub eo libertorum crimina & ſcelera præcipuam materiem præbuiſſe Satyricis hiſce, ex Tacito, Dioni & Senecæ de Claudii moribus traditis patere exiſtimat. In eos vero Petronium peculiari ſanctitatis morum ſtudio calamum ſtrinxiſſe arbitratur. Cujus argumentum ſit perpetua ſermonis puritas, licet impuriſſimas ſui temporis libidines deſcribat. Nullum quippe in toto opere ejus ſotadicum & obſcœnum origine & prima ſignificatione verbum deprehendi, ſed translatis ſemper & honeſtiſſimis verbis ad nequitias exprimendas ſumma verecundia eum uti. Ceterum in *Petroniorum* gente *Petronium* illum *Arbitrum* fruſtra quæri exiſtimat, cum inter omnes *Petronios* nullus hoc nomine reperiatur. Se igitur aliquoties ait dubitaſſe, an non ipſius libelli hujus Satyrici titulus fuerit *Petronius Arbiter*, eodem modo, ut *Apicius* inſcribuntur libri de re culinaria, quos nullus unquam *Apiciorum* conſcripſit, & *Cato* libellus diſtichorum, qui nullum *Catonem* autorem habeat. Quos indices ideo quidam ſueverint imponere ſuis libris, quod ejus artis aut diſciplinæ præcepta traderent, qua viri illi celebres fuerant. Quia vero ille Petronius Tacito memoratus, non gentilitium, aut hæreditarium, ſed ex ſtudio & arte illa, qua in lautitiis & elegantiis diſponendis eminebat, cognomen illud *Arbitri* eſſet conſecutus, Autorem hujus libri, quicunque fuit, ejus nomen præſcribere potuiſſe. Quantum

 ad ti-

Digitized by Google

ad titulum ejus, illis ſuffragatur, qui *Satyricon* more Græcis ſolenni librum inſcriptum cenſent, ſecundo caſu numeri multitudinis. Editiones vero ejus diligentiſſime recenſet, quibus in nova hac adornanda potiſſimum uſus ſit, indicans. Litem de fragmento Traguriano pro dijudicata habet, cum nemo hodie ſit eruditorum, qui de fide ejus dubitet, quam ipſe Codex a viris eruditis inſpectus ſatis tueatur. Fragmenta vero a Franciſco Nodotio edita ſevera cenſura notat, ſtridorem ſtyli barbarum, Galliciſmos frequentes, & affectatam phraſium Petronii alibi obviarum repetitionem, affatim impoſturam prodere, oſtendens. Ipſæ notæ Heinſianæ, Goeſianæ, & Burmannianæ inprimis (de ceteris enim dicere nihil attinet) ſalis habent affatim, dignæque ſunt arbitro elegantiarum. Quam pulcra p. 25 reſtitutio lectionis in verſibus Petronianis:

Interdum ſubducta foro det pagina *verſum* (pro *curſum*)
Et *cortina* (vulg. *fortuna*) ſonet celeri *deſtricta* (vulg. *diſcincta*) *meatu*.

Quis enim in iſtis locus eſſe poterat *fortunæ*? quid eſſet *fortuna celeri diſcincta meatu*? Elegantiſſimum autem eſt, quod *cortina deſtricta* a prætervolante quaſi, non inſidente ei Poeta, *ſonare* quandoque debere dicitur: hoc ſenſu, quod verſus aliquando, tanquam in tranſcurſu, ſepoſitis tantiſper forenſibus negotiis ſint faciendi. Quam erudita, quæ p. 91 de *libera ſcœna* differuntur, quæ ea eſt Cl. Burmanno apud Petronium, ad quam quilibet promiſcue admitteretur. Quam ingenioſa, quæ p. 186 de voce *Pateracina* proferuntur. Scilicet locum eruditiſſimus Editor ita legit & explicat: *itaque primus cum PATER ACINA popoſciſſet*, id eſt, clamaſſet *Pater Bacche da acina*. Sed talia plura ſunt, quam allega heic poſſint: quæcunque vero allegentur, pauca erunt, cum infinita tamen ſint relinquenda.

ACTA SANCTORUM JUNII, COLLECTA, digeſta & Commentario illuſtrata a G. HENSCHENIO, D. PAPEBROCHIO, FR. BÆRTIO, CONR. JANNIN-

JANNINGO, I. B. SOLLERIO S. J. Tomus V, Sanctos a Die XXV Junii usque ad finem Menſis complexus, continet Chronologiam Patriarcharum Alexandrinorum illuſtratam.

Antverpiæ, apud viduam Petri Jacobs, 1709, fol. Alph. 10 ½ & Tabb. æn. 5.

Proſtat Lipſiæ ap. Jo. Frid. Gleditſch & Fil.

INſcribitur præſens Tomus WILHELMINÆ AMALIÆ, Rom. Imperatrici, ideo, quia multos continet Sanctos, Regia ſtirpe eque Germania & ditionibus Auſtriacis oriundos: quodque Imperatrix Auguſta amorem erga Sanctos in prolem ſuam transfuderit, cui Theodechildem, Suſannam Ermendrudem, Hemmam ad imitandum Hagiographi proponunt, adduntque, Leopoldum, divum Imperatorem, diu noctuque iſta Sanctorum Acta perluſtraſſe. Sequitur Tractatus Præliminaris J. B. Sollerii de Patriarchis Alexandrinis lectu digniſſimus, de quo, cum ſeorſim etiam prodiiſſet A. 1708, diximus in Actis Anni ſuperioris M. Dec. p. 536.

Primum inter Sanctos diei XXV Junii locum obtinent S. *Soſipater & Jaſon*, quorum ille Iconienſium, hic Tarſenſium Epiſcopus e Monologio, Baſilii Porphyrogeneti juſſu concinnato, fertur. p. 4. Ambo iniquis a Cercylino, Corcyrarum Rege, vinculis constricti traduntur, ſuppliciis tamen fatorum lege in Regis familiam paulo poſt derivatis. Menæa Græcorum aliter ſentiunt, & fabulas produnt, quibus benigno Papebrochius nutu adſtipulatur. Hunc excipit *S. Medicus*, Utriculanorum Patronus, ſed non niſi ſeculo XVI demum natus, nec per inventas ac temere ſubditas reliquias ſatis aſſertus. Unde admodum ſincere Papebrochius: malo fateri, quod ignorem, ſub quo Imperatore paſſus hic Sanctus, quam tam male conſutis Actis inſiſtere. *Luceja* Virgo, & *Aucejas* Rex e meris p. 12. & omnino vanis conjecturis aſſeruntur. S. *Febronia*, Thomaidis Magiſtræ calamo celebrata, a Carmelitis ſodalibus cupide arrepta, ſuæque ſocietati indita, indignantibus ideo Jeſuitis, colitur apud Tranenſes, atque inde per omne regnum Neapo-

 litanum

p. 17. litanum. Vita a Thomaide prolixiſſime ſcripta, eque membranis Vaticanis depromta, illam ætatem non redolet, & facta ab illis ſeculis plane aliena continet. Quis enim credat, eo tempore τὸ ἀσκητικὸν σχῆμα, βῆλον, κυρίαν μεγάλην, Archimandritas & alia nomina & officia in uſu fuiſſe. Ipſa Thomais, quæ aliquoties ſeſe ſpectatricem certaminum Febroniæ jactaverat, tandem oblita ſui, ſeſe iſta ex Lyſimacho percepiſſe fatetur. *S. Gallicani* Martyris Acta ſubleſtæ fidei Hagiographis habentur, quantumvis Ado Viennenſis ea pene integra
p. 39. Martyrologio ſuo indiderit. Idem de *S. Antidii* vita & geſtis judicandum, qui Dæmone pro equo uſus Romam devectus dicitur, quæ dum Chiffletius crederet, aut non refutaret, jure Sardonium Papebrochii riſum meruit: *Nos*, ait ille, *hæc Acta damus, ſed ut mera ſomnia.* Nihilominus tamen ille & apud Veſontinos & apud Luſitanos, teſte Georgio
p. 47. Cardoso, colitur. *Maximi Taurinenſis* vitam Anonymus Monachus Novalicienſis dedit, eamque fabulis fœde contaminavit, piumque Præſulem tanquam graviſſimum idololatriæ ſibi denegatæ vindicem exhibuit: cujus cum veſtigia A. 1646 Franciſcus Fulvius Trugo, Ord. Minorum, vir alias eloquens, preſſiſſet, vitamque Maximi Italorum vernacula editam figmentis conſpurcaſſet, merito ſuo Papebrochii cenſuram ſubiit: nec minus Ughellus, qui Maximum Willembegi Trajectenſis Epiſcopi familiarem temere aſſeruit, cum inter Trajectenſes nemo hujus nominis Præſul deprehendatur. *Proſperum*, Re-
p. 63. gii Lepidi Epiſcopum, operoſe deſcribunt, eumque a Proſpero Aquitanico ſecernendum tempeſtive monent: miſſis Joannis Antonii Flaminii aliorumque nugis, a *Labbeo* ſolide refutatis. Acta Proſperi antiquiora non exhibentur, ſed quæ a IV retro ſeculis ſcripta, ideoque conficta videntur. Jungitur translationum Hiſtoria, quæ dimicationes de Reliquiis varias exhibet, de quibus nihil hoc loco addimus. In Vita
p. 72. *Tygridis*, ſeu *Tygriæ*, virginis Maurianenſis, quam Carolus de Freſne & Jo. Jacobus Taurinellus ſuppeditarunt, aut fabulæ continentur, aut manifeſta ſuppoſitionis indicia. Cetera quæ ad Præſulatus Maurianenſis initia pertinent, legi merentur.

Aman-

Digitized by Google

Amandus, & *Domnolenus*, ut parum nobiles, ita non nimium claros virtutum ſuarum præcones habuerunt. Nec felicior p. 78.
Æmilianus, Epiſcopus Nannetenſis, niſi quod ſub ejus nomine Jacobus Huraldus, Præſul Aduenſis, ſocietatem ſeculo XVI inſtituit. Vita Æmiliani a Roberto Theologo Gallico edita A. 1607, ex qua conſtat, ipſum fuiſſe Epiſcopum militem, cumque Sacracenis aliquoties congreſſum, tandemque in ipſa acie cæſum, qua occaſione ſelecta quædam de Sacracenorum primo in Gallias adventu Papebrochius protulit. *S. Pecinna*, Ludovico Caſtaneo in Notis ad Litanias Pictavienſes memorata, Perſeverandæ ſimul nomen obtinuit. Natales illius incerti, & omnis reliqua vita, in qua exigua veræ certæque hiſtoriæ documenta reperiuntur. *Euroſia*, virgo Jaccenſis, Hispana, ſeculo VIII clara, Bohemorum cujusdem Regis filia perhibetur, quo nomine Conſecratio illius a Pio V Pontifice A. 1560, ſed fruſtra, poſtulata fuit. Ortum Bohemicum Papebrochius ex nominis etymologia refellit, aſſentientibus etiam Hiſpanis. Quibus cum ſeſe opponeret Joannes de Monte Oliveti, Bojohemus, Genealogiam Euroſiæ contexens, Tamayus eundem fortiter refutavit. Miracula Virginis Martinus Cruce, Sodalis Auguſtinianus, in lucem emiſit, ſed aliunde depromta. In ejus honorem Baſurtus, vates Caſtellanus, rhythmos compoſuit, vitam vero paratam habuit Primus Aloyſius de Tattis, cui Martyrologium Novocomenſe A. 1675 editum debemus. *S. Dicentii* Acta confuſionis plena, id quod Jacobus Branche in opere de Sanctis Arverniæ agnoſcit, qui in iisdem invenit Linum II. Pontificem Romanum, Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ gnaris plane ignotum, unde Papebrochius omnia, quæ in iisdem continentur, inter nugas retulit. *Adalberti* Egmondani vitam e veteribus Monachus quidam Mediolacenſis juſſu Præſulis Egberti compoſuit, in qua quidem *ingenii craſſitudinem & incultæ ruſticitatis abſonitatem* fatetur. E recentioribus Joannes Gerbrandus a Leydis tum in Chronico Egmondano, tum in Chronico Hollandiæ & Epiſcoporum Ultrajectinorum. Henſchenius Chronologiam accurate conſtituit in Commentario vitæ, deque initiis Comitatus Hollandici adverſus Douſam,

(margin: 79. 82. 88. 91. 94.)

ſam, Miræum alioſque diſputat. Ceterum Adalbertus, gente Saxo, Egberti in Hybernia diſcipulus fuit, a quo una cum Willibrodo ad convertendos Germanos anno Chriſti 710 dimiſſus, Friſiam annuente Pipino Heriſtallo ingreſſus, inde a Willebrodo in Hollandiam miſſus, Egmondæ verbi divini ſegetem ſperſit, apud Eggonem quendam commoratus, unde Egmonda nomen traxit. Jacet hodie inter ruinas ſplendida olim Abbatia, quod Geuſiorum furori A. 1572 debachanti debet, diſſipatis etiam, quod Hagiographi lugent, S. Adalberti reliquiis.

p. 110, 111. *Simon*, *Petrus & Febronia*, quamvis ad Ruthenorum Principum familiam referantur, nuda ſunt nomina, iiſque, quibus premuntur, tenebris non indigna. Lucem aliquam iis attulit illuſtris Dn. Gabriel de Sparwenfeld, qui Menologium Slavo-Ruſſicum in Linguam Latinam transtulit; tum Synaxarium Ruthenorum a Georgio Davide, Jeſuita, Societatis ad Ruthenos Miſſionario, Latinitate donatum.

p. 112. *Guilelmus*, Fundator Eremitarum Montis Virginis, Guleti apud Nuſcum in Apulia A. 1142, vitam memoriamque debet Joanni Nuſcano, a Joanne Jacobo Jordano, ejusdem Congregationis Abbate, A. 1643 editam: tum vero etiam Felici Rendæ, Mercurianenſi, qui Guilelmi geſta cum privilegiis ordinis A. 1581 Neapoli publicavit: ac præterea Thomæ Coſtæ, Neapolitano, ejusdem Montis Virginis hiſtorico. Fuit autem Guilelmus mirus homo, qui ad compeſcendas libidines cervicem galea, lumbos ferro conſtrinxit, Montemque Virginis colendæ ſolitudini delegit, in quo Virgilium Mantuanum hortos habuiſſe magicos, Jordanus ex Joannis Schoppæ, Grammatici Neapolitani, Commentariis ſtulte credidit. Ingenium ejus, omni artium cultura carens, unicum Davidis canticum CIX tenuit. Libidinum tantus oſor, ut tum demum meretricis, concubitum expetentis, voto ſe ſatisfacturum polliceretur, ſi palæſtram & clinopalen inter ardentes prunas exerceri vellet. Magnis inde in delitiis Rogerio Regi habitus, & arcanis confeſſionibus admotus, maxima quæque ſibi ſodalibusque beneficia conciliavit, egregio plane adſcitæ ſanctitatis fructu. Obiit ſenex, ſique oraculis vulgi credendum, miraculis ad hunc usque diem viget.

Ipſius

Digitized by Google

Ipſius & Montis Virginum icones æri inciſæ Actis inſeruntur. *Henricus Zdico* Olumecenſis Epiſcopus A. 1151 Regia ſtirpe e- p. 140.
ditus & ex Weleslavini, egregii & diligentis Genealogiſtæ, ſententia Ottonis I filius, omnium fere Bohemiæ ſcriptorum, Cosmæ, Pulkanæ, Jaroslai Godeſchalci, Cutheni, Lapacii, Hagecii, Dubravii, Auguſtini Moravi, Balbini potiſſimum, & Georgii Crugeri ore laudatus, omnem virtutem ſuam præſtantiamque in exædificandis templis, prohibendisque Sacerdotum proſtibulis exeruit: cujus rei cauſa Romam cum periculo vitæ maximo demum profectus, Legatum Pontificis adduxit. *Joannes Hiſpanus*, Carthuſianus, ex civitate Almanceps,
Hagiographis ignota, oriundus, nulla re nobilis, niſi quod do- 143.
mum Repauſatorii in Faucianenſi provincia condidit. Vitam illius ſuggeſſit Fr. Leo Vaſſorius, Burbonienſis in Normannia Monachus, qui & ipſe Notitias Cartuſiarum duobus voluminibus edidit. In vita Joannis id notatu dignum quod ſe extra templi ſpatia ſepeliri voluerit, exemplo Marcellini Pontificis, idem de ſe ſtatuentis, adducto: quod de Pontifice perperam tradi, Hagiographi in Notis obſervarunt. *S. Odoinus*, a Molano, Miræo, Bartholomeo Fiſenio in Floribus Eccleſiæ Leodienſis citatus, tum vero etiam *Guido Mammaldus* Domi-
nicanus, Dominico Mariæ Marcheſio, & Theodoro de Piper- 150.
no in Compendio hiſtorico virorum illuſtrium Provinciæ Neapolitanæ laudatus, ad vulgus Sanctorum pertinent. Hujus poſtremi ſepulchrum hactenus ignoratur, magno ſane viventium damno, quandoquidem magno cum auri pondere conditum Fr. Cyprianus a Neapoli libello, cui *Ciſterna diſcoopertæ* titulum fecerat, tradidit: quem egregie decipi, Pompejus Sarnelly alio libello, *Filum Ariadnes* inſcripto, ſatis demonſtravit.

Dies Junii XXVI *Thaddeum* ſiſtit, Hagiologio Habeſſino 157.
inditum, cujus fauces indigne quidem laqueo fractæ ſunt: cum divitum avaritiam eo usque ſua profligaverit eloquentia, ut camelum per acum tranſire coegerit. *Vigilius* quondam Epiſcopus Tridentinus, ob Idolorum everſio-
nem paſſim exercitam, ſub primo Conſulatu Stiliconis, calonibus, 163.

 quod

Digitized by Google

quod ferrei calceamenti genus erat, obrutus ac trucidatus, cui poſteritas templum extruxit, Alemannus Patavienſis reſtituit. Cineres illius Seculo XIII ſurrepti & ad Mediolanenſes traducti fuere. De eo temere Honorius Auguſtodunenſis tradidit, quod quinque libros in Martyrum honorem ſcripſerit. Pariter nugatur Georgius Cardoſus in Hagiologio Luſitano, dum duos Vigilios Tridentinos comminiſcitur. Acta Vigilii, quæ proferuntur, ſpuria ſunt & ανιςοϱισίας plena, fideque indigna. *S. Maxentius* ſeculo V & VI Pictavienſis Abbas floruit. Acta illius magno haberi pretio Hagiographi volunt, Gregorio nempe Turonenſi citata. Ex hiſce diſcimus infantes ſeptimo poſt nativitatem menſe tinctos fuiſſe; ſuſceptionem liberorum ex ſacro fonte, Patrinis imperatam, rem liberæ voluntatis fuiſſe, ejusque officii denegationem non cum famæ diſpendio conjunctam: ſanctam Euchariſtiam in inſaniæ remedium propi-
p. 176. natam. *S. David* ſolitarius in arbore amygdalina aviculæ in morem Cellam habuit, quem Anachoretæ apud Moſchos hodie imitantur. Oſſa apud Papienſes ſervari colique, Jacobus Gvalla L. IV Papienſis Sanctuarii retulit. *S. Babolenus* Foſſatenſis a Bobienſi & altero Stabulenſi diſtinguendus eſt, quod
179. Patricius Flemmingus, Hybernus, Ord. Franc Sodalis, in Collectaneis de S. Columbano, a Thoma Sirino A. 1677 publicatis, oſtendit. *S. Joannes*, Gothiæ Epiſcopus ad Mæotidem, Latinis
184. prope ignotus, Græcis admodum celebris magno cum elogio citatur. In commentario Vitæ prævio multa egregia ad Gothiam, Portas Caſpias, & Chazarorum ſedem, Principesque illorum, (vulgari more Chaganos olim appellari ſolitos, pertinentia referuntur. Vita illius, ex Codice Vaticano nunc primum edita, ipſum ſtrenuum imaginum defenſorem exſtitiſſe, fidem certiſſimam facit. *S. Papolenus*, Sta-
195. bulenſis, & Malmundarienſis Abbas, ſeculo VII Remacli ſucceſſor, quod Benedictus de la Rive Monaſterii Stabulenſis Sacerdos & Bibliothecæ tabularumque publicarum cuſtos, teſtatur, a Clodoveo III Epiſcopus, & vir Apoſtolicus appellatur.
196. *S. Salvius* & *Superius*, Martyres Valentinenſes in Belgio. Salvius ab aliis duobus, Ambianenſi & Albienſi, ſecernendus, quod

Digitized by Google

quod monuit Claudius Caſtellanus Canonicus Pariſienſis. Vixit ſub Carolo Martello Salvius, ſed incertæ ſedis Epiſcopus, licet ſint, qui Engoliſmenſem dicant. Vita ab Autore coævo, deinde a Philippo, Abbate Bonæ Spei, ſeculo XII ſcripta. Prior Actis inſeritur. Ad tumulum ejus jurisjurandi formulæ editæ, perjuria graviter punita ſunt. De eo Henricus d' Outremann in Hiſtoria Valentiana egit. *S. Pelagius* A. 925 clarus, Martyr Cordubenſis, Raguelem Presbyterum præconem p. 204.
habuit, cujus commentarium, e Codice Cadennenſi depromtum, Prudentius Sandovallius Antiquitatibus Eccleſiæ Toloſanæ inſeruit. Acceſſit Roswitha Virgo, anno forte 950 Pelagii laudes ediſſerens. Amborum monimenta Actis ſunt indita: Roswithæ carmen emendatius; ut inde Schurtzfleiſchiana editio aliquoties corrigi poſſit, cujus tamen eruditiſſima Prolegomena Hagiographis nondum omnino viſa ſuſpicamur. Additur ex ſchedis Papebrochianis Appendix de Hermoygio, Pelagii diſcipulo: ac præterea Officium Mozarabium in diem Pelagii, e quo ritus Iſidorianus, Joanni Vazaro, Alvaro Gomezio, Eugenio Roblezio, nuperque admodum Flechierio, in vita Franciſci Ximenii Cardinalis, p. 114 & 115 deſcriptus, cognoſci poteſt. *S. Wambertus* Martyr, in Monaſterio S. 225.
Petri ad Divam fluvium, vel ideo memorandus, quod eum Arturus a Monaſterio in egregio Opere, *Neuſtria Pia* inſcripto, neglexit. *S. Anthelmus*, ex Carthuſiano Epiſcopus Bellicenſis, a Petro Dorlando L. 4 Chron. Theodoro Petræo, & 226.
Arnoldo Boſtio laudatus. Ejus reliquiarum translatio a Joſepho Geldolfo a Ryckel, Ulyſſiponenſis Carthuſiæ Initiatoribus dedicata fuit. Epiſtolas Anthelmi Chesnæus T. IV Scriptorum Hiſt. Fr. vitam vero ex Magna Carthuſia accerſitam Henſchenius publicavit. Inter laudes Anthelmi refertur, quod ſterilitati ſexus mederi potuerit, quod num in Monacho mirum, aut a moribus alienum, alii viderint. *S. Creſcens* in Galatiam abiiſſe dicitur, quæ una, & certiſſima de eo notitia. Viennam Gallicam 250.
Creſcenti percaram *Ado* Viennenſis voluit, & Cives credunt, etſi in Galatiam denuo abiiſſe concedunt. Aliqui putant, eundem iterata vice Moguntiam vidiſſe, quos ex ſilentio Ri-

tualium Moguntinorum *Serrarius* compeſcit. *Franciſcus Bo-*
ſquetus, Præſul inter Gallos prudentiſſimus, & a fabulis maxime
alienus, ita de eo ſcribit, ut omnia Creſcentis incerta eſſe fatea-
tur. Inter Martyres Cordubenſes Zoilus eminet, genere no-
p. 254. bilis, mente conſtans, capite cæſus, & divinitus tandem, cum
diu inter tenebras jacuiſſet, patefactus. Ingratus tamen in ar-
dentiſſimum ſui cultorem Agapium extitit, cui ob frequentiores
deoſculationes oſſibus illatas priores excuſſit dentes, quod Lu-
cius Marineus Siculus L. V de R. Hiſp. teſtatur. Multa
patraſſe miracula dicitur, quæ Papebrochius a Joſepho Pere-
zio, Monacho S. Facundi, per Diſſertationes Eccleſiaſticas no-
257. to, fruſtra hactenus flagitavit. In *Anecti* Martyris vita pluri-
mum luſit ſcribentium ingenium. Menæa ſub Diocletiano
horrendis ſuppliciis mactatum ſcribunt. Credo & eorum fig-
mento τῦ ἀνεκτῦ, quaſi ſuſtinentis, nomen natum eſſe. Be-
ne Papebrochius: poteſtne in aliqua alicujus Martyris paſſio-
ne legi tam ſingulare & atrox quippiam, quod hic
adductum non fuerit? *S. Deodati*, Epiſcopi Nolani, memo-
259. riam omnium primus Philippus Ferrarius dilatavit, qui vitam edi-
dit: hinc Conſtantinus Ghinius Natalibus Sanctorum Cano-
nicorum inſcripſit. Ejuſdem vitæ Epitomen Marius de Vipe-
ra Beneventanus concinnavit. In Commentario prævio va-
ria de urbis Nolanæ ſtatu lectuque digniſſima afferuntur. De
261. *S. Samſone*, Xenodocho Conſtantinopolitano, egregie meri-
tus eſt Franciſcus Verhovius Jeſuita, qui vitam, Leoni Allatio
neglectam, dedit accuratius & Menæis & Menologiis diſcuſſit.
Accedit alia Samſonis vita, quam Hagiographi e Codice
MSS. Bibliothecæ Medicææ Regis Chriſtianiſſimi depromſe-
runt. *Lucas* Eremita ex ſolo Synaxario Divionenſi notus, λό-
278. γȣς ſeu ſermones ſcripſiſſe perhibetur. *Arialdus & Herlem-*
baldus, Mediolanenſes, indigniſſime quidem Sanctis accenſentur,
quippe qui adverſus legitimas ſacerdotum nuptias conſpiran-
tes Hæreſin Arialdiſtarum condiderunt. Eorum vitam, ab
Andrea Vallumbroſano Arialdi diſcipulo ſcriptam, Petrus Pu-
ricellus, Ecleſiæ Laurentianæ Archi-Presbyter, Libro II de San-
ctis Mediolanenſibus inſeruit, cum tamen a Triſtano Calcho,
Carolo

Digitized by Google

Carolo Sigonio, Joſepho Ripamontio, Arnulfo aliiſque jure fuerint reprehenſi. Eandem illorum vitam Andreas Alciatus, celeberrimus Legum Interpres, qui Arialdum ad ſuam gentem referebat, & Petrus Azarius meditati ſunt, conatu tamen tanto minore damno interrupto, quanto certius conſtat, hos fucos nihil bonæ rei geſſiſſe, ſed rebelles & Reipublicæ faces, atro in æternum carbone notandos eſſe. Andreæ Liber Actis inditus VIII Capitibus abſolvitur: ſequuntur Analecta Herlembaldi, & antiqua Chronologia apud Puricellum depromta. *Ludovicus S.* Hungariæ Rex ab Antonio Bonfinio luculentiſſime deſcriptus, Varadini ſepultus, ornamentis ſepulcralibus, corona tumbaque argentea a Georgio Rakotzio ſeniore ſpoliatus, ligneaque tandem arca concluſus, has genti Rakotziorum diras accerſiviſſe dicitur, ut nullus inde ex illuſtri familia poſt mortem in crypta quieſcere potuerit. Quod primum univerſæ Rakotziorum vetuſtiori familia in eccleſiis Szevenienſi & Vadazienſi contigit: tum vero etiam Georgio, Sigismundo, & Nicolao, Albæ Juliæ ſepultis, & Georgio Juniori, Franciſcoque, adeo ut ad quartam usque propaginem exe-cratio tranſierit. *S. Benevenutus* inter Sanctorum umbras pertinet. *S. Ferdinandus*, Calatinus Præſul, ob ſolum ſanguinis decus ſanctitatis titulum meruit. *B. Irenæi*, Lugdunenſis, A. C. 207 coronati, memoriam e veteribus Hieronymus, Epiphanius, Euſebius, Baſilius, Theodoretus, Florus, Ado Viennenſis & Synaxaria tradunt. De Anno Martyrii Theophilus Raynaudus in Prolegomenis ad Indiculum Sanctorum Lugdunenſium: de geſtis & ſcriptis Petrus Halloix in Vitis illuſtrium Eccleſiæ Orientis Scriptorum commentati ſunt; quorum is de Irenæo XXXV Capitibus diſſeruit. Honori Præſulis S. Patiens Eccleſiam conſtruxit, tanta veneratione habitam, ut non niſi pedibus nudis & conſcientia ſceleribus expiata adiretur. Litem, quæ Eccleſias S. Juſti & Irenæi de poſſeſſione ſanctorum cinerum intercedit, Chifletius deſcripſit; Hagiographi ſarmentis hiſce Acta ornarunt. *S. Lupercus*, Epiſcopus Eluſanenſis, ex antiquioribus Actis aſſeritur, quæ Guilelmus Catellus Memoriarum Languedocenſium pag. 445 explicuit, de-

p. 315. 317. 327. 330. 335. 349.

 que

que iis erudite diſſeruit. Vitam Petrus Epiſcopus S. Papuli, e familia de Croſſo natus, ſeculo XIV edidit. Sauſſayus ex Actis MSS. Toloſanis monet, Lupercum Martyrem non Epiſcopum fuiſſe. Supplicia illius mirum in modum ſunt aucta, ut ſunt ingenia ad amplificandum prona. Franciſcus Boſquetus Acta Luperci Hiſt. Eccl. Auctuario inſeruit P. II p. 161, quæ Hagiographis pariter & Bosqueto apocrypha videntur. Poſt Martyres quosdam Alexandrinos, Afros, Græcos Schytopolitanos, Benignum, Pappianum, minorum gentium Deos, *Theodechildis* incedit, Clodovei I Francorum Regis Filia, &
p. 362. monaſterii S. Petri Vivi fundatrix, quod ex Diplomatibus contra *Cointium* vindicatis, tum ex Epitaphio, & antiquiſſima traditione ſtabilitur. Ex illis conſtat Baſoli ducis a Clodoveo in vinculis habiti ditiones, *Theodechildi* olim donatas, Monaſterio ceſſiſſe. Baſoli ducis Epitaphium Gaufredus de Collone ſervavit: inde Urbanus Raverſajus Hiſtoriæ MSS. Eccleſiæ Senonenſis intulit, ex qua Mabillonius & noſtri tandem Hagiographi, ad fidem Theodechildi conciliandam, depromſerunt. Ab hac altera Theodorici Auſtraſiæ Regis filia, Venantio Fortunato laudata, diſtingui debet. Reliquias Regiæ virginis extare, Victor Cotronius in Chronico S. Petri vivi & Hugo Mathoud in Diſſertatione typis mendata teſtantur. *Leo II* Pontifex Rom. cujus Chronologiam intricatiſſimam Labbeus agnoſcit,
374. ad annum Servatoris 684 refertur. Patria fuit Herlitanus Siculus, Meſſanenſibus tamen & Aidonenſibus ea de re certantibus. Pontificatum Papebrochius evolvit: magnam vero in ejus antiquitatibus perquirendis Antonius Languidara operam impendit. Reliquias ſibi Ferrarienſes vendicant, ſcriptoremque patrium M. Antonium Guarinium ſuffragitorem habent. Romani nihilo ſecius de iisdem contendunt.
378. *Paulus I*, itidem Pontifex, a Petro de Natalibus Sanctorum numero primum illatus, eſt quem alii ſequuntur. Exuviæ illius A. 1506, Julio II Pontifice majorum cineres colligente, inventæ non ſunt, quod ex inſigni Franc. Mariæ Turrigii libro de Pontificibus Rom. ſcripto conſtat. Merentur legi Papebrochii de hoc Pontifice Analecta: unde nempe diſcimus, ipſum Pipino Franciæ Regi percarum ad ſummæ & intimæ familiaritatis officia ad-

miſſum

Digitized by Google

miſſum eſſe. Epiſtolas ejus Gretſerus edidit. *Argimirus* Monachus, & *Sergius* Miles, umbræ ſunt: nec melior eſt iis *Heimeradus* Presbyter, cujus vitam dum ederet Adolphus Overham Werthinenſis notisque illuſtraret, oleum operamque perdidit. p. 384 305.

Vigeſimus nonus Junii dies *Petri & Pauli* Sanctorum Apoſtolorum Acta ſiſtit. Præcedit Commentarius de ſcriptoribus vitarum Apoſtolicarum effuſe diſſerens, Lini commentis, ut ſpuriis, illico rejectis. Præter Petri itinera Romam ſuſcepta, ſtatua Simoni Mago poſita defenditur. Sequitur Commentarius Gr. ex Codice Medicæo Regis Galliarum depromtus admodum Pontificibus favens: tum Acta Petri Lino ſuppoſita, & analecta Papebrochiana raris & curioſis obſervationibus plena, de Petri ad Tarentinos appulſu & Joannis Juvenis Hiſtoria Tarentina: de Pauli apud Melitenſes naufragio & cultu & Franciſci Abelæ deſcriptione Melitena: de S. Apoſtolorum trophæis apud Romanos ex Fr. M. Turrigii libro, ſub hoc Trophæi titulo edito: de æneo Petri ſimulacro, illoſorem ſuum J. Ant. Stafettam acerbe caſtigante, ex Maphei Vegii Laudenſis MSS. de rebus memorabilibus Baſilicæ Vaticanæ, & ex Liberii Alforani libro MSS. de Catacumbis: de Remotione reliquiarum e conſpectu vulgi: de brachio Petri ad Hiſpanos delato, ex Hieronymi Blanci rerum Arragonenſium Commentariis: de Capitibus Pauli & Petri, ex Joſephi Mariæ Soreſinii opuſculo A. 1673 edito: de dextera Paulo conceſſa: de brachio illius apud Miſenenſes A. 1632 a Jacobo Butlero Hyberno invento & ad Polonos translato: de vinculis Petri, eorumque ratione clavibus incluſa: de cathedra lignea, æri inciſa: de feſtis: gladiis Apoſtolorum: pileolo Petri: apparitionibus: Baſilicarum extructionibus, & alia eruditum Lectorem haud parum delectatura. Acta *Marcelli & Anaſtaſii*, ex Labbeo depromta, otioſorum hominum figmenta ſunt, qui talia habere cupiebant, quam nulla. S. *Syri*, Genuenſium in Liguria Præſulis, Acta Marcus Paleſcandulus primum eruit, vitam Obertus Epiſcopus concinnavit. *S. Leolinus* & *Hilarus*, Præſules Patavini in Italia, apud Bernardinum Scardeonium memo- 398. 476 378. 483.

Digitized by Google

p. 486. memorantur. *Caſſius* Narnienſis ſoli Gregorio M. in dialogis notus fuit. Exuviæ apud Luccenſes ſervatæ, a Narnienſibus inſigni, ut creditum eſt, pietate A. 1679 mirum in modum expetitæ leguntur. *S. Salomes* & *Judithæ* viduæ vita a Bal-
492. thaſare Krafft A. 1480 compoſita fuit. Hemmæ, Gurcenſis Eccleſiæ Fundatricis, qui ſcripſerit vitam, nondum ad liquidum ratione perductum: niſi quis Paulinum Waldnerum autorem agnoſcere velit.

533. Dies Junii XXX *Lucinam* Apoſtolorum diſcipulam exhibet, ex Actis Proceſſi & Martiniani notam, eamque malo conſilio in aliquot ejusdem nominis multiplicatam. Hæc religionis ſtudio ducta, domum Eccleſiam fecit. Sebaſtianum alios que Martyres ſepeliſſe, multaque memoranda patraſſe dicitur, quæ Hagiographis veritati adverſa judicantur. *S. Martia-*
535. *lis*, Apoſtolorum diſcipulus, a Petro Lemovicum miſſus omnem Aquitaniam ad Chriſtum reduxiſſe, ex Actis ab Aureliano ſcriptis perhibetur, quæ ſuppoſitionis ſuſpecta omnem de Martiale hiſtoriam conturbant. Præſtantiſſimi quique Galliæ Viri, pridemque laudatus Franciſcus Bosquetus, dudum illa figmenta agnovere, etſi Apoſtolatus Martialis, quod apud Pagium legitur, totis Conciliis fuerit aſſertus. Suffragatores Bosquetus habuit Joannem Cordeſium & Petrum de Marca, qui quidem ipſum Præſulatu Lemovicenſi non movent, attamen ab Apoſtolatu excludunt. Acta & miracula illius ex MSS S. Martini Turonenſis, ſimulque Hiſtoriam Monaſterii S. Martialis, ex duobus Chronographis ſeculi XII Ademaro & Gaufredo collecta, Hagiographi benigne ſuppeditarunt. Præfigitur Joannis Cordeſii Præsb & Canonici Lemovicenſis Diſſertatio de tempore miſſi in Aquitaniam Sancti, ex Gallorum vernacula Bosqueto interprete in Latium translata; tum Petri de Marca Epiſtola de tempore prædicatæ primum in Gallia fidei. Martialem obſcuriores nonnulli excipiunt uſque ad *Theobaldum*, Eremitam Vicentinum, cujus geſta præter vetuſtos aliquot Carolus Jamotte Gallico ſermone Leodii fecit excudi A. 1669. Debet is ab aliis duobus, Archiepiſcopo nempe Viennenſe & Italo quodam, prope Montem Regalem nato, probe diſtingui. *Arnulfi*

Digitized by Google

nulſi Villarienſis memoriam ex æqualibus Gosvvinus Boſutenſis, e recentioribus Franciſcus Moſchus conſecravit. *Raimundus Lullus* agmen Sanctorum Menſis Junii claudit, vir utique magnus, cumque utraque fortuna colluctatus, quæ nunc ipſum cœlo laudibus inſeruit, nunc ad convitiorum barathra dejecit. p. 633.
Hoc autem noſtro tandem ſeculo emergit ille, accedente ad patrocinium J. B. Sollerio, qui notitiam illius dedit, cultum, Epitaphia, & Scriptores vitæ magno labore explicavit, Orthodoxiam ejus mirabili conatu defendit, Librorum ab ipſo ſcriptorum, quorum numerus ad quadringentos prope accedit, accuratiſſimum Indicem exhibuit, inſertis etiam duobus vitam complectentibus Commentariis, quorum prior ab Anonymo ſcriptus opera Benedicti Gononi, Monachi Cœleſtini, alter a Carolo Bovillo ad Raimundum Bucherium olim compoſitus fuit. Monet autem Sollerius, anceps illud de Lulli doctrina judicium inde natum eſſe, quod Aymericus, Inquiſitor, Lullo ob defenſam Mariæ Virginis ἀναμαρτησίαν infenſus, Bullam Gregorii XI adverſus ipſum tanquam hæreticum hominem impetraverit: quam ejus protectores vel plane negant, vel fraudibus extortam ſtatuunt: Pontificibus ad has lites ſilentibus, perque diſſimulationem concedentibus, ut quæ olim fuere prava, hodie ob multitndinem aſſerentium, non ſolum non habeantur turpitudini, ſed laudibus etiam prolixis & cultu a plurimis excipiantur. Omnem præterea in defendendo Lullo operam navarunt & Nicolaus de Pax Patricius Majoricenſis, & Jacobus Cuſturerius Jeſuita Majoricenſis, duabus Diſſertationibus Majoricæ Lingua Caſtellana A. 1700 editis, quarum altera de Cultu immemorabili B. Raymundi Lulli Doctoris Illuminati & Martyris: altera de Immunitate a Cenſuris, qua gaudet ejus doctrina, tradit. Collegit in iis Scriptor accuratus juxta ac diligens, quicquid ad vindicias Lullianas potiſſimum conferre poteſt, tanta ingenii perſpicacia, maturitate judicii, & pondere rationum, ut Sollerius fateatur, ſe eo ad Raymundi vitam illuſtrandam fuiſſe compulſum. Hæc de Tomo V; de tertio & quarto, hactenus a nobis nondum recenſitis, dicemus proxime in Supplementis.

CONTROVERSIÆ DOGMATICÆ ADVERſus Hæreſes utriuſque Orbis, orientalis & occidentalis, in tres Tomos diſtributa; auctore P. F. LIBERIO A JESU, Carmelita Excalceato, &c. Tomus I, de Eccleſia militante, & de prætenſo Primatu Anglicano.

Romæ, ex Typographia Bernabo, 1710, fol.
Alph. 7 plag. 6.

AUtor tripartiti hujus operis Controverſiarum Prælector eſt in Seminario Pancratiano, quod Romæ eſt, Carmelitarum Diſcalceatorum, ſimulque, ut in Dedicatione ad Clementem XI P. M. fatetur, Præfectus Romani Collegii de propaganda Fide. Quia igitur conſtitutus eſt ad monachos converſioni infidelium præparandos, hinc in uſum maxime Miſſionariorum a ſe hoc opus elucubratum eſſe, diſerte meminit. Eſt autem hoc opus A. 1701 primum editum, ſed a Congregatione Generalis Inquiſitionis, donec corrigeretur, ſuſpenſum. Poſtea ab ipſo Autore correctum & expurgatum, A. 1709 libertate donatum eſt, rurſus prodeundi in publicum. Cauſa autem, cur inquiſitoribus publica luce indignum videretur hoc opus, hæc fuit, quod quædam tradiderat dogmatibus Janſeniſtarum affinia. Namque inter pag. 192 & 193 inſertum eſt folium, in quo Autor commiſſum a ſe errorem publice retractat. Nimirum ad hæreticorum, quos vocat, objectionem de diſſidiis Janſeniſtarum & Jeſuitarum in Romana Eccleſia, reſponderat: *Janſeniſtas cum omni humilitate ſe ſubjicere Romanò Pontifici in damnatione quinque Poſitionum, prout ſonant, & ſecundum quæſtionem Juris: ſed eos poſtulare audiri in quæſtione facti, an ſcilicet illæ Propoſitiones inveniantur in libro Janſenii, & an in eo ſenſu intellexerit Janſenius? At vero in quæſtionibus facti Apoſtolicam ſedem non eſſe judicem infallibilem.* Quas theſes ſingulas jam agnoſcit falſas eſſe ſibique merito repudiandas. Sed progrediamur ad perluſtrationem ipſius Operis. Primus igitur hic Tomus duabus abſolvitur Partibus, quarum priore, more Pontificiis ſolenni, polemicam

Digitized by Google

cam theologiam a doctrina de Eccleſia militante auſpicatur, eamque rem quinque Diſputationibus conficit. In quibus eam ſequitur methodum, primum ut ſententiam ſuam, vel potius ſuorum, explicet ac corroborare ſtudeat, deinde adverſariorum argumenta magno numero producat, ac denique iis evertendis ſtrenuam navet operam. Quanquam illud non poſſumus diffiteri, eum non proferre graviſſima quæque adverſariæ partis argumenta, ſed fere levia, imo non raro plane ficta: adeo ut non verendum ſit, ne victi pondere rationum hæretici, lecto Opere, redeant in poteſtatem Romani Præſulis.
Prima Diſputatio de quidditate & origine Eccleſiæ Catholicæ p. 3
inſcripta eſt: in qua XII controverſias expendit. *Primum*
an Eccleſiæ militantis membra ſint etiam Angeli, quatenus ſunt
ſpiritus adminiſtratorii in ſalutem hominum viatorum? id 7.
quod negat. *Secundo*, an Animæ in purgatorio degentes ſint 9.
membra Eccleſiæ militantis? quod idem negat. *Tertio*, an
ſoli electi ſive prædeſtinati ſint membra Eccleſiæ? quod & ipſum negat, vehementi contra hæreticos ſuſcepta diſputatione.
Hanc tamen controverſiam a Proteſtantibus pro λογομαχία
haberi, inter Eccleſiam ſtricte & laxius dictam diſcrimen ſta- 17.
tuentibus, obiter monemus. *Quarto*, an ad eccleſiam pertineant mali æque ac boni, & quidem temporaliter tales? Nam de finaliter talibus jam præcedens quæſtio fuerat. Hanc igitur quæſtionem affirmat. Sed fortaſſis & hic Proteſtantibus
res videbitur redire ad definitionem Eccleſiæ: quam cum Au- 2.
tor noſter hunc in modum definiit: *Eſt univerſitas fidelium*
viatorum colentium Deum & tendentium ad aſſecutionem fi- 33.
nis ultimi; ſibi videri poſſit contradixiſſe. *Quinto*, an impeccabilitas ſit de conſtitutivo Eccleſiæ, ſive, an juſti habentes
peccata venialia ſint vera Eccleſiæ membra? ubi prius negat 37.
contra Anabaptiſtas. *Sexto*, an Baptiſmus ſit de conſtituti-
vo Eccleſiæ? id quod affirmat, negans, Catechumenos eſſe actu 42.
membra Eccleſiæ. *Septimo*, an fides integra ſit de conſtituti-
vo militantis Eccleſiæ? id quod affirmat, oſtendere nitens, hæ- 49.
reticos non eſſe membra Eccleſiæ. *Octavo*, an neceſſaria ſit ſincera fidei profeſſio? quod affirmatur, & oſtenditur, Pſeudo-Politicos, externos Chriſtianos & hæreticos occultos non eſſe

p. 57. membra Eccleſiæ. *Nono*, an Schiſmatici ſimplices, id eſt,
qui retenta fide vera, certis de cauſis tantum Pontifici Roma-
no ſubjectionem negant, ſint membra Eccleſiæ? quod qui-
dem affirmat, ſed ſimul addit, ſibi de iis ſermonem eſſe, qui
in omnibus cum Eccleſia ſentiunt, maxime in eo, quod Papa
ſit verum Eccleſiæ caput, eique ſit obediendum, ſed propter
61. certas cauſas ei obedientiam denegant. *Decimo*, an excom-
municatus, excepta cauſa hæreſeos, maneat membrum Eccle-
66. ſiæ? quod affirmatur, *Undecimo*, an Adam & Eva fuerint
de eccleſia militante? Hic reſpondet negando, quia non ha-
buerint ſacramenta in Paradiſo, nec in venturum Chriſtum
crediderint. *Igitur*, inquit, *Eccleſia quoad formam incepit poſt
lapſum ab Abel, ſed fundamenta jacta ſunt in Adam & Eva.*
70. Denique *duodecimo*, quo tempore inceperit Eccleſia Novi Te-
ſtamenti? ubi ſtatuit, quoad ſubſtantiam a prædicatione Chri-
ſti eam ſumſiſſe initium, ſed quoad intrinſecam conſumma-
tionem a paſſione demum. In Diſputatione ſecunda agit de
qualitate Eccleſiæ militantis, copioſe defendens, Eccleſiam eſſe
unam unitate corporis myſtici, unitate indiviſibilitatis, unita-
te ſtatus: eandem quoque viſibilem eſſe, ab omni errore im-
munem, ſanctam, Catholicam & Apoſtolicam. Diſputatio
III *notas Eccleſiæ* conſiderat. Ubi primum negat, prædica-
tionem verbi & uſum ſacramentorum vera eſſe Eccleſiæ κρι-
τήρια, quippe veræ & falſis Eccleſiis communia. Deinde &
ſuorum quosdam reprehendit, quod nimis magnum dederint
numerum ſignorum veræ Eccleſiæ, nominatim Thomam Bozium,
qui centum, & Jo. Laurentium Lucheſinium, qui mille enu-
merarit. Ipſe quinque veræ Eccleſiæ notis contentus eſt, u-
nitate, id eſt, concordia in doctrina fidei & ſacramentorum
& unione membrorum ſub uno capite viſibili: univerſalitate,
ſive propagatione per totum terrarum orbem: ſanctitate: mi-
raculis: & ſucceſſione legitima Paſtorum. Quinque hæc ve-
ræ Eccleſiæ criteria veriſſime in Eccleſiam Romanam conve-
107. nire, probare nititur in Diſputatione IV, qua illam ſolvendam
230. ſuſcepit quæſtionem, ubinam tandem ſit vera Eccleſia? Quin-
ta Diſputatio vexatiſſimum illud dubium tractat, an Eccleſia
Romana

Digitized by Google

Romana degenerarit in Antichriſtianam? Verum Autor oſtendere conatur: Anti-Chriſtum in Scriptura S. prædictum non eſſe Regnum aliquod Tyrannicum, ſed aliquam perſonam ſingularem: Eliam & Enochum eſſe futuros defenſores Eccleſiæ tempore Anti-Chriſti: deſolationem imperii Romani præceſſuram eſſe adventum Anti-Chriſti: breviſſimum fore Anti-Chriſti regnum: non Romæ, ſed Hieroſolymæ eum habiturum eſſe ſedem ſuam: eum denique aperte Chriſtum eſſe negaturum, ſibique Divinitatem arrogaturum. Pars poſterior inſcribitur de falſo prætenſo capite Eccleſiæ Anglicanæ, ſeu de Laicocephalia Anglicana. Quatuor ea conſtat Diſputa- p. 273.
tionibus. Harum prima vulgaria tradit de poteſtate civili, nimirum quod politica poteſtas Chriſtianis ſit licita, quodque Principes leges poſſint condere, earumque auctoritatem vel capitalibus aſſerere ſuppliciis. Quando vero Autor 317.
diſputat inter hæc, politicum magiſtratum non eſſe immediate a Deo, ingenue fatetur in ingreſſu hujus diſputationis, Pontificiorum permultos hanc ſententiam propterea totis viribus demonſtrare conatos eſſe, quod a ſententia oppoſita periculum timuerint poteſtati Papæ Romani: quorum tamen laborem improbat. Ipſe vero ſuam ita exponit mentem. Magiſtratus, inquit, abſtractive conſiderati cauſa immediata Deus eſt, quippe volens homines conſtitutis ſocietatibus regi, alias victuros vitam plane miſeram: ſed non eſt Deus cauſa immediata Magiſtratus concretive conſiderati, i. e. non determinavit aut formam Regiminis, aut perſonam imperio præfuturam. Altera Diſputatione probare conatur, po- 326.
teſtatem ſpiritualis Jurisdictionis in Eccleſia Chriſti nec penes populum eſſe, nec penes Conſiſtorium Seniorum, nec penes Reges (vel Reginas) quibus eam poteſtatem nec jure divino ſive Veteris ſive Novi Teſtamenti, nec jure humano, nec autoritate Patrum, nec ex principiis Rationis convenire, multis defenſum ivit. Tertia Diſputatione agit de perſecutione Anglicana adverſus Catholicos, docens, Anglos non potuiſſe ſine peccato jurare in formulam obedientiæ a Jacobo I Rege præſcriptam, quod in ea fidelitatem exegerit etiam in ſpirituali-

 bus

bus: Catholicis Anglis non licuiſſe ad evitandas pœnas adire templa Hæreticorum: eosdem ob perſecutionem licite aufugiſſe: qui vero ex illis pro Religione mortem ſint paſſi, veros eſſe Martyres, quibus nec veretur annumerare famoſum
p. 431. illum Jeſuitam, Henricum Garnetum. Quartâ eademque ul-
444. timâ Diſputatione agit de erroribus Anglicanis circa cultum Sanctorum, haſce defendens ſententias: crucem Chriſti & ejus imaginem, Mariam & Sanctos, eſſe adorandos: reliquias cultu ſacro eſſe venerandos: Sanctorum imagines non ſolum cultu dignas, verum etiam eodem, quo prototypus, cultu venerandas eſſe.

כבוד
ישוע משיח
Oder
Herrlichkeit JEſu CHriſti/ 2c.

i. e.

GLORIA CHRISTI, SEU ARGUMENTA PRO veritate religionis Chriſtianæ, contra incredulos, ſpeciatim Judæos, per modum Dialogi explicata, una cum Catechiſmo Judaico; Autore CASPARE CALVOER, Superint. in Hercynia Generali.

Lipſiæ, apud Jo Chriſt. König, 1710, 4.
Alph. 4 plag. 8.

NOn Tibi ignotum eſſe poteſt B. L. Celeb. Autoris nomen, cujus famam tot in publicum ab ipſo emiſſa ſcripta loquuntur. Quibus novum hoc nunc accedit, & materiæ, quam tractat, raritate, & inprimis ſingulari, qua refertum eſt, eruditione, ſcriptumque induſtria, omnino ſeſe commendans. Cum enim ante hos duodecim annos edita ab ipſo ſit *Gloria Moſis*, æquum eſſe judicavit, ut Gloria Chriſti, optimi Salvatoris noſtri, etiam proſtaret. Exoptata labori huic occaſio primum ſubnata eſt, cum ſacris noſtris initiandus eſſet Judæus; huic ſumma fidei noſtræ capita lingua noſtra Germanica,
quam

Digitized by Google

quam callebat, convertendus, characteribus tamen Rabbinicis (im Jüden-Teutſch) conſignata, legenda exhibebat Cel. Autor. Cumque inſtitutum hoc ſuum Cel. *Wagenſeilii* conſilio reſpondere videret, qui ſcilicet iſtis characteribus quam noſtris fidei Chriſtianæ articulos Judæis patefieri maluit, rem cum *Wagenſeilio* communicavit, & non approbationem tantum ejus impetravit, ſed de edendo etiam a ſe ejusmodi propediem opere, ſpem Orbi Erudito a Cel. Viro obſervavit publice factam. Ab eo igitur tempore totus in eo fuit, ut veritatem Salvatoris noſtri non firmiſſimis tantum rationibus ex V. T. oraculis adſtrueret, ſed eandem etiam contra quascunque adverſariorum objectiones, ſcripto ejusmodi Germanico methodo Dialogi vindicaret; utque legeretur ab iis, in quorum potiſſimum gratiam labor omnis ſuſceptus eſt, in altera paginæ parte Rabbinicis characteribus id ipſum exprimi curaret. Ad converſionem enim gentis hujus (quam, tum ob dictum Rom. XI, 25, 26, tum ob alia dicta, quæ, niſi hanc admittas, vix commode explicaveris, quorumque in ipſo opere aliquot dedit ſpecimina, ſperat) vix quicquam magis conducere arbitratur, quam ut linguæ rituumque Judaicorum cognitionem ſibi acquirant ſolidam, qui hac etiam ratione Domini vineam colere, in animum inducunt. Qua quidem in parte primas defert Hiſpaniarum genti; laudans non tantum Concilii Toletani, A. 633 directore Iſidoro Hiſpalenſi celebrati, decretum, quo ſancitum, ut rationibus in poſterum non armis Judæi vincerentur; ſed inprimis *Raymundi a Penna forti* induſtriam commendat, ut qui circa A. 1248 Caſtellæ Arragoniæque Regibus Autor exſtitit, quo aliquot præſtantes ingenio Viros, Hebrææ, Chaldaicæ & Arabicæ Linguæ notitia ſumptibus Regiis imbui curarent, ut his potiſſimum armis cum Judæis congrederentur; effecitque, ut A. 1250 in Conc. Tolet. octo huic fini deſtinarentur Viri, quos inter Raymundus Martini Monachus Barcinonenſis adeo profecit, ut non ipſe tantum multos Chriſtianis ſacris initiaret, ſed præter alios utiliſſimum *Fidei pugionem* adverſus Mauros & Judæos ederet. Et licet per aliquot dein Secula Linguarum Or. neglectus non levem inſtituto remoram

in-

injiceret, efflorescente tamen dein Seculo XVI religionis puritate, linguarum quoque harum ſtudium opera Joh. Reuchlini aliorumque iterum effloruit, & hac ratione Judæorum converſio non parum promota eſt. Cum autem Judæorum admodum pauci Latina, quibus negotium hactenus fuerat tractatum, calleant, ad illos recenſendos pergit, qui characteribus Rabbinicis doctrinam noſtram lingua vernacula propoſuere; ubi primo *B. Eliæ Schadæi*, Profeſſoris olim Argent. operam commendat, qui characteribus iſtis Evangelium Lucæ atque Johannis cum Actis Apoſtolorum & Epiſtolis ad Romanos & Hebræos ex verſione B. Lutheri edidit. Quem ſecutus ante aliquot annos *Chriſt. Möllerus* Paſtor Samlavienſis, qui univerſum Novum Teſtamentum habitu iſto luci expoſuit. Ad quorum exemplum, Fidei noſtræ veritatem, ab adverſariorum objectionibus ſolidiſſime vindicatam, proponit Cl. Autor. In quo quidem opere id inprimis videtur eximium, quod ex vaſto Talmudis opere Rabbinicisque ſcriptis ea ſint collecta, quæ vel ad firmandam noſtram de Meſſia ſententiam, vel ad refutandas ipſorum adverſariorum ſtrophas faciunt. Sic quando p. 205 illud Gen. IV, 9, 10, vindicat, ad antiquiſſimi Tract. *Breſchis Rabba* conſenſum provocare haud veretur, quippe qui non de Meſſia tantum dictum iſtud explicat, ſed fatetur etiam, ſceptrum ab eo usque tempore, quo natus eſt Meſſias noſter, a Juda eſſe remotum. Cum de LXX Danielis ſeptimanis agit, docet ex collatione celeberrimorum ex Judæis, non in terminis tantum a quo & ad quem, ſed in ipſa etiam ſupputandi ratione, nobiſcum illos facere. Sic Meſſiam jam adveniſſe ex *Cod. Sanhedr.* C. XI probat. Cum autem fundamentum quaſi omne in veritate narrationis Evangeliſtarum & Apoſtolorum de Salvatore noſtro ſubſiſtat, eandem invictiſſimis rationibus demonſtrat, & quadantenus ad conſenſum ipſorum Judæorum provocat p. 304 ubi ex *Cod. Schabb. Jeruſch.* Cap. *Schemona Scherazim, Abo da Zara, Midraſch Coheleth*, & inprimis ex blaſphemo Libri *Toldos Jeſchu* Autore docet, miracula a Salvatore ejusque diſcipulis perpetrata, non quidem ab ipſis vocari in dubium; attamen cum per decantatum

tatum ipſorum *Schembamphoraſch*, quod ex Templo Hieroſ. eum ſuffuratum eſſe, mentiuntur, omnia iſta fuiſſe facta prodant, non perſpicue tantum omne ipſorum de *Schembamphoraſch* (cujus fundamentum in Ex. XIV, 19, 20, 21 reponunt) figmentum recenſet, ſed blaſphemiam etiam iſtam a Salvatore noſtro avertit. Placuit autem Cel. Autori totam tractationem III comprehendere Libris, quorum I perſonam, officia, & criteria Meſſiæ pandit; II Meſſiam adveniſſe probat; III officia huic Salvatori debita recenſet. His in fine additur Catechiſmus Judaicus, qui octo Capitibus corruptionis noſtræ poſt lapſum miſeriam & factam per Meſſiam liberationem docet, cujus adeo officia, Deitas, ἐνσάρκωσις & alia huc facientia proponuntur. Appendicis loco Noſter δοξολογίαν nominis Jeſu ex V. T. Libris conquiſitam annectit, & ex *Michaelis Havemanni* נר לדרכי (Wegleuchte) nec non ex *B. Scriverii* Seelenſch. P. V Conc. I, §. 77, quid de converſione Judæorum ante finem mundi futura habendum ſit, exponit. Denique XIV Regulis legendi Rabbinico - Germanica (das Juden-Teutſch) rationem docet.

In prolixa autem Operi præmiſſa Introductione Talmudis hiſtoria & totius operis œconomia traditur, nec non autoritas ejus in probandis fidei myſteriis ex variis rationibus, quas ex ipſo interdum Talmude depromit, ſubruitur.

Nec veretur Cel. Autor, ne exoptato ſucceſſu deſtituatur iſte labor, fretus tot de converſione Judæorum vaticiniis, & quamvis fateatur multos ex converſis ad vomitum hactenus rediiſſe, tritumque iſtud Hiſpan. Regis: *Aquam tripliciter corrumpi, eam ſc. quæ generoſo miſcetur vino, eam quæ marina infunditur, eam denique quæ in S. Baptiſmatis fonte Judæus tingitur*, quodammodo probet; non tamen deſperandum plane eſſe aliorum exemplo contrario evincit, quos inter nominat: *Nicol. Lyram, Hier. a S. Fide, Paulum Burgenſem, Petrum Galatinum, Chriſt. Gerſonem, Paulum Weidnerum, Victorem a Carben, Antoniam Margaritam, Paulum Pragenſem, Emanuelem Tremellium, Ern. Ferd. Heſſium, Jo. Steph. Rittangelium*, aliosque. Cauſam vero impeditæ hactenus converſionis

ſionis partim in ipſos Judæos partim in noſmet conjicit, & tandem conſilia haud ſpernenda ſuppeditat, quibus obſervatis nos officio noſtro poſſimus ſatisfacere.

Summarien/ oder Gründliche Auslegung über die gantze Heil. Schrifft Alten und Neuen Teſtaments ꝛc. ꝛc.

i. e.

SUMMARIA, SIVE TOTIUS S. SCRIPTURÆ V. & N. Teſtamenti Explicatio ad praxin accommodata, publico Eccleſiarum in Ducatu Würtenbergico uſui, & privatæ familiarum devotioni primum deſtinata, nunc vero cum cura reviſa, multisque obſervationibus aucta, opera Facultatis Theologicæ, quæ in Academia Tubingenſi hoc tempore floret, cujus & Præfatio nova acceſſit. Editio ſecunda, in VI Tomos diviſa & indice inſtructa.

Lipſiæ, apud Jo. Fridericum Gleditſch, 1709, 4. Alph. 21.

COmplures effluxerunt anni, ex quo opus hoc inſigne ac pietati promovendæ aptiſſimum in lucem publicam primum prodiit, quod cum plurimis noſtratium alias non ignotum ſit, ea modo, quæ ad illius hiſtoriam novamque, quam hic ſiſtimus, editionem ſpectant, breviter enarraſſe ſufficiet. Cum ſcilicet A. C. 1634 factum eſſet, ut Würtenbergicis ditionibus ferro atque incendiis miſere devaſtatis, *Viti Dieterici* Summaria Scripturæ S. breviora, quæ eousque in lectionibus veſpertinis publice prælecta fuerant, maximam partem aut diriperentur aut abolerentur, EBERHARDUS III, Dux Würtenbergicus, laudabili verbi divini ac civium ſuorum commodis inſerviendi ſtudio excitatus, nova Scholia in uſum publicum æque ac privatum a Viris piis atque eruditis adornari voluit. Ut igitur optimi Principis voluntati ſatisfieret, admo-

Digitized by Google

admovit primum negotio manus *Jo. Jacobus Heinlinus*, Monaſterii Bebenhuſani prope Tubingam Abbas ac Superintendens Generalis, qui expoſitis N. T. libris, Prophetarum quoque ſcripta aggreſſus eſt, & ex utroque labore debitam laudem promeruit. Hinc *Jeremias Rebſtockius*, Blaubeyrenſis Monaſterii Abbas, Vir orientalium linguarum & Theologiæ non mediocriter doctus, Geneſin egregie explanavit, cui morte præpropera impedito, quin cœpta proſequeretur & ad finem perduceret, ſucceſſit *Jo. Conradus Zellerus*, Superintendens Generalis & Monaſterii Bebenhuſani itidem Abbas, qui ea, quæ Geneſi addenda erant, non modo ſupplevit, ſed & reliquos Moſis libros, nec non Joſuæ, Judicum, Ruth, Samuelis, Regum & ceteros, qui ſequuntur, pulcerrime illuſtravit. His ergo autoribus totum operis Syſtema concinnatum laudatus modo Princeps, EBERHARDUS III, A. C. 1667, ſingulari edicto, quod huic quoque editioni præfixum legitur, eccleſiis ſedulo commendavit, publicisque prælectionibus deſtinavit, veteris eccleſiæ conſuetudinem ſecutus, quam Vir ſumme Rev. *Jo. Andreas Schmidius*, Theologus Helmſtadienſis, eleganti ſchediaſmate *de primitiva eccleſiæ lectoribus* non ita pridem expoſuit. Ex eo vero tempore tam avide eccleſia librum excepit, ut diſtractis omnino exemplaribus, nova editione opus eſſe videretur, imprimis cum Imperatoris Auguſtiſſimi JOSEPHI indulgentia, qua immortalem gloriam ſibi comparavit, in Sileſiæ Ducatu Auguſtanæ Confeſſionis Sociis liberior cultus denuo permitteretur, inter quos hæc ipſa Summaria jamdudum uſu fuiſſe recepta conſtat. Quocirca laudatur merito Theologis Würtenbergicis in Præfatione operis Jo. Fridericus Gleditſchius, quod pro eo, quo in rem litterariam promovendam ſtudio fertur, novæ editioni adornandæ facilem ſe præbuerit, nihilque prætermiſerit, quod vel ad augmentum vel ornamentum libri aliquid conferre viſum fuit. Nec dubitamus, fore, ut illi, qui priorem cum hac editione contulerint, iſti Virorum Celeberrimorum ſententiæ calculum ſuum lubentiſſime adjiciant; maxime cum non pauca a Tubingenſibus Theologis addita nunc & emendata invenerint.

ARTICULI SMALCALDICI, XVII DISſertationibus publicis in Academia Rintelienſi propoſiti, a JOHANNE KAHLER, SS. Theol. D. ejusdemque Profeſſore Primario & Mathem. Ordinario.

Rintelii, typis Hermanni Auguſtini Enax, 1710, 4. Alphab. $2\frac{1}{2}$.

QUemadmodum Maxime Reverendi Autoris egregiam, quam in Auguſtanam Confeſſionem impendit, operam in Actis noſtris A. 1695 p. 116, cum priorem ejusdem partem, quæ fidei articulos exhibet, viginti Diſſertationibus ab ipſo illuſtratam, recenſeremus; atque iterum A. 1697 p. 47, cum poſterioris, quæ de abuſibus agit, ſeptem Diſſertationibus ab eodem declaratæ, mentionem faceremus, commendare non dubitavimus: ita præſentes quoque Diſſertationes, quibus Articulis Smalcaldicis lucem affundere ſtuduit, Librorum Symbolicorum æſtimatoribus non diſplicituras eſſe confidimus. Cum autem Articuli Smalcaldici in tres partes abeant, harum primam, quæ continet articulos tunc temporis quidem extra controverſiam poſitos, interim quorum confeſſio retundebat ſparſas eo tempore calumnias, in noſtris eccleſiis foveri Arianiſmum & Ethniciſmum &c. ſex Diſſertationibus illuſtravit: ſecundæ parti, quæ ſiſtit articulos a Pontificiis in controverſiam vocatos, tribus Diſſertationibus lucem conciliavit: tertia pars, quæ ejusmodi articulos proponit, quos multi Papiſtæ parvi quidem pendunt, interim quos memorari, noſtrarumque eccleſiarum de iis ſententiam viris doctis in Papatu innoteſcere, e re fuit, octo Diſſertationibus dilucidatur, & ſub finem Index rerum præcipuarum exhibetur.

HUGONIS GROTII LIBRI III DE JURE BELLI & Pacis, Obſervationibus Theologicis, Moralibus & Politicis illuſtrati; Autore JOHANNE WOLFFGANGO JÆGERO, Cancellario & Primario Theol. Prof. Tub. Gen. Superint. & Abb. Adelberg.

Tu-

Digitized by Google

Tubingæ, ſumtibus Jo. Georgii Cottæ, 17[illegible] 8. Alph. 2 plag. 3.

POſt tot aliorum in vaſtæ eruditionis opus Grotianum curas, non dubitavit Celeb. Autor ea in lucem emittere, quæ diuturna Operis hujus tractatio ipſi ſuggeſſit. Nec ſane laude ſua privari poteſt Autoris inſtitutum. Cum enim Grotius ex omni fere eruditionis genere huc congeſſerit, quicquid vel obſcurum alias vel diffuſum hinc inde non ſine magno labore conquirendum erat, facile judicare eſt, non cujusvis eſſe, ad lectionem operis hujus cum fructu accedere. Ut itaque naturalis diſciplinæ Cultores juvaret Noſter, in compendium redegit a Grotio prolixe deducta, ea quidem methodo, ut juxta ordinem ſeriemque capitum atque paragr. operis Grotiani Quæſtionibus omnia tractet; & rationibus utrinque allegari ſolitis in medium allatis, decidendi fundamenta addat, nec raro ſyllabum Autorum tradat, qui tum affirmativæ tum negativæ partis fuere ſocii, ut ita nervus exhibeatur ſine mole, & Lectori occaſio ſubminiſtretur prolixius in materiam propoſitam inquirendi. Fatetur autem, Ill. Pufendorfium, quem poſt Grotium in hoc ſtudiorum genere maximi facit, utramque ſibi paginam facere, ideo inprimis quod in fidei rebus multo deprehendatur Grotio purior; cujus quippe rei in Tractatu *de Jure Feciali* ſpecimen ſat luculentum dederit, utpote ſucco quaſi & ſanguine purioris Theologiæ. Ita tamen ſecutus Pufendorfium eſt, ut diſcedere ab eodem, ubi ratio poſtulat, non ſibi religioni ducat. Sic quando Cel. Pufendorfius Novum Teſtamentum Fœdus quam Teſtamentum dici mavult, non rationes tantum ejus prolixe adducit, ſed contrarias etiam allegat, atque illas refutat. In Obſ. ſtatim I, ubi de fundamento & fonte Juris Naturalis agit, obſervat, male Grotium intellexiſſe, quotquot auctoritate Grotii inducti, fontem univerſalem Juris naturæ Societatem ſtatuerunt; cum is neque in Prol. p. 2, neque Cap. 1 §. 3 Jus naturæ in tota ſua latitudine, ſed partialiter tantum pro juſtitia & æquitate accipiat. Nec raro, inprimis ubi de rebus Theologicis agit, ejusmodi proponit Quæſtiones, quas ex Commentatoribus neminem

nem te[illegible]ſſe antea tradit. Ita v. g. pronuntiat de ea, quæ p. 114 movetur ad L. I C. II §. 7 n. 5 Grotii, quomodo lex dicatur duraſſe usque ad Johannem? Matth. XI, 13, coll. Marc. I, 1. Luc. I, 77 & aliis, quarum examen B. L. relinquimus.

GEORGII WOLFFGANGI WEDELII EPItomes Praxeos Clinicæ Sectio prima de Morbis Capitis.

Jenæ, ſumptibus Johannis Felicis Bielckii, 1710, 4.
Conſtat Alph. 1 plag. 4.

QUam dudum luci publicæ expoſiturum ſe pollicitus fuerat Praxin Clinicam clariſſimus Wedelius, eam induſtriis Medicinæ alumnis ulterius invidere noluit, primam ejus Sectionem, Capitis morbos exhibentem, nunc ſiſtens. Methodus ſcilicet hæc Epitome eſt medendi ſpecialis, ad individualem & ſingularem facili negotio applicanda; unde non niſi hujus intuitu generalis fuerit dicenda. Demonſtrativa ſimul eſt & analytica, certa & indubitata artis fundamenta edocens; quamplurimis inſimul obſervationibus ſuperſtructa, & ex crebra Praxi nata. Capita XIII continet hæc Sectio, in quorum I de Convulſione, in II de Melancholia, in III de Apoplexia, in IV de Paralyſi, in V de Dolore Capitis, in VI de Vertigine, in VII de Epilepſia, in VIII de Mania, in IX de Incubo, in X de Affectibus ſoporoſis, in XI de Catalepſi, in XII de Catarrho, raucedine, & coryza, in XIII de Phrenitide agitur. Speciminis loco caput I de Convulſione in compendio ſiſtemus.

Scilicet pro dignoſcendo morbo, locoque affecto, notare jubentur Practici, an adſit tenſio in corporis partibus, an circa articulos, an in mollibus partibus? an contractio ſit involuntaria, ac invita, coactiva? an tenſio fixa, conſtans, permanens, & ſine κλόνῳ? an dolorifica, an indolens? an tendines duri inſtar chordæ & tenſi? an tenſio ſit in toto corpore, an in parte certa & definita? an contorta membra, an rigida? an incurvatio, an æqualis ſit rigor? an lateralis potius fiat inflexio & tenſio? an ſenſibus integris hæc peragantur? an cerebrum ſimul quatiat, an medius inter convulſionem & epile-

epilepſiam affectus? an per paroxyſmos convulſio peragatur? an unus ſaltem & continuus magis ſit paroxyſmus? an frequentes hinc inde in corpore ſub cute undulationes? an flatus in corpore? an vermium indicia adſint? an faſcini vel obſeſſionis ipſius ſe offerant veſtigia? an cum paralyſi reciprocet convulſio? an vera hæc ſit, an apparens? an hyſterica? quem typum alium morbus teneat? an primarius ſit, an ſymptomaticus, an comitatus? an vires reſolvat? an hæ ferendo ſint? an terror prægreſſus, an ebrietas, an vulnus? an epidemius & malignus ſit morbus? an repletio, an inanitio præceſſerit? an paralyſis lateat alterutrius lateris, an convulſio oris, oculorum, œſophagi, brachii, penis, uteri, manuum, pedum, vel ſurarum? an in corpore obeſo contingat, an in exſucco & macro? an prægreſſa ſit tenſio externa, an compresſio? an in gravidis fiat? Eaque omnia uberius dilucidantur. Præſuppoſito ergo, in convulſione omni eſſe motum tonicum paſſivum, & fibras nerveas motrices vel inflatas, vel irritatas, quoad extimam potiſſimum membranam, delicatam & tenſilem, vel diſtortas penitus, adeoque ſtricturam illiusmodi tonicam pati. Tres inde exurgunt Indicationes, quarum I ſic ſe habet: Inflatio & inæqualitas ſpirituum tenſiva tollenda & moderanda eſt: ubi, quando venæ ſectio, cucurbitulæ, victus tenuis, alterantia, imprimis cephalica & nitroſa locum inveniant, clarius docetur. Indicatio II humores figentes, coagulantes, irritantes, acidos, auſteros, atrabilarios, fixiores corrigendos commendat: qua occaſione diaphoretica, emetica, purgantia, clyſmata, ſalivantia, veſicatoria, cephalica, antepileptica, anodyna, antihypochondriaca, antiſcorbutica, hyſterica, carminantia quando conveniant, injungitur. Ultima Indicatio partium convulſarum, nervorum, muſculorum, & partium determinatarum tenſionem, diſtorſionem, vellicationem, & contractionem tam æqualem, quam inæqualem demulcendam & mitigandam eſſe ſuadet; idque quomodo topica, emollientia, nervina, paregorica, frictio, ſitus mutatio, ſuffitus &c. præſtent, indicatur.

PRÆ-

Digitized by Google

PRÆLECTIONES CHYMICÆ, IN QUIbus omnes fere operationes Chymicæ ad vera principia & ipſius Naturæ leges rediguntur, Oxonii habitæ a JOHANNE FREIND, M. D. Ædis Chriſti Alumno.

Amſtelodami, apud Janſſonio Waesbergios, 1710, 8.
Conſtat plag. 7.

CHymicos in experimentis cum laude hactenus progreſſos eſſe agnoſcit Autor, in iis autem explicandis parum profeciſſe affirmat, talibus quippe uſos principiis, quæ vix intelligi poſſint. Artem igitur Chymicam illuſtraturus ſingulas operationes eo, quo inter ſe connexæ ſunt, ordine explicare & qua potiſſimum vi Mechanica edantur, diſquirere intendit. Monet autem viam, qua ad Mechanica principia Chymia exigi poſſit, primum aperuiſſe *Johannem Keil* in iis, quæ ex Tranſactionibus Anglicanis Sectioni ſextæ Tom. IV Supplementorum p. 272 & ſeqq. inſeruimus, & ſpem facit operis Phyſici ab ipſo edendi, in quo res maxime reconditas illuſtratum iri ait. Adhibet nimirum præter notiſſima principia Arithmetica, Geometrica & Hydroſtatica, etiam hypotheſin *Keilianam* (quam loco citato ipſis Autoris verbis deſcripſimus, & jam in Actis Anni ſuperioris attigimus) de vi attractrice particularum minimarum. Verum enim vero Dn. *Keilius* cum ſequacibus redit reapſe ad qualitates occultas, quales apud Scholæ Philoſophos ſympathia & antipathia fuere, dum vim quandam attractricem ſtatuit, quæ ſi (ut ipſe vult) primitiva eſt, omnique materiæ erga omnem materiam eſſentialiter competit, utique per rationes mechanicas explicari nequit, atque adeo vel erit aliquid abſurdum, vel in miraculum ſeu voluntatem Dei extraordinariam reſolvetur, ad quam tamen in Phyſicis ſine neceſſitate confugiendum non eſſe, convenit inter intelligentes. Quodſi aliter procedimus & fictionibus indulgemus, reditur ad Philoſophiam quandam phantaſticam Scholæ vel etiam Enthuſiaſticam, qualis *Fluddi* fuit. Ita uno ictu ſubvertentur, quæ in Anglia ipſa *Robertus Boylius* & alii

Viri

Viri docti de rebus naturalibus mechanice, id eſt, rationabiliter explicandis magno ſtudio ſtabiliverunt, quæ *Boylius* etiam diſerte ad Chymica applicuit. Juxta infelicem hanc philoſophandi rationem Autor adeo ſupponit, omnes materiæ partes a ſe invicem trahi; vim attractivam per exigua admodum ſpatiola diffundi & in contactu validiſſimam exiſtere, decreſcere autem in ratione majore, quam eſt duplicata diſtantiarum; eandem pro varia particularum figura & denſitate diverſam eſſe; immo in uno latere fortiorem ſeſe exerere quam in alio; particulas eo majore velocitate ad ſe invicem accedere, quo ſint minores; cohæſionem denique materiæ in corporibus ab hac attractione oriri & pro varia contactuum quantitate multifariam mutari. Sed hæc omnia ſine qualitate illa occulta attractrice, veræ Philoſophiæ principia confundente & in antiquum chaos redeunte, commode explicari poſſunt; partim etiam a Viris doctis jam explicata ſunt, ſtatuendo plurimas materiæ particulas ſphæra quadam magnetica fluidi ſubtilioris eſſe circumdatas, cujus motu (ut in magnetibus noſtris fieri videmus) attrahant ſe invicem aut repellant & ad ſitum convenientem diſponant, quoties ſcilicet libertatem aliquam ſunt nacta. Ut alios multos modos mechanicos taceamus a *pulſu* ortos, quibus *ſine attractione proprie dicta* explicari poteſt, cur corpora ad ſe invicem accedant, ut attrahi videantur; veluti cum aqua per ſuctionem in tubos aſſurgit, vel cum guttæ binæ ejuſdem liquoris ex contactu ſubito in unam coaleſcunt. Itaque ad aliquid precarium & minime intelligibile confugere neceſſe non eſt. Et talibus ſemel admiſſis apertaque fingendi licentia, mox erunt qui alias hujuſmodi *qualitates occultas*, ſeu quas ipſi agnoſcant abſolute inexplicabiles, comminiſcentur, & paulatim ad vetera ignorantiæ aſyla redibunt. Si detur vis attrahendi ſeu ſympathia, quidni pari jure detur vis repellendi ſeu antipathia. Ita facile etiam dabitur Antiperiſtaſis, dabuntur qualitates emiſſæ per modum ſpecierum cum ſuis actu potentialibus; dabitur funiculus *Lini* attractivus a *Boylio* refutatus, dabitur in materia eadem variatio extenſionis non apparentis tantum, ſed etiam veræ, ejuſdemque mate-

 riæ ac-

Digitized by Google

riæ accurata in majus volumen diſtenſio, aut in minus volumen compreſſio, ſine aliena materia intro admiſſa vel expulſa, ſeu rarefactio aut condenſatio proprie dicta, tanquam mater vis elaſticæ, imo hanc extenſionis variationem, ni fallor, Dn. *Keilius* jam ipſe introducere conatur loco ſupra laudato. Et ut verbo dicam, pleraq; omnia monſtra Scholaſtica, ſtudio *Baconi*, *Galilæi*, *Jungii*, *Carteſii*, *Hobbii*, *Toricellii*, *Paſcalii*, *Boylii* profligata, velut agmine facto per poſticum iterum in Philoſophiam, niſi cavemus, irrumpent. Videamus vero, quomodo Autor figmento iſto ad Chymicas operationes explicandas utatur.

Cum Chymia ſit Ars corporum naturalium partes vel ſegregatas conjungendi, vel conjunctas ſegregandi, idque plerumque ignis auxilio; eam in *Diacriſin* & *Syncriſin* dividit. Ad illam calcinationem, diſtillationem, ſublimationem; ad hanc fermentationem, digeſtionem, extractionem, præcipitationem & chryſtalliſationem refert. Calcinatio quoniam ſine liquatione nunquam fere contingit, hanc primo loco explicat. Cohærent ex mente Autoris particulæ per mutuam attractionem, in ipſo contactu fortiſſimam. Liquantur ergo corpora, dum corpuſcula ignea in ea ſe inſinuant & ita ſegregant, ut particularum multo minor contactus fiat. Hanc ſegregationem a corporum liquefactorum rarefactione probat, & ex cohærentiæ diſcrepantia omnem in corporibus liquandis varietatem deducit. Calcinationem diuturnioris liquationis effectum pronuntiat, dum corpuſcula magis ſubtilia avolent & igneæ particulæ ea multitudine in corpus ſe inſinuent, eique quaquaverſum ſe immiſceant ac intimius agglutinent, ut amplius perſiſtere nequeat fluiditas: id quod ex aucto corporum calcinatorum pondere probat. Ad calcinationem quoque vitrificationem revocat, & ſine ratione decrepitationem atque detonationem apud Chymicos ab ea diſtingui, notat. Aſcenſum fluidi in deſtillatione duplici cauſæ adſcribit, ſpecificæ nempe levitati & impulſui. Demonſtrat itaque, particulas rarefactas ſpecifice leviores fieri, e. gr. moleculam aquæ, cujus gravitas eſt ad gravitatem aeris, ut 800 ad 1, ſi ejus diameter per rarefactionem decupla evadat. Sed leviora in gravioribus

bus aſcendunt. Erit autem tanto promtior aſcenſus, quo corporum particulæ facilius rareſcunt. Impulſum a celeritate deducit, qua ignea corpuſcula moventur, virium quantitatem ex facto maſſæ in celeritatem per communem errorem paſſim in his Actis notatum æſtimans. Ad elevationem particularum ſpecifice graviorum multum conferre ſuperficiem eorundem, cum plura ignea corpuſcula in eas impetum faciant, ſi lata fuerit, quam ſi exigua exiſtat. In elevatione ſolidorum, quæ fit per ſublimationem, rareſcentiam vix locum habere, ſed ſoli impulſui aſcenſum tribui debere. Conſiderandum vero eſſe, quod in particularum ſejunctione vi ignis facta gravitas minuatur in ratione cuborum, ſuperficiem in ratione quadratorum diametrorum, atque adeo abolita fere gravitate lata ſatis ſuperficies particulæ evehendæ relinquatur. Ex. gr. ſit diameter corporis 12, gravitas 12. Si diameter evaſerit ſubdupla, gravitas infra binarium ſubſiſtit, ſuperficies autem ad 36 aſſurgit. Fermentationem per motum partium inteſtinorum definit, qui ſuboritur, ſi ſalia in liquoribus ſeu menſtruis colliqueſcunt, eamque in diſſolutionem & ebullitionem dividit. Diſſolutionem fieri, ſi ſalia diſſolvenda validius attrahant particulas fluidi, quam hæ a ſe invicem trahantur. Ita enim fieri, ut in viciniam ſalium propius ire contendant, ſicque in motum concitatæ cum quodam impetu in ſalia ferantur & in eorum meatus aditu parato eadem comminuant atque diffringant. Quodſi particulæ ad motum concitatæ elaſticæ fuerint, fermentationem oriri, cum eadem celeritate poſt ictum recedant, qua prius ad ſe invicem accedebant. Aerem rarefactum, dum expellitur, ebullitionem cauſari, & motu vehementius increſcente, calorem excitari. Amalgamationem & corroſionem eodem modo explicat: nec aliter de digeſtione ſtatuit, niſi quod hic ignis in ſubſidium vocetur. Extractionem quoque per eandem particularum attractionem declarat: præcipitationem vero fieri ait, vel ſi liquor ſpecifice levior inſtillatus menſtrui gravitatem & conſequenter tenacitatem minuat, ut particulæ ſpecifice graviores, quæ huic ſeparandæ antea pares non exiſtebant, nunc eam vincant, ſicque deſcendant; vel ſi liquoris ſpecifice gravioris, dum infunditur, particulæ fundum petentes, reliquas

Digitized by Google

per fluidum diffuſas ſecum una abripiant, a fundo non amplius elevandæ, cum per ſe fluido ſpecifice graviores exiſtant. Cryſtalliſationem denique a vi particularum ſalinarum attractiva immediate ac unice derivat. Similes meditationes paſſim habent recentiores Philoſophi, quando res chymicas ad cauſas revocare conantur, niſi quod a vi illa attractiva merito abſtineant, ne vocula eleganter ſonante ignorantiam ſuam palliare videantur. Sed tum demum eos valde profeciſſe dicendum erit, cum effecerint, ut experimenta nondum capta ex conſtitutis principiis prædici poſſint.

L' ESPRIT DE GUY PATIN.

h. e.

GENIUS GUIDONIS PATINI, CONFABULationibus ipſius, Epiſtolisque, & aliis ſcriptis innoteſcens.

Amſtelodami, apud Petrum de Coup, 1710, 12.

Plag. 12.

JAm primo ſeculi hujus anno Patiniana cum Naudæanis junctim fuerant emiſſa, Amſtelodami non ita longe poſt iterata recuſa editione, in quibus ſapienter docteque juxta atque jocoſe dicta a Guidone Patino, celeberrimo ſalutaris artis apud Pariſienſis Doctore, continentur, prout familiari ſermone ab eruditis Viris hinc inde prolata in aliorum transferre notitiam & typis deſcripta publicare moris hactenus fuit. Noverat hoc præſentis libelli Autor, neque impediri tamen inde potuit, quo minus nactus collectionem aliam apophthegmatum Patini, denuo hæc publicaret, adderetque iisdem non pauca ex Epiſtolis ſummi Viri & aliis ipſius ſcriptis, congeſtisque accuratiori ſtudio novum diverſumque plane præfigerent titulum. Præmiſſa eſt excerptis iſtis imago Guidonis Patini h. e. vitæ conſuetudinis ejus brevis deſcriptio, in qua refertur inter alia, quod, teſte quidem Huguetano Advocato Lugdunenſi, qui perfamiliaris ipſi fuit, ad Ciceronem, cujus Romæ ſpectata illi fuit ſtatua, quoad oris lineamenta mira quadam ſimilitudine acceſſerit

ſerit Patinus, itemque, quod Chymicos ſimias Medicinæ,
Pharmacopolas coquos Arabicos, & *animalia* dixerit *bene fa-
cientia partes & mirabiliter lucrantia*, vel exinde ipſis indigna-
tus, quod nimia medicamentorum propinatione decumbenti-
bus ægre faciunt, in quem finem, & ut obviam iretur ipſorum
impoſturis, libellum, *Apotiquaire charitable* dictum, paſſim
curaverit divulgari; imo & quod antimonii, Chymicorum e-
jus temporis idoli, ut ipſi vocabatur, intempeſtivum uſum mul-
tis modis notaverit, longum Catalogum conficiendo inter alia
eorum, quos mori contigerit ob hanc cauſam, quem *Marty-
rologium antimonii* inſcripſerit. Sed ex illa ipſa dictorum Pa-
tini collectione ſequentia nos jam enotabimus: Cujacii ſum-
mi JCti filia acrior ad Venerem fœmina extitit, & non unius p. 2.
libidinis incurrit notam, quam cum A 1587 mater enixura eſ-
ſet, ex ortivo cardine, quem horoſcopum dicunt, auguratus fuit
Pater, aut filium ſibi naſci carnificis olim periturum manu, aut
filiam vulgati corporis vilitate futuram notabilem. Ejus ipſi-
us memoriæ ſequentes ſcripti ſunt verſus:

> Viderat immenſos Cujaci nata labores
> Æternum Patri promeruiſſe decus.
> Ingenio haud poterat tam magnum æquare Parentem
> Filia, quod potuit, corpore fecit opus.

Taſſus, magnæ celebritatis apud Italos Poeta, multum denique 3.
cum paupertate luctatus eſt, & neceſſum habuit aliquando vel
uncialem unum numum mutuari ab amico, ut haberet quo
per ſeptimanam vitam ſuam ſuſtentaret, ſcripſitque idem eti-
am tetrade caſtichon ad felem ſuam, ut per unam noctem ſu-
os ſibi oculos commodaret, rogans, cum ad candelam emen-
dam deeſſet nimirum pecunia. Plinii Hiſtoria naturalis jure
pauperum dici poteſt Bibliotheca, cui ſiquis Ariſtotelem ad- 14.
jungat, integram pene is poſſidebit Bibliothecam, ſi Plutarchus
& Seneca acceſſerint, tum familia quaſi optimorum librorum
omnibus abſoluta numeris coibit. Hugo Grotius adeo æſti- 28.
mavit Lucani Poemata, ut in marſupio eadem nunquam non
geſtaret ſecum, imo & ſæpius oſcularetur. Venuſti ſunt non
parum verſus, qui Pariſiis Horologio Palatii adſcripti ſunt: 31.

Digitized by Google

Machina, quæ bis ſex tam juſte dividit horas,
Juſtitiam ſervare monet legesque tueri.

Itemque alius, qui in Horologio magnæ Aulæ legitur:

Sacra Themis mores, ut pendula dirigit horas.

p. 70. Verſus habetur unus hexameter, qui octodecim conſtat vocabulis, & ita effertur.

Tu ergo age, abi, ægram adi anum, atram eme ovem, album ede ovum, ante agrum ubi hoc eſt.

88. Legitur teſtamentum lepidi cujusdum pictoris Batavi Heimskerkii, qui certam pecuniæ ſummam legavit, qua virgo aliqua natalis pagi quotannis elocaretur, ea addita lege, ut ſponſus cum ſponſa & convivis præſentibus in iſtis nuptiis ad tumulum ſuum ſaltarent.
107. Stephani Paſquierii hi ſunt verſus, quibus triplex Theodori Bezæ conjugium ſignavit:

Uxores ego tres vario ſum tempore nactus,
Cum Juvenis, tum Vir, factus & inde Senex.
Propter opus prima eſt validis mihi juncta ſub annis,
Altera propter opes, tertia propter opem.

115. Tiraquellus, quem doctus quidam vir alterum noſtri ſeculi Varronem nominavit, ſingulis annis librum edidit in publicam lucem, & unius ſimul infantis Pater extitit, triginta omnino numerans liberos.
125. Sixtus V Romanus Pontifex ſacro ablutus lavacro Felicis nomen reportavit, ſolebatque Monachus deinde jocans affirmare, non una felicitate baptiſmum ſuum notabilem fuiſſe redditum, quandoquidem & Parochum initiatorem & ſponſorem, qui in ſolennibus iſtis præſens fuerat, eodem nomine inſigniri contigerat.
191. Quidam JCtus Germaniæ Hieronymus Gerardus ita æſtimavit Brentii in Eſaiæ Vaticinium Commentationes, ut easdem non legeret modo aſſidue, verum ſecum etiam mortuo eodem condi vellet loculo,
201. Antonius Barberinus, Urbani VIII R. Pontificis frater, e Capucino Monacho factus Cardinalis a regula Ordinis ſui nunquam recedere, & moriens ſuo ſepulchro inſcribi voluit hæc verba:

Hic jacet umbra, cinis, nihil.

218. De verſione Curtii, quam Gallicam Vaugelaſius adornavit, dicere ſolebat Balzacius: Alexandrum Q. Curtii invincibilem at illum

illum Vaugelaſii eſſe inimitabilem. Paſquini effigies hac inſcriptione aliquando ornata fuit Romæ: p. 243.

Paſquinus eram; nunc lapis:
Forſan apis; quia pungo.
Dii tibi culeum, ſi ſpernis aculeum.
Etiam mellibus ungo; veritas dat favos.
Et felle purgo; ſi ſapis,
audi lapidem
magis lepidum quam lividum.
Fruere ſalibus, inſulſe,
ut bene ſapias.
Calcibus calceos olim aptavi,
nunc rectos pedibus greſſus inculco.
Abi in lapidicinam, ſi ſpernis lapidicinium.

Franciſcus Brianus, e gente Bolenia Eques apud Anglos, interrogatus aliquando ab Heinrico VIII Rege, qui cum uxore Thomæ Bolenii & filia rem habebat, an crimen adeo magnum nuncupari debeat, ſi cum matre quis & filia conſueſceret, ſubridens reſpondit, idem hoc eſſe ac ſi quis gallinam & pullum gallinaceum una devoraret; cumque Rex deinde captus hac bella reſponſione, in qua vocibus *La Poule* & *le Poulet* ad illam gentilitiam *Boulen* aluſerat, ſe Vicarium Brianum in inferno habiturum dixiſſet, Vicarii infernalis nomine cœpit appellari. Sufficiat hæc ſelegiſſe e copia non vulgari judiciorum juxta atque jucundarum etiam oppido narrationum, quas legere haud paulo nobis foret acceptius, ſi, de quibus potiſſimum ſermo fit, rectius utique conſtaret, neque initialibus literis ſaltem ſignare eorum placuiſſet nomina, quorum vitæ ratio & fata paſſim memorantur. p. 262.

DIALECTICA S. SCRIPTURÆ TESTIMOniis ac SS. Patrum doctrinis illuſtrata; Autore F. JOSEPH PERGOLINO, Montenovenſi, Minorum Conventualium Sancti Franciſci, Sac. Theologiæ Magiſtro.

Romæ,

Digitized by Google

Romæ, typis Bernabo, 1707, 4.
Alphab. 3 plag. 17½.

Doctiſſimus Autor cum judicaret, Dialecticam inter eas artes, quæ a ſuo perfectionis ſtatu defecerunt, referendam eſſe, multaque in eadem neceſſaria omitti, e contrario plurima aliena ac inutilia, quæ non ſine maximo diſcentium quoque detrimento cognoſcuntur, majorem illius partem occupare, novam hancce Dialecticam edere, & in illa obſcuris lucem affundere, multa obſoleta, quorum nec nomen quidem in ſcholis remanſit, excitare, & cuncta, quæ ab aliis accepit, novis ac utilibus animadverſionibus adaugere, ac inſuper Scripturæ ſacræ & Patrum doctrinis illuſtrare conatus fuit. Placuit autem ipſi in hoc opere Dialectico Ariſtotelem ſequi, quia is Logicam non quæſtionibus onuſtam, ſed præceptis ac documentis inſtructam reliquerit. Interim tamen eorum, quæ ab Ariſtotele neglecta & a recentioribus demum Dialecticis tradita ſunt, mentionem facere non intermiſit. Sic v. g. Libro primo cap. 19 & 20 de ſuppoſitione illiusque variis ſpeciebus, & cap. 21 de aliis terminorum proprietatibus agit, atque ſtatum *Gal. I, 8*; ampliationem *Matth. XXVIII, 20, Pſalm. XIX, 5, Rom. X, 18* & *VIII, 30*; diſtractionem *Matth. XI, 5, Judic. XIV, 14, Tit. III, 5, Job. XV, 15*; reſtrictionem, & quidem implicitam, *1 Tim. V, 20, Job. VII, 39*; diminutionem *2 Cor. VI, 9, Luc. XXII, 52*; alienationem *Exod. XXXII, 8*; appellationem *1 Sam. III, 20, 1 Cor. XV, 53, Deut. XXIIX, 65, Eccleſiaſtici XII, 4*; declarare ſtudet. Totum opus in ſex Libros, quorum I de Terminis, II de Propoſitione, III de Syllogiſmo demonſtrativo, V de Syllogiſmo dialectico, VI de Syllogiſmo ſophiſtico agit, diſpeſcitur, atque duplici Indice gaudet, quorum prior, qui eſt capitum, præmittitur, poſterior autem, qui res notabiles exhibet, ſub finem apparet.

ERRATA M. MAJI.

Pag. 215 lin. 23 poſt *movendum* dele: *tamen ineptum illud ad movendum*; lin. 24 poſt *debet* adde: *ad movendum tamen ineptum*; pag. 244 lin. 18 lege *Gorczynski*.

N. X.

ACTA ERUDITORUM,

publicata Lipſiæ

Calendis Octobris, Anno M DCC X.

NOVUM TESTAMENTUM CUM LECTIOnibus variantibus, Locis parallelis & Prolegomenis, ſtudio JOANNIS MILLII, *S. T. P. recenſitum, melius diſpoſitum, & locupletatum a* LUDOLPHO KUSTERO.

Amſtelodami, & proſtat Lipſiæ apud Joh. Frid. Gleditſchium, & Fil. 1710, fol. Alph. 8.

CUm dignitatem Milliani Operis immortalem jam A. 1708 p. 1 ſeqq. ſatis deprædicaverimus, nihil nunc nobis incumbet aliud, quam ut Editionis hujus præ prima prærogativam illuſtremus. Et *Cl.* quidem *Küſterus* tam celebre hactenus nomen ſibi peperit, tantam lucubrationum ſuarum cupiditatem injecit eruditis, ut vel ex frontiſpicio nihil non præclari liceat exſpectare. Attamen ne vaga nimis ſit iſta exſpectatio, ipſius Viri Celeb. *Præfationem* ſequentes, ſuis eam terminis conſtituemus. In hac primo ſtatim loco, *dari variantes N. T. Lectiones, neque, cum dentur, quicquam inde dogmatum noſtrorum certitudini, decedere,* monſtrat. Quæ res cum omnibus, qui ſapiunt aliquid, extra dubium debeat eſſe poſita, parum nos morabitur, cui propterea nec ipſe Küſterus laborioſe nimis inhærere voluit. Disquirendum ille putavit potius, *quæ ſit Lectionum iſtarum natura, quæ differentia. Quatuor* illarum ſtatuit *genera,* 1 *falſo ita dictarum,* 2 *dubiarum,* 3 *verarum quidem, ſed nullius momenti,* 4 *verarum & alicujus vel magni momenti.* Inter *falſas* refert certas Textus depravationes, quæ produnt ſe, cum faciunt lectiones contradictorias & abſurdas, vel cum Codicem, cujus ſunt variantes lectiones, conſtat ex

Digitized by Google

alio aliquo deſcriptum, qui diſcrepantias iſtas non agnoſcit. Huc pertinent præter menda typographica iſtæ quoque Lectionum varietates, quæ ex citationibus memoriter factis ſunt ortæ, item cum diverſa ratione vox eadem ſcribitur, cum utraque tamen apud Librarios obtinuerit, ut ἰϱήνη pro εἰϱήνη, niſi tamen utro modo vocabulum ſit ſcriptum, æque commodus gignatur ſenſus, ut 1 Joh. IV, 2 ex γινώσκετε & γινώσκεται. Sequuntur lectiones *dubiæ*, quæ ſunt Küſtero iſtæ Patrum citationes, de quibus liquido non conſtat, utrum codicis alicujus autoritate, vel memoria tantum ſuggerente ſint factæ. Scilicet cum hoc ſit certum, allegare Patres ſæpius S. Sripturæ textu non inſpecto, videndum, an lectio nuſpiam alibi, neque in Codd. MSS, neque in verſionibus antiquis, nec apud ullum alium ſcriptorem Eccleſiaſticum, vel apud ipſum etiam, qui citat, aliis in locis occurrat, vel an apud aliquos quidem Patres inveniatur, licet MSti vel verſionis antiquæ ſuffragio non ſit munita. Sin illud, falſam, ſin hoc, dubiam jubet judicari lectionem. Reſtant *veræ*, inter quas illæ *nullius* ſunt *momenti*, quæ nullam ſententiæ inferunt mutationem. Eas autem, quæ magis merentur reſpici, ſolertiſſime jam in Prolegomenis ſuis excuſſit *Millius*. Attamen, cum & aliqua diligentiam ipſius fugerint, nec dextre ſatis de omnibus putetur judicaſſe, circa 12 loca κϱίσιν ſuam in hac Præfatione *Küſterus* exercet. Duo nobis inde ſpeciminis loco ſufficiant. Circa Gal. IV, 25 vexatiſſimum eam tuetur ſententiam, quam *Cl. Bentlejus* in Epiſtola ad Millium Malalæ ſubjecta propoſuerat. Scilicet τὸ γὰϱ Ἄγαϱ, Σινᾶ ὄϱος ἐστιν ἐν τῇ Ἀϱαβίᾳ, per librarios e margine in textum tranſlata & omittenda penitus eſſe Noſter cenſet. Quid ſi vero unicam illam vocem Ἄγαϱ v. 25 vel ex antecedenti 24 vel ab imperiti Scholiaſtæ annotationibus irrepſiſſe dicamus, cum reliqua quidem non ſint ἀσύστατα cum ſequentibus? Apoſtolus ſcilicet, qui per Allegorias, hic cum Judæis loquens, partum Agaris τὴν ἀπὸ ὄϱους Σινᾶ διαθήκην ſignificaſſe dixerat v. 24, pergit nunc: *Sina enim mons eſt quidem in Arabia* (poterant enim Judæi objicere, quid Sina Arabiæ mons ad nos?) συστοιχεῖ δὲ, *convenit autem cum Hieroſolymis noſtris*, &c. Alter locus eſt 1 Petri II, 18, ubi pro σκολιοῖς, quod omnes hodie

die habent Codices, δυσκόλοις legendum cenſuit *Millius*, Vulgati ſolius autoritate, illam hujus interpretationem exiſtimans. Contra hæc *Küſterus* præter Codicum conſenſum id urget, quod vox ſignificationis certæ & claræ, qualis ſit δύσκολος, non ſoleat per aliam πολυσημοτέραν explicari, qualis σκολιὸς eſſe deprehendatur. Cum vero fuerint jam Viri docti, qui ad cenſuram Millianos labores revocaverint, *L' Enfant* ſcilicet in *Bibliotb. Selecta Clerici* T. XVI & XVIII & *Pfaffius* in peculiari diſſertatione, eo ipſo tamen Millii laudibus, quas infinitas meruerit, nihil decedere monet Küſterus, quin & aliquo in loco contra Cl. *L' Enfant* eundem defendit. Ea vero quæ præſtitit in hac Editione *Vir Celeb.* ad collationem præcipue duodecim Codicum, a Millio non viſorum, redit. Novem priorum e Bibliotheca Regis Chriſtianiſſimi per Illuſtriſſimos Abbates *Bignonium* & *Luvoeſium* (Louvois) facta ipſi fuit copia, inter quos nonus maxime notatu dignus, quippe qui cum ſit inſignis vetuſtatis, duplici conſtat ſcriptura, recentiori ſcilicet & vetuſtiori. Illa Ephræmi Opuſcula exhibet, vetus autem per recentiorem pene obliterata maximam N. T. partem ordine penitus confuſo, prout nempe diſſutum Codicem librarius, qui Ephræmi opuſculis illum deſtinaverat, rurſus conſuit; de quo vide Montfauconii Palæogr. L. III c. 3. Trium reliquorum unum *Seidelianum* a poſſeſſore Berolinenſi appellat, 700 annorum hunc (aliena tamen fide, cum ipſe non viderit) eſſe referens. Reliqui duo *Lipſienſes* ſunt, a Viris ſumme plurimumque Reverendis *Carpzovio Bærneroque* poſſeſſi, quorum luculentam deſcriptionem pro eorundem dignitate infra p. 436 ſuppeditamus. Iſtam Küſteri ſuſpicionem tacere non poſſumus, qua putat, in Britannia ſcriptum Codicem *Bærnerianum*, cum in verſione Latina Anglo-Saxonicas quasdam literas deprehenderit. Nec minus notari meretur obſervatio, quæ poſt perfectas jam in Textum notas videtur nata. Phil. III, 10, ubi eſt in Græco συμμορφούμενος Latinæ Codicis *Claromontani* & *Sangermanenſis* verſiones, *Lucifer* item *Calaritanus*, reddiderunt *cooneratus*, quod unde ſit, nemo, ne ipſe quidem Millius, ſcivit. In *Codice* autem *Bærneriano* invenit Küſterus ſcriptum συμφορτιζόμενος, quod

formari facile ex συμμορφιζόμενος, quomodo l. c. Codd. quidam legunt, poterat. Dubium hinc non eſſe putat, quin eodem errore plures fuerint inquinati Codices, in quos qui inciderint Latini, illis poſtea verſionem ſuam accommodarint. Præter has autem illorum Codicum collationes Lectorum conſulturus commodis Vir Cl. annotationes textui ſubjectas, continuo prius ordine impreſſas, pro verſuum in Sacro Textu numero diſtinxit, appendicem priori Editioni annexam ſuis locis inſeruit, loca ex Prolegomenis, inprimis ea, in quibus vel ſententiam ſuam corrigit Millius, vel aliquid dicit ante indictum, citavit, ipſa vero Prolegomena in Sectiones minores numeris ad marginem poſitis diviſit, ſua, quæ Millianis annotationibus addidit, his ſignis († †) incluſit. Unicum adhuc addimus, poſt Küſteri nempe Præfationem annecti *Clerici* Epiſtolam, quam olim *T. XVI Bibl. Select.* p. 311 inſeruit. In ea autem illud imprimis facit, ut loca quædam Novi Fœderis illuſtret critice, & lectiones varias ex *Optato Milevitano Methodioque*, a Millio prætermiſſas, recenſeat, quæ tamen, ut & ipſe Vir Celeb. fatetur, non ſunt magni momenti, & eo potius collecta videntur, ut de *Cypriani* & *Tertulliani* teſtimoniis circa 1 Joh. V, 7 quid ſentiat, poſſit inſinuare, quod factum jam olim, ſub *Critobuli Hieropolitoni* nominein, Epiſtola ad *Origenem Adamantium*, ad calcem defenſionis Judiciorum, quæ in Simonii Hiſtoriam Criticam tulerunt Theologi quidam Batavi, p. 442 ſqq. Ceterum cum Millianæ Editionis utilitatem agnoſcant omnes, neminem fore putamus, qui hujus noſtræ ἐξοχὴν non fateatur.

Η Καινὴ Διαθήκη δίγλωττος.

i. e.

NOVUM TESTAMENTUM GRÆCUM ET Græcobarbarum.

Halæ Saxonum, ex Typogr. Orphanotrophii, 1710, 12 ch. maj. Alphab. 2.

HAbes hic, Lector, de quo Anno 1708 p. 276 ſpem tibi fecimus, Novum Teſtamentum ἁπλῇ διαλέκτῳ in vicinia noſtra

Digitized by Google

noſtra editum.' Scilicet non hodie primum aut nudius tertius gentis Græcæ cognoſcimus neceſſitates, quæ quo duriori premitur jugo, promtioribus eo remediis ad conſervandum, quicquid adhuc eſt inter eos divinæ veritatis, habet opus. Ex ipſis hoc Græcis probe ſcivere *Maximus Calliopolita*, qui propterea A. 1638 Genevæ, & *Seraphimus*, qui A. 1703 Londini Novum Foedus conſueta nunc Græcis dialecto prodire curaverunt. Et ille quidem, originalem (quem vocant) Textum addiderat barbaro, hic ſolam ἁπλῆν ediderat. Cum autem e re Græcorum eſſe videretur, illo potiſſimum voluntatem Dei ſcriptam idiomate legere, quo primum nobis fuit tradita, prior autem Calliopolitæ Editio dudum facta ſit rariſſima, reſuſcitare hos labores in animum induxit Vir Plur. Rever. *Aug. Herm. Franckius*. Atq; hæc conſilia dum agitarentur, admirabilem ſe Numinis providentiam, ut in aliis, ſic hic quoque fuiſſe expertum teſtatur. Græcus ſcilicet aliquis, *Anaſtaſius Michael Macedo*, Conſtantinopoli Halam profectus eſt, ut illic cum Græcis aliis commoraretur. Ille itaq; traditum ſibi a *Franckio* Londinenſis Editionis exemplar correxit illo rogante, ſedulo, ſi quæ rectius poſſent exprimi, notans. Aliquandiu hoc exemplar aſſervatum eſt, & exſpectata occaſio, qua proſequi liceret inſtitutum, & quod potiſſimum intendebatur, in Græcorum, quibus mittenda erant, exemplaria uſum procudere. En vero novum providentiæ divinæ documentum, quæ dum incerta ſunt omnia, *Auguſtiſſimam Boruſſiæ Reginam* excitavit, ut munifice ſumtus Editioni ſuppeditaret, quo factum, ut & nitide prodierit, & magna exemplorum ligatorum copia Græcis rei tenuioris dono mitti potuerit. In hac, quod ad purum idioma, Leusdeniana Anni 1698 Editio fuit expreſſa, ſphalmatibus tamen magna cum cura ſublatis; in Metaphraſi orthographia, a Calliopolita & Seraphimo ſæpe neglecta, hic reſtituta, voces Turcicæ Italicæque rejectæ, & vel ἑλληνικαῖς vel ἁπλαῖς compenſatæ, lacunæ autem, quarum 27 in Londinenſi ſunt obſervatæ, in noſtra dicuntur expletæ, reſtitutis non vocibus ſolum ſingulis, ſed integris quandoque commatibus. Porro in Editione Calliopolitæ

politæ alia Textus editione Typographus, alia Metaphraſtes fuerat uſus,unde verſuum diviſiones utrinque ſibi non reſpondebant, quæ nunc Leusdenianis ſunt æquatæ, præterquam Joh. XIV, 12, 13 & Eph. II, 14, 15, quod cur factum ſit, illo quidem in loco eſt obſcurum,in hoc clariſſimum. Signa diſtinctionum,quæ in editionibus prioribus minus recte ſe habuerunt, Leusdenianæ vel aliis probatæ fidei ſunt accommodatæ. Præfixa eſt præfatio Græco-barbara *Cl. Heymanni*, Orientalium Linguarum in Academia Leidenſi Profeſſoris, quæ Sacræ Scripturæ dignitatem extollit. Denique *Appendicis* etiam fit mentio, quæ animadverſiones ad hanc Metaphraſin ex ejus relectione a *Liberio Colletti* Sacerdote Græco, qui Venetiis Halam divertit, factas,& Calendarium evolvendis Textibus, apud Græcos publice legi conſvetis, contineret. Hac tamen, quæ huc ſunt transmiſſa libri hujus exemplaria, quantum ſcimus, deſtituuntur omnia, ut adeo, num prodierit jam, an adhuc ſit ſperanda, dubitemus. Ceterum de Metaphraſeos hujus indole non eſt, ut aliquid addamus, quippe quæ dudum jam in manibus eruditorum atque judiciis verſatur. Quin potius Græcis, quorum & fortunas & cultus graviſſime conſtat opprimi, τὴν ἀπὸ τοῦ θεοῦ χαρὰν per pignus hoc ſui erga nos amoris, verbum ſcilicet ſcriptum,excitandam divinitus apprecamur.

BIBLIOTHECA SACRA, SEU SYLLABUS omnium ferme Sacræ Scripturæ Editionum ac Verſionum, per JACOBUM LE LONG, Pariſinum, Congregationis Oratorii Sacerdotem; recenſita de novo & aucta per CHRISTIANUM FRIDERICUM BOERNERUM, S. Th. D. & Humaniorum Literarum in Acad. Lipſ. Profeſſorem.

Lipſiæ, apud Joh. Lud. Gleditſchium & Maur. Georg. Weidmannum, 1709, 8.

Alph. 4 plag. 2.

CUm alias ad promovendam doctrinam plurimum confert exacta ſcriptorum de quovis argumento notitia, tum

Digitized by Google

tum Theologum maxime, quæ ſint & quales τῶν ὑγιαινόντων λόγων Editiones, noſſe decet. Ea propter fuerunt paſſim Viri tam pii quam eruditi, quos earum Catalogos texere non piguit. Licet ex illis nominare *Crowæum*, *Hartleium*, *Kortholtum*, *Simonium*, quorum, ut alios nunc taceamus, ab ipſo Autore factam legimus mentionem. Verum vel ordo vel numerus defuerunt aliis, qui partim ne ex inſtituto quidem id agunt; ut laudabilis adeo maximopere ſit induſtria Noſtri, qua reſtituere opus nunc jacens quaſi eſt aggreſſus. Hoc enim affirmare poſſumus & approbare cunctis, neminem eorum, qui ante Longum ſimile quid ſuſceperunt majus ad laborem ſtudium, neminem apparatum inſtructiorem attuliſſe. Is nempe 4317 Sacros Codices tam MStos quam impreſſos ſumma cum diligentia conquiſivit, & illis uſus ſubſidiis, quæ maxima Pariſienſes ſuppeditant Bibliothecæ, & celebriores per Europam aliæ, quarum vel per editos Catalogos accepit notitiam, vel ex Eruditorum ad ipſum Epiſtolis, ſimul & officinarum Catalogis conſultis. In *MStorum* autem ſelectu ita ſe geſſit, ut ex *Ebrais* & *Latinis* bonæ ſolum notæ Codices, & aliquid habentes peculiare, recenſeret, ex *Græcis* ob variarum Lectionum apparatum inde colligendum nullum prætermitteret, uti nec ex iis, qui *linguis vulgaribus* ſunt conditi, præter *Gallicos* quosdam ubivis obvios, nec aliud quid quam *Suiarti des Moulins* verſionem continentes. Ceterum cum de ordine, quo collectam copiam diſponeret, eſſet ſollicitus, præ Chronologico, quem Kortholtus ſecutus eſt poſt Simonium, cum eum magnis ob incertitudinem difficultatibus videret obnoxium, ſelegit alium, Editiones ſcilicet Scripturæ ſecundum varias, quibus comparuere, linguas collocandi. Quindecim capitibus abſolvitur tota tractatio, in varias rurſus ſectiones diviſis. C. 1 Biblia Polyglotta, c. 2 linguis Orientalibus ſcripta, non omiſſis Chaldaicis paraphraſibus, c. 3 Græca, c. 4 Latina, c. 5 Gallica, c. 6 Italica, c. 7 Hiſpanica, c. 8 Romanenſia, ut vocat, ſc. Pedemontana, Catalana, Rhætica, Valacha, c. 9 Germanica, quo Gothica quoque referuntur, c. 10 aliis idiomatibus e Teutonico derivatis ſcripta, Danica ſc. Suecica &c. c. 11 Slavica, c. 12 aliis linguis Europæis, Islandica ſc. Wallica &c.

exarata

Digitized by Google

exarata, c. 13 Americana denique recenſentur. Adduntur poſtremo c. 14, quod Harmonias Evangelicas ſecundum ordinem Autorum Alphabeticum, & c. 15, quod Concordantias & variarum lectionum Syllabos pro linguarum diverſitate exhibet. In ipſa Tractatione hunc ſervat ordinem, ut quædam de Idiomate, cujus vel MSta vel Editiones recenſet, præmittat, & quæ ad autorem vel tempus confectæ verſionis pertinent, diſcutiat. Dein MStos, & ultimo denique loco impreſſos Codices, pro temporum, quibus prodierunt, ordine recenſet. Præterea cum fert occaſio, MStis adhuc fictitias vel non perfectas ſed tentatas modo verſiones præmittit. Aſt ne Catalogi ſolum ſpeciem habeat hic labor, copioſe ſatis Criticas annotationes atque Hiſtoricas addidit, quæ vel ex MStorum conditione, quorum nonnunquam dantur ſpecimina, vel ex editorum præfationibus, vel ex Scriptoribus denique, qui dedita de hoc argumento egerunt opera, vel ad Autorem dederunt literas, ſunt depromtæ. *Leibnitius* hic, *Ottius*, *Renaldotus Abbas*, *Benzelius Upſalienſis Archiepiſcopus*, veniunt commemorandi. Criticorum noluit vulgarium ſequi lucubrationes, quare, quæ notantur Critica, *Simonio* potiſſimum accepta refert atque *Kortholto*, quorum hic quidem, quoad antiquas verſiones illius plerumque mentem expreſſiſſe dicitur, multa vero de Germanicis aliisque popularibus habere peculiaria. Parcior tamen in illis eſt notandis, quæ de *μεταφράσεσι τῶν* LXX & Vulgata dici poterant, cum in immenſam fere molem his de argumentis ſcripta creverint. Indicum denique loco, *Elenchus* primo *Chronologicus Bibliorum* ab A. 1457 ad 1709 *excuſorum* ſubjectus eſt, indicatis ſimul Bibliotheca, Scriptore, vel Catalogo, quodvis exemplar ſuppeditantibus, quarum etiam *Bibliothecarum Scriptorum* vel *Catalogorum* ante hunc Elenchum *Aphabetico ordine* facit *notitiam.* Sequitur *Delectus præcipuarum S. Scripturæ Editionum* alphabeticus, quem excipiunt, *ſeries Chronologica primarum S. Scripturæ totius in quavis lingua Editionum*, *Index Codd. MSS.* hic allegatorum, *Syſtema linguarum, in quas converſa eſt*, *Index verſionum Biblicarum Alphabeticus*, in quo ſubleſtæ fidei verſiones notantur aſteriſco; *Index* denique *Autorum*, qui vel verſiones, vel

Har-

Digitized by Google

Harmonias & Concordantias, vel variantium porro Lectionum
libros emiſerunt, ubi nomina ſcriptorum, cognomina, patriam,
religionis cultum, dignitatem, ætatem, mortisque tempus in-
venias notata. His explicatis illud nos effectum dediſſe con-
fidimus, ut plane cuivis, quomodo circa hanc Bibliothecam
Cl. Autor verſatus ſit, pateat. Attamen ut clarius, qualis inde
ſit exſpectanda utilitas, perſpiciatur, aliquot ex multis ſpecimi-
na pro more noſtro delibabimus. Mittimus autem hic ea
conſulto, quæ cum obſervari mereantur, ex libris tamen alias
impreſſis poſſunt hauriri, ſecuturi tantum illa, quorum extra
Longi hunc Tractatum fere non detur copia. Dixerat *Po-* P. I p. 46.
cockius in *Præf. ad var. Lect. Arab. T. VI Bibl. Polygl. Angl.*
de verſione quadam Arabica literis Hebraicis exarata & in Pen-
tateucho Polyglotta Conſtantinop. 1596 edita, *paſſim illam ſca-*
tere mendis, ob eorum, qui vocales appoſuerint Grammaticæ A-
rabicæ linguæque proprietati minus conſonas, imperitiam. Cor-
rigit hanc ſententiam *Renaldotus* in literis ad Autorem datis ob-
ſervans; *Characteribus Ebraicis Arabum puncta vocalia ex-*
primi non potuiſſe, exemplaris autem ejus punctationem habita
pronuntiationis ratione accuratam omnino eſſe, parique modo
Judæos in Perſicis ſuis translationibus, tam excuſis quam MStis.
egiſſe. Iſaacus Voſſius, quod notum eſt, ſtatuit, Biblia Ebræ
vocalibus additis primum Venetiis a Bombergio prodiiſſe
cujus prima Editio, ut monſtrat Autor p. 98 contra Buxtor-
fium, qui ad annum 1511, & Hodium, qui ad 1491 eam retulerat,
A. 1528 vidit lucem. Invenias autem, jam *A. 1488* Biblia p. 96
cum punctis, *Soncini*, Judæorum opera fuiſſe excuſa, quæ editio
latuit haud dubie Voſſium, ut & altera *Brixiæ A 1494* im-
preſſa in 8, *Gerſonis* cujusdam ſtudio, quam refert quidem No-
ſter, neque tamen quicquam, an punctis ſit inſtructa, addit. An- 97.
tiquiorem illam Romæ in Barberina Florentiæque in Medicea
conditam ipſe docet, hanc apud *Ezardum* patrem exſtitiſſe no-
vimus, cujus nunc ſine dubio filii eam poſſidebant In *Leidenſi*
præterea ac Oratorii Pariſienſis Bibliothecis eam haberi, per
Indicem apud Autorem patet: quod indicamus propterea, quo-
niam operæ pretium fore credimus, ſi conferantur invicem

hæc exemplaria, ut appareat, num tanta fuerit ante Bombergii Editiones inter Judæos de punctis controverſia, ut primus is litem diremiſſe, quod putat Voſſius, dici queat. Ad
p. 109. A. 1584 Biblia recenſet Ebraica, Antwerpiæ tum edita, quorum titulus, *acceſſiſſe huic Editioni libros Græce ſcriptos, quos Eccleſia orthodoxa, Hebræorum Canonem ſecuta, inter Apocryphos recenſeat*, monet. Quæ verba, dicit Noſter, a *Plantino* Pontificio ſcripta, in bonam partem, non juxta mentem Proteſtantium, intelligenda. Se certe aliud in Bibl. Reg. hujus Editionis exemplum vidiſſe, quod ſic concepta hæc verba habuerit: *Acceſſerunt & huic Editioni libri Græce ſcripti, qui vocantur apocryphi.* Quæ in re controverſa diverſitas num inde ſit, quod Proteſtantes (qui vocantur) eo tempore rerum Antwerpienſium fuerint potiti, alii conſiderabunt. Circa Syriacas
168. verſiones aliquot ſunt *Renaldoti* obſervata. *Simonium* notat falli, cum in antiquiſſimis exemplaribus & optimis puncta omnino credat abeſſe. Iniquior in hanc verſionem fuit *Iſ. Voſſius* Diſſ. de LXX Interpr. c. 28, qui quod hodie legitur exemplar, vix 5 aut 6 ſeculis eſſe dicit antiquius. Hunc quoque confutat doctiſſimus Abbas, quem & nulla Syriaci Idiomatis cognitione prodit imbutum, & falſum, cum aſſerat, loca, quæ ex Syro a patribus allegentur, plurimum ab hodierno diſcrepare. *Pocockius* in *præf. ad Comm. in Joelem*
171, 172. *Thomam* quendam *Heracleenſem* autorem Syriacæ verſionis alicujus fecerat. Id negat *Renaldotus*, nec aliud quid Thomam feciſſe ſcribit, præterquam quod in Ægyptiaco S. Antonii monaſterio Textum ſacrum cum antiquis Codicibus Græcis contulerit, ad quam correctam editionem Syri fere omnes ſua, præſertim Novi Teſtamenti, exemplaria formarint.
173. *Maſius* in *proœm. Comment. Bar Cepha de Paradiſo*, *Theodoro* cuidam *Syro* Veteris Teſtamenti in patriam linguam verſionem tribuerat. At errare Virum doctiſſimum monſtrat *Renaldotus*, cum iſte, quem nominet, non alius ſit, quam *Theodorus Mopſveſtenus*, *Interpres* dictus, non ob concinnatas verſiones, ſed ob commentarios in S. Scripturum elaboratos, quos Syriace ſcriptos prodiderunt Neſtoriani, alii contra per hujus ſectæ homines in Syriacum

riacum converſos affirmarunt. In *Actis* his noſtris A. 1698 p. 213.
M. Febr. p. 77 de Samaritica verſione Græca, *τοῦ Σαμαρειτικοῦ* nomine paſſim veniente, conjecturam Anonymi cujusdam retulimus, ſuſpicantis, ipſam Symmachi verſionem ſic appellari. Hujus Autorem Noſter Summe Rev. *Joh. Frid. Maierum* facit, cujus ex ſcriptis ſimile quid adducit, nos vero Celeb. *Fabricium* potius arbitramur, quod ex Bibl. Græc. III, 12 conjicimus; ſimul vero rejicit hanc opinionem ex *Procopii Gazæi* autoritate, qui ſub initium *Comment. in Deuteron.* Samariticum exemplar & Symmachi verſionem una eademque pagina alleget, adeoque diſtinguat. Adducit & *Morinum*, qui *Exerc. 3 in Pentat. Samarit.* p. 232 duplex diſcriminis inter Samariticum codicem & Symmachum proferat exemplum. Ipſe Longus aliam hic rationem ſequitur. *Autores Græci*, inquit, *linguam Ebraicam non callentes, quæ explicanda volebant, exquirebant a Samaritanis ipſis, v. g. erant Gazæ plurimi Samaritani, a quibus, quæ adduxit Procopius, diſcere potuit. Idem dicendum & de aliis ſcriptoribus, qui exemplaris Samaritici, non vero verſionis Samaritanorum loca proferunt.* Quæ verba declarant, eum per *exemplar Samariticum*, non *Græcum* aliquod, ſed ipſam *Samaritanam Pentateuchum* deſignare. *Walto-* 214.
nus in *prolegom. ad Bibl. Polygl. Arabicam verſionem duplicem* apud Orientales in uſu eſſe, *Alexandrinam* ſcilicet, & *Antiochenam*, Syriæ aſſeruerat, utramque ex LXX confectam. Verum ejus diſtinctionis apud Chriſtianos in Oriente vix ullam occurrere memoriam, opponit *Renaldotus*. *Alexandrinos* ſcilicet in ſacris Græca τῶν LXX μεταφράσει, Antiochenos uti Syriaca, illos privatim Arabicam legere ſecundum τοὺς LXX exaratam, hos ejusdem linguæ idioma Syriacum Textum & Hebraicum ſequens. Ceterum verſiones Arabicas, quæ totam contineant Scripturam, non ab eadem manu, ſed per Librarios collectas eſſe notat, qui diverſas ſæpe conjunxerint & valde interpolarint. Plura de verſionibus Arabicis obſervantur ab
eodem paulo inferius p. 219. Notandum quoq; ejusdem (quem 339.
primæ nominis literæ E. R. deſignant) de Vaticano Codice τῶν LXX effatum: *Illum codicem ſcilicet, in quo multa reperian-*

tur manu recentiore emendata, non eſſe adeo antiquum, nec bona
p. 534. *nota, cum erratum ſæpe fuerit ab antiquario. Duvallius*
T. XV Bibl. P P. Lugdun. p. 663 Lugdunenſem Eccleſiam, La-
tinam Bibliorum verſionem penitus a Vulgata diſcrepantem
habuiſſe ſeculo IX aſſeruerat, nixus teſtimoniis Scripturæ in li-
bro hujus Eccleſiæ adverſus Johannem Scotum allegatis. Iſtum
vero librum, cum & quoad MStum ejus codicem, & quoad va-
rias editiones, cum Vulgata conferret *Longus*, in omnibus fere
737. illi convenire, pauciſſimis exceptis, deprehendit. Non obſcura
eſt Librorum Sacrorum e Syriaco in Latinum ſermonem a *Ga-
briele Sionita* facta translatio, quam tamen ex Ebrææ linguæ
ignorantia & illius inde neglectu non nimis bonam apud No-
ſtrum judicat Vir doctiſſimus *Michael Lequien*. Iſta primæ partis
quædam ornamenta, jam ad ſecundam progrediamur.
P. II. Ab initio ſtatim multa curioſe de Gallicis interpretatio-
p. 17. nibus, variis earum additis ſpeciminibus, diſſerit, & *Antonii* qui-
dem *Verderii* παρόραμα notat inſigne, qui in Bibl. Gallica p.
979 *Gviarti* illius *Molinæi (des Moulins)* interpretationem Pe-
tro cuidam S. Petri Ariæ in Archiepiſcopatu Trevirenſi Deca-
no aſſignat, qui miſerit illam Guilielmo Silvanectenſi Archie-
piſcopo emendandam. Id Verderius autoritate codicis cujus-
dam, quem ipſe poſſidebat, affirmavit, cum res tamen ita ſe ha-
beat. *Petrus Comeſtor* Decanus Pariſienſis (non Arienſis) Hi-
ſtoriam ſcripſit ſcholaſticam, & Guilielmo Sennonenſi (non Sil-
vanectenſi) Archiepiſcopo miſit emendandam. Hanc Galli-
ce dein vertit, addito Textu Biblico, Guiartus ille deſignatus
Arienſis Decanus in Epiſcopatu Teruannenſi Belgico. Tempo-
19. re Caroli V Galliæ Regis *Radulphus de Praella* Scriptu-
ræ S. libros in vernaculum ſermonem transtulit, cujus verſio-
nis ſat jucundum ſpecimen apponendo Genes. c. 3 exhibet
Longus. Ejus inſtitutum tulit, ut ſenſum potius, quam poſſet,
optime, non tamen paraphraſten agendo, exprimeret, quam ut
verborum ordinem ſequeretur. Hinc ſynonymicas phraſes, quas
putavit, omiſit, ut in Protevangelio, quod ita reddit: *Etſi met-
terai ennemiſtie, entre toy & la femme, & ta ſemence & la ſi-
enne;* ultimorum verborum non habita ratione, quandoque ta-
men

Digitized by Google

men minutas etiam Textui annotationes inſerit, ut v. 21 ſqq. *Lors leur fiſt noſtre S. cottes de piaux de beſtes mortes pour leur montrer, quils eſtoient mortels*, & paulo poſt, *il fu mis hors de Paradis & fu translate en Hebron du coſte du champ Damaſcene &c.* Aliud alius Codicis ſpecimen ſcripti ante quingentos hos annos peritorum judicio refert inferius, quod itidem explicationes nonnunquam inſertas habet Textui. Antiquiſſima eſt dialectus & undecimi ſeculi plane referens indolem. En & explicationum & dialecti exemplum: 1 Sam. I, 9. *Vint ſen al tabernacle, truvad leveſche bely al entree, ki aſſis iert, quil as alanz e as venanz parole de ſalut muſtraſt.* Mittere poſſemus Gallicas Bibliorum verſiones, ni taceri nollemus eam quam *Michael de Marolles* A. 1671 erat publicaturus, impetrato jam Regis privilegio, libroque ad Levit. XXIII usque impreſſo. Interdicta enim mox fuit publicatio, quod ipſe quidem verſionis Autor in præf. ad Apocalypſin rhythmis Gallicis ab ipſo redditam refert, cauſam vero rei diſſimulat. Hæc autem ita ſe habuit. Adjecerat huic verſioni *Peirerius*, Præadamitarum ille propugnator, annotationes, quæ cum ad *Harlæum* Pariſienſem Achiepiſcopum deferrentur, is eas *Gvilielmo Martino* Calviniano primum poſt Pontificio dedit examinandas, qui cum peſſimis erroribus cenſeret refertas, per *Segvierium* Cancellarium prohiberi curavit editionem. Inter facetias, quibus Hiſtoriam Sixti V condiit *Gregorius Letus*, non minimam faciunt partem, quæ de Codice Sacro Pontificis hujus juſſu Italice procuſo refert. Et fuerunt omnino, quod fatetur *Longus*, *Viri magno ceteroquin judicio pollentes*, qui rem irridendis quippe Pontificiis comparatam procliviter crederent. Id factum miratur Autor, tum quod nemo mentionem Editionis hujus præter Letum faciat, qui tamen ipſe ferme falſa ſe potius & jucunda quam veritatem nudam dicere, fateatur, tum quod in Bibliothecis *Medicea*, *Laurentiana*, & *Ambroſiana* (quas Letus allegaverat,) nullum ejus exiſtat exemplar, quod faciat ſuſpicionem, ne in *Genevenſi* quidem, cujus nullam habet notitiam Noſter, quamq; ſimul cum prioribus Letus nominat, vel minimum hujus hiſtoriolæ dari documentum. Veneran-

p. 30.

56.

131.

dum eſt antiquitatis monumentum (ut ſaltum ad Gothica facere liceat) verſio quam *Ulphila* Valentis tempore condidit.
p. 171. De eo dum notat plurima Noſter, conſilium ſimul *Reverendiſſimi*, quem ſupra nominavimus, *Benzelii* patefacit, quod hic cum eo per literas communicavit, edendæ ſcilicet Latinæ hujus Codicis translationis, quam triennio fere jam habeat paratam, cui correctum exemplar Gothicum eſſet additurus, cum *Junius* veram Codicis lectionem vel oculorum imbecillitate vel tædio victus infinitis in locis non ſit aſſecutus. Paginam hujus codicis typis Gothicis recens fuſis expreſſam ad Longum tranſmiſit Præſul doctiſſimus, at num proditurus demum ipſe ſit, Benzelio, ut accepimus, A. 1709 die 17 Februarii Upſaliæ defuncto, dies docebit. De *Bibliis Germanicis*, & *Tigurinis* quidem maxime, dum agit Autor, ex *Ottii* literis vel diſſertatione potius MSta notat, *Anabaptiſtas hodiernos editionem Tigurinam A. 1531 & Froſchoverianas in genere etiam atque etiam maximopere deperire*, tum quod ſtylo veteri delectentur, tum quod loca quædam ibi habeantur, quæ ad errores ſuos ſiniſtre contorqueant. Igitur illos, rejecta A. 1667 editione cum aliis, Froſchoverianos codices magno redimere pretio, quin imo N. T.
262. Froſchoverianum A. 1531 editum Baſileæ A. 1687 recudi clam curaviſſe. Ab eodem Autore habet, quod Bernenſes incolæ verſione Piſcatoris, Tigurini propria, Baſileenſes & Scaphuſii Luthe-
336. ri translatione utantur. Eidem *Ottio* Bibliopola Tigurinus αὐτόπτης rei teſtis retulit, *Athiam Judæum* Amſtelodamenſem Typographum *Anglica* ſumtibus ingentibus edidiſſe *Biblia*, quo anno vel qua forma incertum.

Sic noſtro hos labore defunctos credere poſſemus, ſi Pariſienſis ſolum editionis A. 1709 procuratæ reddenda foret ratio. Verum haud ſunt tacenda, quæ Summe Rev. *Börnerus*, Collega noſter honoratiſſimus, in hanc noſtram contulit. Is nempe relegendo, caſtigando, ſupplendo, addenda locis ſuis inſerendo, & in omnibus his infinitas devorando moleſtias, id fecit, ut novus optimo jure liber videri queat. Quanquam tantum abeſt ut aliquam inde gloriam ambiat, ut fateatur potius lubens & queratur, non omnibus modis abſolutam hanc eſſe Editionem, nec

ab

Digitized by Google

ab erroribus omnino vacuam. Quippe per ſex hebdomadum anguſtum ſatis ſpatium præcipitandus ipſi labor omnis fuit, inſtante nimis & opus urgente Bibliopola. Interim ſi tempus hoc cum iis compares quæ præſtitit, ſummæ tamen ipſum manebunt laudes tanquam fructus utilitatis publicæ promotæ in illum redundaturæ. Æqui ſint rerum æſtimatores oportet, qui hoc dijudicent, quibus ſe ſuaque ſcripta lubenter Summe Rev. Editor committet. Captatores enim cenſurarum & quibus non datum eſt rerum cognoſcere cauſas, proprio patietur ſenſu abundare. Attamen, ut & horum eludantur, ſi qui forte fuerint, conatus, & bonorum excitetur favor, ex additionibus, quibus Syllabum hunc auxit, quædam proferemus.

Inter primæ Parti addita notatuque maxime digna primum ordine locum ſortitur, *Syriaci Evangeliorum Codicis*, quem Altorfina poſſidet Academia, deſcriptio, ex Summe Rev. *Sontagii* literis huc ante aliquod tempus ſcriptis petita. *Eſt ſcilicet manuſcriptus in Palimpſeſto ſub forma 4 minuſcula. Character translationis duplex eſt, vetuſtior atque recentior. Ille pertingit inde usque a Matthæi initio ad cap. XI Joh. v. 48. Hic ſerie non interrupta pergit. Ille eſt ut plurimum ferè Eſtrangelus, cujusmodi olim ſolis ſacerdotibus & doctoribus proprius fuit. Hic autem vulgaris ſeu communis, qui ad finem usque Johannis Evangeliſtæ protenditur.* In *Senatoria*, quæ hic eſt, *Bibliotheca* duo ſunt *Ebræi Codices* inter *Wagenſeilianos* in eam delati. Primus *Pentateuchum*, *libellum Ruth*, *Threnos*, *Canticum* & *Eſthera* initium continet. *Membranaceus* eſt, quo nullum antiquiorem in catalogo ſuorum MSS. ſe vidiſſe Wagenſeilius ipſe teſtatur, quippe qui *ſexcentorum amplius annorum* agat ætatem. A Metenſibus illum Judæis acceperat, qui a R. Salomone Jarchi factum aſſeruerunt, quod minime credit Vir doctiſſimus, quanquam ejus ævo paratum haud ambigat. Sacro textui puncta & accentus literisque Begadkephat lineola Raphe adjiciuntur. In lateribus per Pentateuchum Targum utrumque, Onkeloſi ſc. & Hieroſolymitanum, ubi multa in excuſis libris omiſſa habentur, comparent. Cæteri libri R. Salomonem tantum habent additum. In parte

Ad p. 188. in Addend. p. 759.

p. 300. ſqq.

te

te inferiore paginæ cuique Paraſchæ conveniens Haphtara, & ipſa R. Salomonis commentario inſtructa ſubditur. Solius Deuteronomii capita 4 priora etiam utraque Maſora gaudent, parva in latere, magna in ſuprema ora ſe exhibet. Incipit Codex a Gen. I, 21; nimio namque ſenio & maligna Judæorum cuſtodia vitium quandoque contraxiſſe dicitur. *Alter Codex in minore folio membranaceus eſt, vetus, integer, pulcherrimusque.* Comprehendit Pentateuchum cum ſuis Haphtarot, libellum Ruth, Canticum, Eccleſiaſten, Threnos, libellum Eſther, Pſalmos, Proverbia, Jobum, quibus omnibus præter puncta & accentus Maſora utraque adjicitur. Inter multa, quæ habet hic Codex, ſingularia & ab Occidentalibus diverſa, notandum, nullam in Pentateucho majorum ſive minorum Sectionum, per Pe vel Samech, fieri diſtinctionem; qvorundam librorum primas literas aut integras initiales voces auro coruſcare. Totum Pſalterium, Proverbia & Jobum initio hujus & fine, quæ liquido ſunt proſaica, exceptis, ita ſcripta eſſe, prout metra exprimuntur. Accedit in fine hiſtoria Maccabæorum fratrum, quæ מגלת אנטיוכס dicitur, ſermone Chaldaico, quo nondum publice exſtat. Quæ Codicum deſcriptio ex Wagenſeilii Catalogo MSS. quem ipſe confecerat, hic exhibetur. De alio *Parilopomenon Græco*, qui *Cantabrigiæ* ſer-
p. 353. vatur, notat *Vir Summe Rev.* eum non ut *Waltonus* putarit, ante 1000 annos eſſe ſcriptum, ſiquidem IX demum ſeculo literas colligandi pluresque uno ductu exarandi conſuetudo fuerit invecta. Ita ſcriptum Codicem, nec ullum Theodori Cantuarienſis Archiepiſcopi, qui Sec. III floruit, cujusque fuiſſe perhibetur, exſtare in illo indicium, ipſe cum Codicem inſpiceret, obſervavit. Nec tacendi ſunt inſignes duo Codices Græci, quorum alterum *Bœrnerus* ipſe, *Carpzovius* Eccleſia-
p. 389. ſtes Lipſienſis, Collega noſter honoratiſſimus, alterum poſſidet. Hic *Evangeliorum* eſt membranaceus, elegantiſſimus ſeculo X ſcriptus. Singulis Evangeliis præmittuntur κεφάλαια tum & imagines Evangeliſtarum, peritiſſime in fundo aureo depictæ. Prima folia rubro charactere ac deaurato ſcripta formam crucis referunt, totusque liber paſſim majuſculis aureis rubriſce literis eſt exornatus. Capita rerum in Evangeliis tractatarum

per

Digitized by Google

per textum in ſumma vel ima pagina notantur. Alter Codex *Epiſtolas Paulinas* continet. Membranaceus eſt, literis quadratis absque accentibus & diſtinctionum notis, ante ſeculum VII ſcriptus. Verſionem Latinam interlinearem habet Græco textui exactiſſime reſpondentem, omnesque literas illius & apices exprimentem. Idem de hoc Codice ſtatuendum cenſet Vir Summe Rev. quod Millius ſtatuit de *Claromontano*, *Cantabrigienſi* & *Sangermanenſi*, itemque *Bodlejano*; eſſe ſcilicet eum e libris Græco-Latinis in Occidentalium gratiam exaratis, & verſionem Italam ante Hieronymi tempora factam. Parte ſecunda notatu ſunt digniſſima, quibus *Longi* de *Bibliis Germanicis* commentatio adaugetur. Afferuntur ſpecimina Codicum *Pſalterii*, & *Evangeliorum*, quos *Bibliotheca*, quæ apud nos eſt, *Paulina* ſervat. Ille ætatis incertæ eſt Latino-Germanicus, ſic ut alternis vicibus verſuum hæc idiomata ſibi jungantur. Hic Seculi XIV Germanicus eſt tantum, & ut ex principio Evangelii, quod affertur pro ſpecimine, patet, Græcum textum ſequitur accurate, in verborum ordine raro quid mutans. v. g. verba, ἐγένετο ἐν ταῖς ἡμέραις &c. ita vertit: Ez was in den Tagen Herodis des Kuniges ein Prieſter in Judea. Ut adeo comma quod nos (& recte quidem) poſt Ἰουδαίας ponimus, verſionis autor Matthias de Beheim poſt βασιλέως collocarit. Ἐξ ἐφημερίας Ἀβιά, vertit: von Abyas Zeche. Simili modo paulo poſt aliquot ex Editione Bibliorum prima, quæ putatur, A. 1467, & cujus duo apud nos in Senatoria Bibilotheca ſervantur exempla, verſionis adducit documenta. Pſalmus II hic ita incipit: Worum grüsgrammten die Heyden / und die Volck betrachten in üppig. In primis obſervari merentur, quæ de *Sauberti* verſione Germanica narrantur, quam *Auguſti Brunſvicenſis* juſſu concinnabat, quamque Princeps is jam adusq; 1 Sam. XVII excudi curaverat, cum diem obiret ſupremum, ex quo jacuit, ipſo Sauberto negotii, quod invitus ſuſceperat, continuationem diſſuadente. Sunt apud Bœrnerum XXV priora Geneſeos capita MSta, quæ *Divus Auguſtus* ſpeciminis loco transmiſit *B. Geiero*, ut judicium ejus experiretur, una cum *Geieri* & *Conringii* hac de re mutuis epiſtolis. Exſcribi hinc C. 9 curavit, unde patet ſæpe, hanc ver-

p. 399.
181, 183.
222 ſq.

Digitized by Google

ſionem Lutheri traductioni convenire, ſæpius longe ſatis ab illa recedere. Annotationes quoq; cum novis (quæ vocant) ſummariis adduntur, atq; illæ textui ſunt ſubjectæ, prodentes maximam partem Autoris in Rabbinos eorumque expoſitiones ſtudium. Sic v. 1 vertit: Ich habe bekommen einen Mann durch den HErrn; v. 5 Und ſein Angeſicht verfiel; v. 7 Iſts nicht ſo / du mögeſt gleich was gutes opffern oder nicht / ſo liegeſt du an der Thür der Sünde? wiewol jenes (ſc. Abelis) ſeine Begierde zu dir ſtehet / ſo wilt du doch über ihn herrſchen. Abſolvimus ita, quæ propoſueramus, dum id, ut videtur, effecimus, ut quivis dignitatem libri & utilitatem facili negotio cognoſcat. Nobis certe ſalivam movit, ut exſpectemus avide, donec cum Parte ſecunda *Commentatorum Bibliothecam* repræſentaturam, hunc quoque Tomum novis augendum acceſſionibus emittat in lucem Autor doctiſſimus. In novo autem Tomo retulit omnes, cujuscunque ætatis, religionis, conditionis, populi homines, qui, quacunque ſcripſerint lingua, in S. Scripturam aliquid ſunt commentati, ſive per juſta factum ſit illud volumina, ſive per breviores in ſingula loca diſſertationes. Ordine Alphabetico diſpoſuit autores, adjectis omnibus illorum in ſacros libros lucubrationibus, quas ipſas poſtmodum etiam autorum additis nominibus ſecundum librorum in S. Codice ordinem collocavit. Hæc omnia ex ipſius *Longi* literis, felicem operi & ſubitum optantes ſucceſſum, ita retulimus.

RECUEIL DES ORDONNANCES, MANdemens & Cenſures de M. l' Evêque d' Arras.

hoc eſt,

COLLECTIO CONSTITUTIONUM, MANdatorum & Cenſurarum Epiſcopi Atrebatenſis.

Atrebati, apud Cæſarem Duchamp, 1710, 8.

Alph. 1.

PRæſens opuſculum quamvis mole ſit exiguum, tamen memoratu digna continet tam multa, ut Lectori gratum nos facturos

ċturos ſperemus, ſi paulo diligentius atque copioſius varia & curioſa ejus argumenta percenſuerimus. Comprehendit Illuſtriſſimi & Reverendiſſimi Epiſcopi Atrebatenſis, Dn. Guidonis de Seve de Rochechouart, Edićta & ſtatuta Epiſcopalia, cujus ſedulitas & diligentia in munere tam arduo hinc elucet clariſſime. Uti vero e vetuſtis Conciliorum canonibus perverſos id temporis mores Clericorum Laicorumque perſpicere licet, quippe ad quos emendandos tot leges in iis ſunt promulgatæ: ita ex præſenti libello idem colligere poſſumus, cum id ſibi negotii datum eſſe credat laudatus Epiſcopus, ut quavis ratione ſanet enormia Eccleſiæ ſuæ vulnera. Unde ſtatim pag. 1 usque ad p. 24 exhibetur Conſtitutio Anno 1675 facta, & A. 1678 repetita, de inſtauranda diſciplina eccleſiaſtica, tollendisque quibusdam abuſibus. Judicat enim pag. 2 & 106, a reformatione Cleri pendere reformationem populi; graviterque dolet p. 16 & 106, permultos Sacerdotes haudquaquam agere vitam ſuo munere dignam, ſed prorſus Laicam, quaque demonſtrent, ſe non ſolum non eſſe Chriſtianos, ſed ne homines quidem ratione præditos: quid? quod p. 17 ait, pravos ſacerdotum mores belli divinitus immiſſi cauſam ſibi videri. Laudabiliter etiam p. 14 & 112 Sacerdotes admonet, præcipuum ipſorum munus in docendo ac prædicando verbo divino verſari. Quam vero corrupti ſint multorum in diœceſi ipſius Clericorum mores, ex eo apparet, quod p. 17 & 55 vetat, eos ſecum habere mulieres vel ancillas ſuſpećtas, & p. 38 & 73 diſerte præſcribit, ne ſecum habeant fœminas XL annis minores. Quos & p. 23 ita affatur: *Studete caſte, ſanćte & religioſe vivere.* Etiam p. 51 atque 90 ſequentem canonem ſtatuit: *Nullus Confeſſarius poterit complicem ſuam in quolibet peccato mortali, contra caſtitatem exterius commiſſo, valide abſolvere a dićto peccato, niſi in mortis articulo.* Contra eorundem ſuperſtitionem pugnat, cum p. 21 prohibet abuſum exorcismi, ne ſcilicet eum adhibeant in rebus frivolis, vel ſuperſtitioſe certo tempore, nempe in novilunio. Pag. 58 Clericis interdicit ſaltationibus. Pag. 24, 37, 50, 54 & 107 prohibentur Clerici edendi potandique cauſa cauponas intrare. Pag. 38

Digitized by Google

ludere iidem prohibentur, maxime cum ruſticis, in loco publico. P. 39 jubentur libros ſtudioſe lectitare ad eruditionem ac pietatem facientes. Iisdem p. 43, 112 & 116 præcipitur, ut catecheſes diligenter inſtituant, nec quenquam benedictione nuptiali impertiantur, niſi qui promte poſſit de præcipuis religionis dogmatibus reſpondere. P. 109 interdicitur Clericis uſus capillamentorum, niſi impetrata fuerit ab Epiſcopo ea geſtandi libertas poſt demonſtratam a Clerico neceſſitatem. P. 118 ſq. prohibentur monachi ſuis egredi monaſteriis vanitatis ſtudio. P. 87 habetur iſte canon: *Confeſſarii mulierum confeſſiones non niſi in loco conſpicuo audiant, &, ſi tenebræ ſint, admoto lumine & a latere tantum & crate interpoſito.* P. 89 memorabiles exſtant canones ſequentes: *Ea pœnitentibus injungant, quibus ſperare poſſint a ſuis peccatis retrahendos: ſuperbos opera quædam humilitatis exercere, eleemoſynam avaros facere, ebrioſos popinas non ingredi, &c. præcipiant. Uno verbo, contraria, quantum poterunt, peccatis applicent medicamenta. Pœnitentibus rite diſpoſitis beneficium abſolutionis impendant, denegent indiſpoſitis: de quorum vero debita diſpoſitione dubitant, aut incerti ſunt, illos abſolvere non licet, ſed tunc differenda eſt abſolutio.* P. 86 exſtat mandatum A. 1695 datum, quo omnes, qui ad munus eccleſiaſticum adſpirant, jubentur poſt abſoluta in Academia Duacenſi ſtudia ſe conferre in Seminarium Tornacenſe. Et p. 102 exhibetur Statutum de condendo in urbe Atrebatenſi Seminario eccleſiaſtico. P. 121 ſq. legitur Epiſtola a Nuntio Apoſtolico juſſu Urbani VIII P. M. A. 1635 ad Epiſcopos miſſa, qua Epiſcopi jubentur providere, ut impudens & ſcandaloſus fœminarum habitus abrogetur, quo contra Apoſtoli mandatum ſe denudant ac ſumma pectoris conſpicienda præbent, faciemque conſpergunt emplaſtris, quæ Gallis *les mouches* vocantur, atque eo habitu ad Pœnitentiam accedunt & Sacramentum Cœnæ. Arceri proinde jubentur ejusmodi fœminæ a Pœnitentia & S. Cœna, prætereaque Sacerdotes pro cathedra graviter invehi in turpem illum & laſcivum fœminarum habitum. In eandem ſententiam Edictum Innocentii XI Pontificis Maximi, A. 1683 publicatum, ſequitur p. 123, in quo additur, fœminas, quæ facta ter admonitione non

ſint

Digitized by Google

ſint huic legi parituræ, excommunicationis reas fore, a nemine niſi ab ipſo Papa abſolvendas, excepto mortis articulo. Ejusdem argumenti Mandatum ab Epiſcopo Atrebatenſi A. 1708 factum exhibetur p. 52. P. II, p. 34 exſtat mandatum ejusdem Epiſcopi A. 1685 editum, quo prohibentur Comœdiæ, maxime tempore Adventus & Quadrageſim. tanquam reliquiæ Paganiſmi ſemper ab Eccleſia damnatæ: jubenturque comœdi arceri a S. Cœna, donec hoc vitæ genus miſſum fecerint. P. 37 exſtat ejusdem A. 1698 datum de Tragœdiis Scholaſticis mandatum, refelliturque prætextus, quod hoc modo adoleſcentibus timiditas depellatur. Nimirum putat Epiſcopus, utiliora hanc in rem adhiberi poſſe, cum & Magiſtri componendo tragœdias & diſcipuli ediſcendo nimium temporis perdant: multosque addit animoſos Concionatores & Cauſarum patronos nunquam in theatro comparuiſſe in adoleſcentia ſua. Laudat ſimul regulas Societatis Jeſu, *quod Tragœdiæ non ſint habendæ, niſi Latino ſermone, idque de ſancto argumento, nec introducta perſona ſexus ſequioris, ac denique rarius.* Ait quoque, Magiſtris potius curæ eſſe debere, ut diſcipuli fiant boni Chriſtiani, quam ut boni actores. Hinc ſimpliciter prohibet actionem Tragœdiarum in locis ſacris, eamque vocat abominationem in loco ſancto. Tandem vero uſum Tragœdiarum Rectoribus Collegiorum concedit ſub certis conditionibus. In fine addit, multis hoc mandatum diſpliciturum eſſe: ſed, *ſi*, inquit, *hominibus placerem, Chriſti ſervus non eſſem.* P. 43 ſeq. afferuntur rationes viginti tres, quæ valeant ad Comœdias prorſus damnandas. Graviſſimis quoque rationibus & verbis ad animos legentium vehementer commovendos aptis refertum eſt ejusdem mandatum A. 1695 conceptum, quo choreæ (*les Bals*) plane prohibentur. P. 56 ſqq. exhibetur mandatum A. 1697 publicatum, de quatuor propoſitionibus *a Delcurtio*, Theologiæ Profeſſore & Seminarii Duacenſis Præſide, A. 1696 publice diſputatis, quibus hic obviam iturus Janſenianis ſtatuerat, non eſſe revelatum, quis ſit ſenſus Scripturæ Sacræ, traditionum, ſymbolorum fidei, & canonum conciliorum. Cum enim hæ propoſitiones peſſimum præ ſe ferant ſenſum, bono licet conſilio ab Autore prolatæ, adeoque ſcanda-

Digitized by Google

lum præbeant, Delcurtius ab Epiſcopo admonitus eas retracta-vit contrariumque ſtatuit. Unde Epiſcopus prohibet, ne quis illas theſes defendat. P. 67 narratur, Jeſuitam quendam Atrebatenſem, *Michaelem Belangerum*, pro concione invectum eſſe in frequentem Sacræ Cœnæ uſum, nec voluiſſe ab Epiſcopo monitum mentem mutare. Quapropter Epiſcopus ipſi concionibus publice habendis interdixit, Monitaque publicavit A. 1685, Cœna Sacra uſuris obſervanda, p. 69 ſqq. P. 91 exſtat Edictum, quo prohibentur Sacerdotes in popinas ire potandi ludendique cauſa. Inprimis in hoc opuſculo memorabiles occurrunt Cenſuræ quædam librorum, pravis dogmatibus infectorum. Sic p. 119 edita A. 1665 cenſura damnantur VII propoſitiones de Pœnitentia, quibus quidam, cujus nomen ſupprimitur, Confesſarius impoſuerat neceſſitatem, nimis liberaliter, injuſte ac temerarie pœnitentes abſolvendi. P. 125 ſeqq. exhibetur Cenſura ſeptem propoſitionum, quas Concionator quidam A. 1697 protulerat, docens, Scapulare qui geſtent in honorem Mariæ ſemper virginis, eos habere certum τεκμήριον ſuæ prædeſtinationis æternæque ſalutis, ita ut non poſſit ejusmodi homo damnari. Hæ igitur propoſitiones damnantur tanquam falſæ, ſcandaloſæ, & aptæ cum ad homines in peccando ſecuros reddendos, tum ad cultum Mariæ hæreticis ridiculum & blasphemum repræſentandum. P. 140 ſqq. exſtat Cenſura A. 1702 facta libri hoc titulo editi: *Le Confeſſeur charitable*. Ex hoc repetuntur & damnantur ſequentes theſes: (1) Utile eſt, multum peccaſſe, quia ita poſt actam pœnitentiam augeſcit divina gratia. (2) Qui in pœnitentia ne attritionem quidem ſentit, ei ad conſequendam criminum veniam ſufficit, ſi modo doleat, quod non doleat. (3) Murmuratio contra Deum in calamitatibus non eſt peccatum. (4) Poteſt quis ſalvari æternum, licet paulo ante mortem non ſenſerit contritionem aut amorem Dei: modo antea aliquando in vita ſua de Chriſto cogitaverit, & in ejus nomine aliquid boni operis fecerit. (5) Si quis moriturus non poteſt cœlum intrare per meritum Chriſti, intrare illud poteſt per preces Mariæ, matris ejus. (6) Qui Mariam coluit in vita ſua, is damnari nequit. (7) Qui ita

ita orat ſæpius: *Mi Jeſu, per amaritudinem, quam pro me in cruce ſuſtinuiſti, maxime cum anima tua exceſſit corpore, miſerere miſeræ meæ animæ, quando & ipſa diſcedit ex corpore;* is poteſt Paradiſum intrare non ingreſſus prius ignem purgatorium. Pag. 148 alia Cenſura A. 1703 edita damnantur ex *Joh. Baptiſtæ Tabernæ*, Societatis Jeſu Theologi, *Synopſi Theologiæ practicæ* XIII propoſitiones, ex quarum numero ſequentes dabimus: 3. Peccatum non eſt mortale, niſi ſit perfecte voluntarium: non poteſt autem dici perfecte voluntarium, niſi adſit plena advertentia ad ejus malitiam. 7. Si injuſte invaſus ſit vir militaris, cui fuga eſt ignominioſa, non tenetur fugere, ſi poſſit, potius quam invaſorem occidere. 8. Furem licet occidere, ſi aliter rem ablatam non poſſis recuperare ſine magna moleſtia & ſumptibus, e. g. via juris, occulta compenſatione, &c. 9. Si actus conjugalis ſit certo tempore conjugibus illicitus, e. g. ob morbum vel periculum abortus, non ideo ſunt illis illiciti alii actus Venerei, ſecluſo ſemper periculo pollutionis: idemque dicendum in caſu impotentiæ ſupervenientis matrimonio. 10. Si judex pro injuſta ſententia ferenda pretium accepit, illud retinere poteſt. 11. Teſtis a judice legitime interrogatus non tenetur veritatem dicere, ſi ex ſua teſtificatione ſibi vel ſuis notabile damnum timeat. 12. Qui profert verba juratoria ſive ex levitate & inadvertentia, ſive ex conſuetudine & iracundia vel alia paſſione, is non peccat mortaliter, licet falſum affirmet. 13 Confeſſarius non tenetur pœnitentem monere de facienda reſtitutione famæ vel bonorum, ſi nulla ſit ſpes profectus, & pœnitens ſibi certo perſuadeat, ſe non teneri: tunc enim relinqui debet in ſua bona fide. P. 162 ſeq. exhibetur Cenſura A. 1703 publicata in *Georgii Gobati, Societatis Jeſu Theologi, Opera moralia omnia.* In his operibus damnantur propoſitiones XXXII, & in his ſequentes notabiliores: 1 Si quis Lutheranus moribundus dicit: Moriar in vera religione, ſed quæ talis ſit, neſcio: propitius eſto mihi peccatori Deus; videtur poſſe ſalvari. 2. Si quis Lutheranus moribundus confeſſionem facit, & Sacram Cœnam accipit a Sacerdote Catholico, qui ſimulat, ſe miniſtrum Lutheranum eſſe, ſalvari poteſt. 7. Recte

Recte orat, qui cum voluntariis & perpetuis diſtractionibus mentis orationem recitat, modo integre faciat & cum intentione orandi. 8. Licitum eſt filio, gaudere de parricidio parentis a ſe in ebrietate perpetrato, propter ingentes divitias inde ex hæreditate conſequendas. 11. Fas eſt occidere injuſtum invaſorem, & non fugere, quando fuga eſt ignominioſa. 12. Qui cum fœmina in lecto aliquot horas exutus cubuit, & tamen nihil niſi oſcula & turpes attrectationes exercuit, ei Confeſſarius abſolutionem negare non poteſt, uti nec mulieri, licet non habeant propoſitum nunquam amplius idem faciendi. 14. Theologice & proprie loquendo non eſt ebrius, qui ob aliam cauſam, quam ob voluptatem, privavit ſe ratione per potum. 18. Æquivocationes & reſtrictiones mentales in juramentis ſemper ſunt permiſſæ, ſi ſubſit vera utilitas propria: immo quælibet permiſſa ſunt, ex quibus nullum cuiquam damnum emergit. Alia Cenſura A. 1708 edita p. 194, ſq. damnatur libellus ἀνωνύμως publicatus contra *Sigillum Confeſſionis*: cujus XXII propoſitiones rejiciuntur, quibus Auctor Confeſſariis largam facultatem permittit, ſecreta, quæ ipſis commiſſa ſunt a pœnitentibus, cum aliis communicandi. P. 201 exſtant leges ab hoc Epiſcopo præſcriptæ in Synodo A. 1695 habita, quæ pleræque jam latæ fuerunt in Mandatis ante memoratis. Concludit librum p. 210 ſqq. Mandatum, quo Epiſcopus ſuos ſubjectos exhortatur ad elargiendas in pauperes liberaliter eleemoſynas; quod quidem Mandatum graviſſimis abundat argumentis moventibus, & ſimul omnes avarorum prætextus ſingulatim recenſet atque refellit. Emiſſum id eſt A. 1710 d. 25 Januarii. Ultimo loco monemus, libri hujus paginas, neſcimus qua de cauſa, non perpetua ſerie numeratas eſſe, ſed poſt pag. 142 rurſus de novo numerari p. 1 &c. quod iis obſervandum, qui loca a nobis citata forte voluerint evolvere: ut, ſi in priore parte aliquid non invenerint, ne graventur partem conſulere poſteriorem, & vice verſa.

DEUS

Digitized by Google

DEUS SACRILEGII VINDEX EX HISTORIA ſacra & profana demonſtratus a M. TOBIA ECKHARDO, Ill. Quedlei Rectore.

Quedlinburgi, impenſis Philippi Calviſii, 1710, 8. Plag. 16.

Cum ante decem annos nefarii quidam homines Luneburgi laminam auream aliaque pretioſa templo, quod S. Michaeli dedicatum eſt, nefando ſacrilegio ſurriperent, autoresque auſpiciis Sereniſſimi Ducis *Georgii Guilielmi* ad ſupplicia ducerentur, id egit Cl. Autor, ut templi Hieroſolymitani, quod omnium & ſanctiſſimum & auguſtiſſimum fuit, non ſemel expilati vindicatique, perveſtigaret rationes, & in Stadenſi Gymnaſio, cui tum præerat, per modum Diſſertationis ad diſputandum proponeret. Sed quia longius diffundebatur hoc argumentum, quam diſputationis modus permitteret, horis poſtea ſubciſivis adnotavit, quæ in eam rem occurrebant, autores dum volveret ac meditando perquireret. Enatus hinc eſt præſens Tractatus, *novem* conſtans Capitibus, in quorum *primo* originem vocis ſacrilegii, & varias ejus apud ſacros ac profanos ſcriptores ſignificationes exponit, illud definit, eruditeque disquirit, an res profanas in loco ſacro auferre, vel perſonas e templis abducere, vel in iis violare ſacrilegium ſit? Capite *ſecundo* deteſtabilem criminis gravitatem, pœnasque civiles in Oriente, apud Judæos, Græcos, Romanos aliasque gentes, & bella ob ſacrilegia geſta, deſcribit. Sequenti Capite oſtendit, ſacrilegia, ab hominibus non punita, vindicari a Deo, quo Luneburgenſe, aliaque ſingulariter detecta refert, nec non exempla Achanis, Maccabæorum, filiorum Eli, & aliorum. Capite IV ad templum Hieroſolymitanum a Salomone conditum accedit, quod quinquies ab hoſtibus exſpoliatum eſſe ait, quam in cineres redigeretur. Capite V exponit pœnas divinitus immiſſas violantibus bello ſacra, ſpeciatim Philiſtæis, & Belſazeri, quibus multa alia punitorum Regum exempla ſubjungit. Capite VI enarrat, quod ipſi Judæorum Reges ſacros templo detraxerint theſauros, & in civiles adhibuerint uſus, quos tamen ſacrilegos fuiſſe negat. Cap. VII ad templum

Digitized by Google

ſecundum progreſſus obſervat, illud ſepties direptum fuiſſe. Miſſo templo Hieroſolymitano Cap. VIII ad alia direptorum templorum exempla venit, & exſpoliationes, a Juliano, Leone IV, Imperatore Byzantino, Balduino II, & Bonifacio II, S. Pontifice, aliisque factas, deſcribit. Ultimo tandem Capite diſquirit, quid de exemplis puniti divinitus ſacrilegii habendum ſit, interpoſitoque de ſingulis ſuo judicio, concludit, non impunita Deum vindicem ſacrilegia reliquiſſe.

VINDICIÆ LIBRORUM ECCLESIÆ Lutheranæ Symbolicorum; autore M. JO. FRIDERICO WALLISERO.

Ulmæ, ſumtibus Wilhelmi Kühn, 1710, 8.
Alph. 1 plag. 5.

REverendus Autor, Vayhingæ quondam, nunc Steinsfeldæ Paſtor in Suevia, ſiniſtra nonnullorum judicia ac ſuſpiciones de doctrinæ ſuæ ſinceritate amoliturus, & nominis exiſtimationi conſulturus, haſce Librorum noſtræ Eccleſiæ Symbolicorum vindicias adornavit, in quibus, quid ſenſu orthodoxo ſint & valeant, indicavit, dispunctisque cenſuris, quibus vellicari ſolet eorum autoritas, omnes difficultates, quæ illis objiciuntur, ſolicite examinavit. Poſtquam enim Capite *primo* genuinum Librorum Symb. ſenſum breviter ſtrictimque exhibuit, expendit Capite II, quid Pontificii & Calviniani Libris Symb. opponant, & in ſingulis eorum objectionibus refellendis multum ſtudii ac operæ ponit. *Tertio* Capite illa ſub examen vocat dubia, quæ forſan pio & attento Lectori horum librorum hinc inde occurrere queant. Quibus ſcrupulis ex legentium animo exemptis ad ſpecialia dubia ſe confert examinanda. Ubi primo difficiliora Auguſtanæ Confeſſionis loca, a malevolis in ſequiorem ſenſum tracta, recenſet, eademque perdocte vindicat. Tum ad Apologiam Aug. Conf. progreſſus inſtitutum copioſe & magna diligentiæ laude perſequitur. Percenſitis tandem ſimili ratione ſolutisque dubiis, quæ adverſus Articulos Smalcaldicos, utrumque Catechiſmum Lutheri & Formulam Concordiæ moventur, finem

Digitized by Google

nem ſcribendi facit quæſtione: *quid vem & viva fides ſit ac operetur?* ad quam ex Libris Symb. idonee reſpondet.

R. ABARBANELIS COMMENTARIUS IN Prophetam Habacuc Hebraice & Latine.

Trajecti Batav. apud Thomam Appels, 1710, 8.
Conſt. 7 plag.

IN uſum Academiæ Trajectinæ hic libellus ſuaſu Clariſſimi Relandi recuſus eſt. Latine eum verterat Clariſſimus Meyerus in Academia Harderoviciana, S. Theol. & Orientalium Linguarum Profeſſor Celeberrimus, notisque ad Seder Olam inſeruerat. Sed cum hæc verſio magis ſenſum ſequeretur; Clariſſimus Sprecherus aliam edidit, Helmſtadii Anno 1703 excuſam, quæ fere ſingula ad verbum reddit. Hanc ad ſtudioſæ juventutis uſum commodiorem in hoc libello recuſam invenimus.

BREVIS INTRODUCTIO AD GRAMMATIcam Hebræam Altingianam, in uſum Academiæ Trajectinæ. Accedit ad exercitium Analyſeos Liber Ruth cum Commentariis Rabbinicis, & Obſervationibus Maſorethicis, Hebraice & Latine.

Trajecti ad Rhenum, ex officina Thomæ Appels, 1710, 8.
Plag. 15½.

QUod Clariſſimus Opitius commodo Hebrææ linguæ tyronum fecit, dum B. Waſmuthi Hebraiſmum in compendium redegit, id quoque hujus libelli Autor Cl. Relandus, qui nomen quidem non appoſuit, operæ pretium judicavit. Introductionem enim prolixiori Altingianæ Grammaticæ præmiſit, & quæ viam ad Hebræam linguam ſternunt, principia collegit, eaque quinque plagulis comprehendit, ne ſtudioſa juventus grandi regularum volumine deterreretur a linguæ ſtudio Theologis omnibus neceſſario. Altera libelli pars librum Ruth exhibet, quem cum commentariis Aben Melechi, Abendanæ, Jarchi, Aben Esræ, & obſervationibus Maſoreticis Hebraice & Latine B. noſter Carpzovius, L. S. Profeſſor, olim edidit,

didit, omiſſis tamen, quas B. Vir addiderat, annotationibus, Lipſienſi editioni annexis. Utrumque libellum Hebræarum literarum cultoribus utilem judicamus, illum, ex quo prima fundamenta addiſcant, hunc, in quo analyſin exerceant. & ad Rabbinorum lectionem præparati, ſine cortice natare, & ſine punctis Hebræa legere incipiant. Faxit DEus, ut, quæ jam contemnuntur Hebræorum literæ, reſuſcitentur, & arcana divina nobis revelata non in turbidis tantum verſionibus, ſed in limpido Iſraelis fonte legantur.

MEMORIÆ HAMBURGENSES, SIVE HAMburgi & virorum de Eccleſia, Reque publica & Scholaſtica Hamburgenſi bene meritorum Elogia & Vitæ, collectore JO. ALBERTO FABRICIO, D. Prof. Publ. & Scholæ Rectore.

Volumina duo.

Hamburgi, ſumtu Chriſtiani Liebezeit, 1710, 8.
Alph. 3 plag. 8.

CUm viris præſtantibus, qui ante noſtram memoriam commodis & ſaluti publicæ invigilarunt, aliud ferme poſt fata ipſorum præmium referri non poſſit, quam ut eorum cum laude recordemur, Celeberrimus Autor, memorias virorum, qui conſilio & opera ſalutem civium & incrementum Reipublicæ Hamburgenſis feliciter promoverunt, conſervaturus, quæcunque in hoc genere conquirere potuit, in hæc Volumina congeſſit. In primo hoc Tomo principe loco habetur Jo. Frederi *encomium Hamburgi*, carmine ſcriptum non ineleganti, & doctiſſimorum virorum encomium jam dudum promeritum. Hoc excipiunt Jo. Ritzenbergii Virorum meritis in Eccleſiam & Remp. Hamburgenſem clarorum *Epitaphia*, ad editionem Roſtochienſem 1555 recuſa. Sequitur ſeries Conſulum inclytorum Reip. Hamburgenſis per annos circiter quadringentos, eorumque elogia & vitæ, partim ſeparatim antea editæ, partim nunc demum vulgatæ. Qua in ſerie Autor Collectionis hujus ſumme Reverendus conſuluit Nobiliſſimorum Virorum Herm. Rœveri ineditam, & Adami

dami Trazigeri, nepotis, typis exſcriptam hujus argumenti commentationem, maxime vero Faſtos nuper vulgatos Magnifici Gerhardi Schrœderi, cujus & privatis obſervationibus debere ſe profitetur, quod nonnulla accuratius tradere potuerit. Tum enarratis Vincentii Molleri Conſiliarii Regis Sueciæ, & Liberi Baronis de Delwig, Urbis Præfecti, elogiis ad deſcribendas Syndicorum vitas ſeſe confert, iisdemque elogia Senatorum & Prætorum ſubjungit, iisdem uſus ſubſidiis ac monimentis, nempe Programmatibus Rectorum ſcholæ, & Orationibus in eorum laudes recitatis, quibus Conſulum & Syndicorum vitas deſcripſerant. Inſerta quoque huic Collectioni videas Petri Ravennatis Carmen ad Senatum Hamburgenſem circa A. C. 1500 ſcriptum, nec non Henningi Cunradi, Poetæ Hamburgenſis, Carmina de ſitu Hamburgi, & de Alſtria fluvio, item Chriſtophori Sylvii de Urbe Hamburgo, & Felicis Fidleri de Albi Fluvio. His quoque inſeruntur p. 418 ſymbola, quæ urbis Hamburgenſium portæ literis aureis oſtentant. Militiana ſcil. porta: *Da pacem Domine in diebus noſtris. Libertatem, quam peperere majores, digne ſtudeat conſervare poſteritas.* Ansgarii vero porta:

Juſtitia ſine Prudentia multum | *Prudentia ſine Juſtitia nibil*

ad fidem faciendam valet.

Diligite juſtitiam, qui judicatis terram.

Aggeris porta: *Roboris vinculum & Libertatis pignus Concordia. Tantum perge Deo fidere, ſalvus eris.*

In ſecundo Volumine primo loco habentur ſeries antea vel non ita accurate, vel nunquam adhuc vulgatæ Archiepiſcoporum, Præpoſitorum, Decanorum & Canonicorum Eccleſiæ & Reverendi Capituli Hamburgenſis, quibus Decanos Calendarum & Vicarios ſubjunxit. Inde ſuccedit *Philippi Cæſaris*, qui antequam ad Romanam Eccleſiam ſe conferret, Canonicum & Paſtorem egit Eccleſiæ S. Ansgarli apud Bremenſes, *Triapoſtolatus Septentrionis*, quo titulo exhibentur vitæ & geſta S. S. *Willehadi*, *Ansgarii* & *Rimberti*, trium Principalium Eccleſiæ Bremenſis Epiſcoporum & Septentrionis Apoſtolorum, ex antiquo Codice Hamburgenſi deſcripta, pridem a *Philippo Cæſare* cum

Digitized by Google

notis atque antiquorum quorundam diplomatum appendice vulgata Coloniæ A. C. 1642. Et quamvis vita *S. Willehadi* abbreviata legatur apud Surium quoque ad 8 Nov. integram tamen & ſinceram, qualem *S. Anſgarius* compoſuit, primus & ſolus hactenus ediderat Philippus Cæſar. Vitam SS. *Anſgarii* & *Rimberti* in Actis Sanctorum Antwerpienſibus, cum Commentario prævio erudito, recudi curavit Godfridus Henſchenius T. I Februarii p. 408 & 559; ſed vaſtum illud opus cum in pauciſſimorum ſit manibus, Celeberrimus Collector non paſſus eſt ſe dimoveri a conſilio recudendam dandi *Rimberti* vitam. Illam vero *S. Anſgarii*, quia ante paucos annos Hamburgi ad calcem Libri I *Originum Hamburgenſium* ex P. Lambecii editione recudi curaverat, hoc loco prætermiſit, ſolis Capitum argumentis, Cæſariſque notis, quæ utraque a Lambecio omiſſa ſunt, adjunctis. Poſt opuſculum Cæſareanum, *Appendicem* quoque *Epiſtolarum* & *Decretorum* complexum, ſequuntur elogia Rev. Decanorum Capituli Hamburgenſis, & primo quidem loco vita *Alb. Crantzii* ex Melch. Adamo deſcripta. Negaverat ſumme Rev. Collector p. 439 ſuperioris Voluminis, ex autoritate & teſtimonio Jo. Molleri V. C. quod Albertus iſte Crantzius præter Decani ac Lectoris Theologiæ munus etiam Syndici Reipubl. Hamburgenſis Ordinarii partibus functus fuerit. In hoc vero Volumine p. 791 aliter ſentit, quod poſtea, monente Magnifico *Gerhardo Schrödero*, comperit in Volumine antiquo membranaceo expenſarum publicarum illius temporis per annos amplius XX quotannis ſemper memorari *ſexaginta talenta pro annua ſoldia*, ſive *propina*, ſive *ſtipendio*, (his enim verbis promiſcue uſi ſunt) *D. Alberto Crantzio Syndico numerata*. His ſubjicitur Nicolai Hardkopfii, Paſtoris ad S. Nicolai, concio habita A. 1617 in Jubilæo Reformationis Evangelicæ, agiturque de Bugenhagio & ſcriptis ejus, cujus potiſſimum opera DEus uſus eſt ad reddendam Hamburgo & magnæ Septentrionis parti verbi divini lucem. Tandem ſeries continua & accurata Superintendentum ſequitur, Seniorum item, Paſtorum & Diaconorum Rev. Miniſterii Hamburgenſis a temporibus repurgatæ religionis usque ad A. M. DCCX, ſimilique ratione enarrantur Phyſici ac Subphyſici Ham-

Digitized by Google

Hamburgenſes, ac Gymnaſii Inſpectores, Rectores, Profeſſores, & monimenta Gymnaſii inſtaurati, ac Bibliothecæ memoria, & quæ huc pertinent alia. Ceterum cum plures reſtent eruditi Hamburgenſes, tertium etiam & forte quartum harum Memoriarum Volumen proditurum deinceps, ſperamus.

HERBARIUM DILUVIANUM COLLEctum a JOHANNE JACOBO SCHEUCHZERO, Med. D. Matheſ. Prof. Tigurino, Acad. Leopoldinæ Svec. Reg. Anglicæ ac Pruſſicæ Membro.

Tiguri, literis Davidis Gesneri, 1709, fol.
Conſt. plag $10\frac{1}{2}$ & Fig. æn. Tabb. X.

QVa ratione piſces, diluvianæ catastrophes teſtes, ſuam dixerint cauſam, ex *Actis* noſtris *A. 1709 Menſe Januario pag.* 23, ubi Clariſſimi *Scheuchzeri Querelas & Vindicias Piſcium* recenſuimus, videre eſt. Nunc eadem agitur, non fabula, ſed hiſtoria, ſolis mutatis perſonis, Plantæ quippe jam ſiſtuntur ab inundatione illa fatali & univerſali reſiduæ. Cum enim Vir Clariſſimus integram de Dendritis, aliisque lapidibus, qui in ſuperficie ſua plantarum, florum, foliorum figuras exprimunt, Hiſtoriam ante bina jam annorum luſtra cœptam illuſtrare ſuſceperit, ex ea nunc, quæ ad rhombum faciunt, denuo excerpſit. Quemadmodum igitur pro perficiendo feliciter iſto opere ſanitatem conſtantesque animi vires Viro Clariſſimo apprecamur, ita ex hoc Herbario Diluviano quædam nunc cum L. B. communicaturi ſumus.

Inter alia depingitur ſpica frumenti ſeminatura, quæ vel ſola, quo tempore acciderit diluvium, docere poteſt. Qua occaſione in gratiam eorum, qui calculi ſunt curioſi, ὡς ἐν ἐπιτομῇ integram ſiſtit Clariſſ. Autor diluvianæ inundationis ſeriem Chronologicam, viam monſtrantibus ipſis SS. textibus; & tandem concludit, Noachum ab uno Majo ad alterum, per annum plus minusve moratum fuiſſe in arca. Poſt deſcriptas plantas diluvianas luſus naturæ commemorat, interque eas pag. 5.

Den-

Dendritas, quarum generationis modum ubi docet, ſi igni imponatur Dendrites, brevi evaneſcere picturam monet, relicto lapide ſimplici & nudo, pictura ſua orbato, qui adeo ſit tenax & igni invictus, ut diutiſſime vim ejus ſuſtineat absque calcinatione, imo continuata ignis actione in vitrum abeat. Ex quo phænomeno patere dicit, quod Tincturæ illius nigræ, qua lapides alias albidi vel cinerei pinguntur, materia alia ſit a materia lapidis ipſius & quidem illa hac ſubtilior, mobilior, fluidior, id quod odor bituminoſus & fumus, quem igni conjectus lapis de ſe ſpargit, tum locus natalis confirmat. Memorabile quippe, quod dum putei in profundum fodiuntur, ſtrata plura lapidis foſſilis reperiantur, in nullo vero eorum figurarum hujusmodi quidpiam conſpici, niſi in ultimo, cui vena lithantracum immediate ſubjacet. Quodſi vero per ignis torturam picturæ non evaneſcant, e g. in Dendrita Pappenheimenſi, tum particulas tincturæ volatiles ita cum terreſtribus alcalicis fixatas perhibet, ut ab earum compedibus vix liberari queant. Quod vero Dendritæ adeo tenacis ſint & compactæ ſubſtantiæ, ut igni maneant invicti, inde concludit, eſſe earum ſubſtantiam valde homogeneam, in minimis partium conſtituentium ſuperficieculis applicabilem, quam homogeneitatem vel ipſe fiſſilium ſaxorum parallelismus, ſæpe ad ἀκρίβειαν Mathematicam exquiſitus, homogenearum partium ſimul ſubſidentium index certiſſimus, comprobat. Ubi varii generis particulæ in eadem maſſa miſcentur, ibi facilitari dicit calcinationem. Solent Dendritæ ſemper ſolas arborum & fruticum ramificationes, prout ex longinquo ſpectantur, (a pictoribus miniato vel punctulato opere *(en minature)* exprimuntur) repreſentare, nunquam flores, vel ſemina, vel fructus, nec etiam folia, prout viſui propius admota ſeſe offerunt. Ex quo patere putat, partim non eſſe has arbuſcularum imagines ipſas arbuſculas petrefactas, nec etiam fruticum impreſſiones in molliori adhuc lapidis ſuperficie factas; partim non eodem modo produci has plantas in lapidibus depictas, quo progerminant e terræ gremio vegetabilia. Notabilis eſt & una ex præcipuis Dendritarum circumſtantiis, quod ita juxta invicem exu-

Digitized by Google

TA




Fig. 7.

Digitized by Google

exſurgant arbuſculæ, ut nulla alium impediat, nulla alteri cedat, nullus ramus vel ramuſculus alium premat vel interſecet. Ad cujus rei cauſam rite ſubminiſtrandam provocat Autor clariſſimus ad experimentum cuivis notum, quo bina marmora polita vel lapides fiſſiles læves, ſuper invicem oleo vel aqua interfluente triti, easdem prorſus arbuſcularum figuras eodemque modo exprimunt. Quemadmodum enim hic, quam diu tabulæ cohærent, fluidum æqualiter preſſum ſeſe æqualiter ſuper tabulas expandit, nullaque certa prodit figura, diductis autem ab invicem tabulis fluidum inter eas medium, præſertim ſi oleoſum ſit atque tenacius, ſimul elevatur, formanturque ex cohæſione partium extremi primum ramuli, hinc ex pluribus confluentibus trunci coralloidis inſtar ramoſi, quorſum ſcilicet fluidi hic ibi elevati portio ſeſe concentrat; ita in terræ viſceribus cruſtave ſuperiori poſtquam ſubſedit reſoluta in pulverem maſſa, formavit ea ſtrata parallela, mollia primum, ſeu lutoſa, poſtea indurata, quæ ipſa nunc ſunt marmora, ſaxaque fiſſilia, hic ibi arbuſcularum figuris pulcre exornata. Fiunt igitur Dendritæ per expreſſionem fluidi cujusdam ex ipſius lapidis ſubſtantia, quod poſtea ſuper externam ejus ſuperficiem ſeſe diffundat; & quidem fit exudatio illa fluidæ tincturæ per craſſiorem & breviorem lapidis fiſſilis diametrum, non per longiorem ſeu ſuperficiem ampliorem, qua in fiſſuris ſe invicem tangunt, ſive in planitiebus ſuis ſtratorum inſtar ſuperimponuntur. Sed & figuræ quædam hic ſunt exhibendæ. In Tab. VI. Fig. 1 in fiſſili lapide Oeningenſi cretaceo ſiſtit pallido flaveſcente colore coſtam folioſam plantæ alicujus leguminoſæ, vel filicinæ, quam ſpeciatim determinare arduum ducit Autor Clariſſimus. Per medium ſingulorum foliorum nervus trajicitur, ut de origine diluviali nullus dubitare poſſit. In eadem Tabula Fig. 2 in fiſſili pariter lapide Oeningenſi diœceſeos Conſtantienſis libellam exhibet, ſtatæ ætatis, plene jam elaboratam, & ejus quidem generis, quæ Maximæ dicuntur. Putaret quis primo intuitu, repræſentari in hac figura vermiculum libellæ, eo quidem metamorphoſeos ſtatu, quo tubercula quatuor e dorſo, ubi thorax ventri connectitur, nitide protuberant, quæ tubercula alarum ſunt receptacula. Sed obſtat, non parallela de-

TAB. VI. Fig. 1.

Fig. 2.

Nnn orſum

orſum, ſed cruciformis velut tuberculorum horum expanſio, quæ non naſcentes, ſed natas jam alas, licet in lapide non expreſſas indicat. Quæ obſervatio lucem fœneratur haud exiguam tempori, quo diluvium contigit, quod ſupra ad menſem Majum ex Autore retulimus, quo ipſum hoc animal ſuam acquirit perfectionem, & vergente æſtate mature ſeſe in ſuos folliculos convolvit. Confirmat ratiocinium hocce aliud libellæ genus ex Maximarum familia in lapide fiſſili candido Fig. 3. ex agri Veronenſis valle montana, Bolga dicta, alis expanſis, quarum tractus non obſcure quidem, ſed nec ita clare, ut ſculptor expreſſit, viſuntur, & ad baſin vermiculus Acquajuolo nuncupatus. Non minus rarum eſt fatalis illius Cataſtrophes μνημόσυνον piſcis foſſilis elegans, ex eodem natali, in Fig. 4, quod figura integra, pinnis, cauda, brachio utrinque extenſo in medio fere corpore, magis tamen verſus anteriora adeo exacte convenit cum Guaperva Braſilienſibus Marggravii, *the American Toadfiſch*, deſcripta, in ſerie piſcium cartilagineorum oviparorum, a *Franciſco Willougby Hiſt. Piſc. Lib. III cap. 3. pag. 90*, ut iconem ipſam, quæ extat Tab. O. 1. n. 4 lapidi huic impreſſam dixeris.

TAB. VI Fig. 3.

Fig. 4.

PHILOSOPHICAL PRINCIPLES OF NAtural Religion, &c.

h. e.

PHILOSOPHICA PRINCIPIA RELIGIONIS Naturalis, quæ Elementa Philoſophiæ Naturalis continent, & probationes, ad ſtabiliendam religionem naturalem inde deductas: Autore GEORGIO CHEYNÆO, M. D. & R. S. S.

Londini, A. 1705, in 8.

Conſtat 1 Alphab. 3. plag.

CL. Autor generalia Phyſices principia explicat, ex iis productionem mundi per fortuitum atomorum concurſum itemque neceſſariam ejus ab æterno exiſtentiam refellit, contra Entis infiniti, quod mundum in tempore produxit & hodier-

dienum conſervat, exiſtentiam ſtabilit, tandemque ex conſideratione tam macrocoſmi, quam microcoſmi ſapientiam atque potentiam ejus evincit. Colophonis loco in naturam finitatis & infinitatis inquirit. Quamvis autem in ipſo opere Autores non laudet, per quos profecit, ne vanam multæ lectionis gloriam captaſſe videretur; liberum tamen in Præfatione unicuique relinquit, ut, quod ſuum agnoſcit, ſuum; quod alterius eſt, alterius eſſe reputet nec diffitetur, ſe in Phyſica generali & cœleſti per *Newtonum*, in œconomia animali per *Borellum* atque *Bellinum*, & *Archibaldi* imprimis *Pitcarnii* diſſertationes profeciſſe.

Principia generalia Philoſophiæ naturalis expoſiturus monet, ſe per *naturam* intelligere vaſtam hanc machinam Univerſi, ex innumeris machinis minoribus compoſitam; per *leges naturæ* vero leges motus, quibus corporum naturalium actiones reguntur, per illorum adeo mutationes inviolabiles. Poſtquam igitur animam mundi *Platonis*, formas ſubſtantiales *Ariſtotelis*, calidum innatum *Hippocratis*, virtutem plaſticam *Scaligeri*, principium hylarchicum *Mori* rejeciſſet (quibus vim attractivam ac repulſivam primigeniam ſeu ſympathiam & antipathiam Scholaſticorum a quibusdam recentioribus renovatam addere poterat) tum quod termini videantur mere allegorici ad velandam Autorum ignorantiam excogitati, tum quod talia entia Autori naturæ derogare arbitretur, qui mundum facilius quam per iſtiusmodi Numina inferiora gubernare valeat: leges naturæ recenſet, quas Vir ſummus *Newtonus* in Principiis Philoſophiæ Naturalis Mathemathicis p. 12 & ſeqq. poſuit. Scilicet 1 *Corpus omne* (ut etiam *Carteſius* docet) *perſeverare in ſtatu ſuo quieſcendi vel movendi uniformiter in directum, niſi quatenus a viribus impreſſis cogitur ſtatum illum mutare.* Unde infert, cum nullum corpus ſtatum ſuum vi propria mutet, eademque requiratur ob vim inertiæ, quam cum *Keplero* noſtro atque *Leibnitio* in materia agnoſcit *Newtonus*, eamque quantitati materiæ proportionalem, tam ad motum ciendum, quam ſiſtendum; materiam eſſe ad motum & quietem indifferentem, atque adeo mere paſſivam, omni vi agen-

di propria deſtitutam, nec corpus motum vi ſemel impreſſa deſcribere poſſe lineam Curvam, ob perpetuam, quæ hic requiritur, directionis mutationem. Planetas ergo vi quadam attractrice (addi poterat: vel impulſu ambientis ex ſententia Leibnitiana) a motibus rectilineis retrahi, nec motum materiæ eſſe eſſentialem, nec quietem, & conſequenter perſeverationem in motu ac quiete ab omnipotentia Dei dependere. Urget quoque vacuum neceſſarium eſſe ad motus continuandos. Niſi enim daretur vacuum, corpora ejusdem molis ejusdem fore ponderis (quod eſt ſupponere gravitatem omni corpori competere) & corpora duo æqualia æquali celeritate mota ad contactum ſe mutuo ſiſterent: id quod experientiæ repugnet. Enimvero hujus conſequentiæ ratio nulla redditur. 2. *Mutationem motus proportionalem eſſe vi motrici impreſſa & fieri ſecundum lineam rectam, qua vis illa imprimitur.* Ex qua potiſſimum lege concludit, motum perpetuum eſſe impoſſibilem. Cum enim motus in aere fiat, hoc eſt in medio reſiſtente, partem quandam motus uni parti impreſſi minui, antequam per eam alteri communicetur, atque hinc integrum per circulum communicari non poſſe: immo præterea ipſum imminui per machinarum affrictum. Sed talis motus perpetuus, quem frictiones & media non tollant tandem, a Mechanicis non quæritur. Sciunt enim omnem machinam tandem atteri. 3 *Actioni contrariam ſemper & æqualem eſſe reactionem*: Unde de reſolutione motus obliqui, quo diagonalis parallelogrammi deſcribitur, in duos directos, quo latera eodem tempore deſcribantur, nonnulla deducit; & ulterius urget, corpus in orbita moveri non poſſe eadem ſervata quantitate motus per vim ſemel impreſſam, atque adeo Planetas eorumque ſatellites, quorum motus perennant, vi ſemel impreſſa (ſola ſcilicet) non moveri. Carpit vero *Carteſium*, motus conſervationem ab æthere ambiente in varios vortices diviſo petentem, argumentis ex *Gregorii* Elementis Aſtronomiæ Phyſicæ & Geometricæ lib. 1 prop. 76 f. 94 & ſeqq. eodem, quo ab ipſo poſita ſunt ordine, repetito. Et fatendum eſt, *Carteſium* ea in re nodum in ſcirpo quæſiviſſe, cum motus ipſe ſe conſervet, niſi

qua-

Digitized by Google

quatenus a contiguo minuitur, vel augetur. Ipſum igitur *Gregorium* hic preſſo pede ſecutus, ea quoque repetit, quæ prop. 78 f. 101 & ſeqq. contra theoriam de motuum cœleſtium cauſis *Leibnitianam* propoſuerat & ex eadem non ſatis intellecta profluxiſſe, in Actis A. 1706 p. 446 abunde docuit Vir illuſtris, *Leibnitius*: niſi quod de ſuo addat, vorticem harmonice circulantem ſimplicitati naturæ repugnare, quoniam explicatu difficilis ipſi videatur. Falſis rationibus perſuaſus, Planetas a fluido ambiente moveri non poſſe; vi quadam attractiva Solis eosdem in orbita retineri aſſumit. Hanc non minus ac gravitatem corporum partialium, qua a centro totali attrahuntur, materiæ ſuperadditam probat, quod mechanice explicari nequeat, Si enim gravitatis darentur rationes mechanicæ, a motu alicujus fluidi ambientis petendæ eſſent. Hoc vero ipſi abſurdum videtur ob rationes ſequentes: 1 quod concipi nequeat, quomodo illud fluidum a centro per circulum maximum undiquaque recedere conetur; (*ſed conabitur a centro recedere per rectam, quod variis modis explicari poteſt*:) 2 quod aliud rurſus fluidum ponendum ſit, unde motus hujus fluidi oriatur, & ſic porro in infinitum; (*ſed quidni fluidum aque ac ſolidum, ſeu ipſe Planeta, motum ſemel impreſſum habere poſſit*?) 3 quod abſurdum ſit ſtatuere, materiam gravificam non eſſe gravem, utpote cum materia omnis ſit uniformis, nec dici poſſit, Deum tam nobili virtute quandam ejus partem exuiſſe, qualis eſt gravitas; (*at materia non eſt gravifica, nec gravis per ſe, ſed per motum ſuum, materia autem motibus non eſt uniformis*:) 4 quod corpora non gravitent in ratione ſuperficierum, ſed maſſarum; (*ſciendum vero, gravia pervia eſſe materiæ gravificæ ut rete, atque adeo etiam intus ab ea impelli*:) 5 quod illud fluidum ad ſalvanda varia naturæ phænomena diverſis motibus cieri deberet; (*ſed magis rationi convenit, plures ponere motus aut plura fluida moventia diverſi gradus, ſi opus videatur, quam plures virtutes ſeu qualitates occultas.*) Quam igitur materiæ ſuperadditam eſſe agnoſcit vim attractricem, eandem ipſi eſſentialem negat, tum quod nullus motus eſſentialis materiæ. tum quod in diſtans agat, ut ex vi attra-

ctrice Solis manifeſtum, tum quod intendi ac remitti poſſit, ut ex deſcenſu corporum gravium liquet. Ergo vis illa, ſi naturalis eſt, erit aliquid materiæ ſuperadditum inſtar principii hylarchici ab Autore refutati. Ceterum vim illam attractricem non modo corporibus mundi totalibus, ſed etiam minimis materiæ moleculis attribuit. Per eam omnia Naturæ phænomena, tam in corporibus mundi totalibus, quam partialibus obvia, ſolvi debere contendit. Quodſi objicias, hanc vim non eſſe principium mechanicum; nec motum fluidi ſubtiliſſimi, quem una omnes Deo immediate tribuunt, mechanicum eſſe regerit, nec ullum hactenus excogitatum Philoſophiæ Naturalis ſyſtema agnoſcit, in quo non quædam occurrant poſtulata, quæ pro mechanicis haberi nequeunt. Impreſſionem facultatis attractricis non durius eſſe poſtulatum, quam exiſtentiam materiæ, impreſſionem motus rectilinei, & conſervationem facultatum agentis naturalis. Sed has quidem poſitiones neceſſarias eſſe ipſa ratio docet. Ineſſe Telluri vim attractivam, per experientiam conſtare: quæ cum per principia Mechanica explicari nequeat, (ſi ipſum ſequimur) ad cauſæ primæ influxum omnino recurrendum eſſe. Quodſi ulterius urgeas, actionem naturalem in diſtans abſurdam eſſe: multa admitti debere regerit, quorum nullum habemus conceptum, qualia ſunt cogitatio, reflexio, reminiſcentia, ſenſatio, communicatio motus & prima motus productio, actio animæ in corpus & corporis in animam. Enimvero horum omnium ratio redditur ex principiis harmoniæ præſtabilitæ. Præcipuam adeo legem a Deo corporibus latam hanc eſſe concludit, *ut qualibet pars corporis uniuscujusque attrahat partem quamlibet cujuscunque alterius* (quaſi Deus in natura leges ferat, quarum ratio ex natura rei reddi non poſſit, id eſt, quaſi Deus præter rationem agat) *& conditiones legis præcipuas eſſe, quod vis attractiva ſit in ratione reciproca duplicata diſtantiarum, in eadem vero diſtantia in ratione quantitatis materiæ:* (ſed hæc conditio magis rationi conſentanea eſt quam lex ipſa). Hinc ad generales corporum affectiones explicandas progreditur, & ad fluiditatem requirit 1 parti-

particularum molem exiguam, 2 figuram ſphæricam aut ſphæroidicam, ut contactus nonniſi in puncto fiat, 3 politam ſuperficiem, 4 vim attractivam gravitate minorem, a qua cohæſionem derivat. Videtur ſcilicet ſupponere atomos jam ſatis profligatas. In ſpecie de aqua, Mercurio, aere & lumine quædam ſuperaddit, quæ fluidorum elementa conſtituit & congelationem aquæ particulis ſalinis ex aere in eam derivatis tribuit: cum enim aculeatæ exiſtant, poris ſphærularum binarum intrudi ſicque eas connecti. Quare cum hac ratione contactus prohibentur, glaciem majus ſpatium aqua occupare. Solem & fixas corpora eſſe ait ſolida intenſiſſime candefacta, ut calorem omnem intra multas annorum myriades exhalare nequeant. Particulas exhalatas pro luminis radiis habet luminisque proprietates atque colorum naturam ex *Newtoniana* Optica ſane præclara repetit. Inter alia defendit, lumen non a ſolidis corporum particulis reflecti, in quas impingit (alias enim a vitris politis, cum prorſus æquabilem ſuperficiem non habeant, regulariter non reflecterentur); ſed a vi quadam corporis per ſuperficiem ejus æqualiter diffuſa (per quam in radios agat, antequam eam contingant) & denſitati ejusdem proportionali. Inde Solis ſubſtantiam quotidie decreſcere concludit & calorem virtualem in ſucco vegetabilium aliquam illius partem conſtituit.

Hiſce præmiſſis Capite ſecundo in mundi originem ac in ſpecie hominum ortum inquirit. Diſputat contra Epicureos, fortuito atomorum concurſui originem mundi tribuentes: quorum ſententiam inde potiſſimum convellit, quod lex gravitationis, qua Planetæ ſe mutuo attrahunt, Mechaniſmo repugnet, atque adeo primaria quædam corporum proprietas a legibus Mechaniſmi non dependeat, & præterea productio animalium cum iisdem non conſiſtat, circulatione ſanguinis perpetuum mobile in corpore animali prodente, quod per leges Mechanicas impoſſibile, & motibus ſpontaneis in animantibus ſenſitivis, voluntariis in rationalibus hominumque libero arbitrio in Mechaniſmum impingentibus: qua data occaſione *Carteſii* quoque Coſmogoniam perſtringit. Enimvero ad probandam exiſtentiam Dei non opus eſt, ut ad qualitatem occul-

Digitized by Google

occultam ſcholaſticorum, qualis eſt Autoris gravitas, recurramus. Et infirmum omnino argumentum, quod exemplo *Mori* in Enchiridio Metaphyſico ab inſufficientia Mechaniſmi petitur, ut jam ab aliis ſatis ſuperque oſtenſum. Optimo origo animalium primæva, ut & libertas humana, per leges Mechanicas non explicari poſſe dicitur, cum utraque ſit ſupra mechaniſmum: at de motibus animalium ſpontaneis idem minime valet. Refutat Autor præterea illorum opinionem, qui mundum, qualis nunc exiſtit, ab æterno independenter ab omni cauſa extitiſſe affirmant. Urget contra eos, quod viſibilia hæc a re alia tanquam a cauſa ſua in eſſe & conſervari pendeant: remoto enim ex. gr. Sole, omnes in Tellure ceſſare generationes; remota Luna, tolli fluxum & refluxum maris; remotis montibus, fontes; remota atmoſphæra, corpora animalium intumeſcere nec conſervari poſſe. Addit, animalia ab æterno eſſe non poſſe, quia eorum productio a principiis extrinſecis pendet, ac vires materiæ ſuperat, omniaque organa ad certos fines prudenter ſunt diſpoſita. Si mundus ab æterno extitiſſet, dudum ex Autoris mente defeciſſet aqua, quæ plantarum & animalium nutritioni, mineralium & metallorum productioni copioſa impenditur; Sol & fixæ ex ipſius hypotheſi dudum abſumtæ fuiſſent; motus planetarum ob aliqualem ſaltem medii reſiſtentiam exſpiraſſet; genus humanum aut dudum in infinitum procreviſſet, aut plane defeciſſet. Scientiæ a perfectione ſua non amplius abeſſent. Motus præterea Planetarum juxta Noſtrum ortum ſuum ad aliud ens refert, quia curvilineus; & cum ex animalculis præexiſtentibus generatio fiat, infinita animalcula, quorum ſingulorum infinita ſunt organa, in uno aliquo contineri debent: id quod ipſi abſurdum. Denique in viſibilibus mundi proprietates ex aſeitate fluentes obſervari negat, quales neceſſitatem exiſtendi & independentiam, omnipotentiam, omniſcientiam, infinitam bonitatem & ſapientiam, dependentiam omnium a ſe, eſſe arbitratur. Hiſce rationibus utitur Autor ad æternitatem mundi deſtruendam; ſed rem non plane conficiunt.

Quomodo Capite tertio exiſtentiam Numinis h. e. ſupremæ cujusdam virtutis, qua productus fuerit mundus & etiam

Digitized by Google

etiamnum conſervetur, per exiſtentiam materiæ atque animalium, per conſervationem facultatum, per pulcritudinem univerſi & rerum ordinem probet; tam ex ſuperioribus colligitur, quam aliunde conſtat. Omnium ſcilicet argumentorum vis partim ad finium conſiderationem, partim ad Mechaniſmi inſufficientiam Autori viſam redit. Ex *Leibnitianis* meditationibus ſatis intelligitur, omnia quidem in natura corporea fieri mechanice, ipſa vero principia Mechaniſmi ex altiori fonte, nempe a ſubſtantia incorporea & quidem per rationes finales oriri. At Noſter dum aſſerta oſtendere ſatagit, multa ex ſuperioribus repetit & de ſyſtemate mundi planetarumque motibus ex Cl. *Gregorii* Elementis Aſtronomiæ ac Coſmotheoro *Hugenii*, de œconomia animali ex *Borelli*, *Bellini* aliorumque ſcriptis multa congerit, ita tamen ut fines ubique obvios potiſſimum & recte urgeat.

Tandem Capite quarto in eo inprimis eſt, ut evincat, rationi humanæ æque ac moli corporis ſuos præfixos eſſe limites, quos ut prætergrediatur, fieri nequeat. Id probaturus urget, nos magnitudinis diſtinctam habere notionem, infinitam tamen magnitudinem concipere haud poſſe: *(quanquam aliquo modo dici poſſit, nos concipere id, cujus neceſſitatem intelligimus).* Alias quantitates infinitas eſſe intuitu aliarum infinite parvarum, quæ infinitudo infinitos gradus admittat, cum quod unius reſpectu eſt infinite parvum, alterius reſpectu infinite magnum exiſtat: alias eſſe infinitas intuitu aliarum finitarum. Sed inventor calculi infiniteſimalis infinite parva & infinite magna in quantitatibus pro veris rebus nunquam venditavit. Noſter illius exempla producit angulum contactus, quem recta cum curva efficit, infinite magnum intuitu anguli per contactum duarum curvarum formati, & vim centrifugam in arcubus infinite parvis orbitarum Planeticarum, quarum intuitu vis projiciens infinita; alterius vero ſpatium inter aſymptotam Hyperboloidis alicujus & rectam ipſi parallelam comprehenſum, quod infinitum intuitu ſpatii finiti inter aſymptoton & Curvam in infinitum productas contenti. Sed hujusmodi infinita aut infinite parva, ſi rigoroſe ſumantur, magis notionalia quam realia

Digitized by Google

ſunt. Infinitatem non involvere contradictionem oſtendit, quod concipi poſſit numeri infiniti geneſis per continuam unitatis additionem & infinite parvi generatio per ſubtractionem aut diviſionem; quodque fractionum infinitarum valor ſit aſſignabilis e. gr. $\frac{1}{a} + \frac{1}{a^2} + \frac{1}{a^3}$ &c. in infinitum $= \frac{1}{a-1}$; quod extenſionis, durationis & diviſibilitatis materiæ nullus concipiatur terminus. Monet autem ideas finitudinis & infinitudinis per ſe non ſignificare entia realia, ſed eſſe incompletas, nec realem ideam adimplere, niſi ſubſtantiæ cuidam jungantur. Egr. infinitam ſcientiam, infinitam ſapientiam, infinitam extenſionem & durationem eſſe proprietates rerum intelligibiles. Infinitatem vero in abſtracto eſſe notionem vagam. Infinitatem Deo ſoli competere negat, cum nulla ſit abſurditas ſtatuere, creaturam imbutam eſſe qualitatibus gradu infinitis (de numero infinitis hoc certius affirmari poterat). Non repugnare, mundum eſſe creatum & tamen ab æterno extitiſſe atque in infinitum extendi. (Sed ſi mundus infinitus poneretur, revera unum totum non foret, unde recte *Carteſius* aggregatum quantumcunque indefinitum intelligi maluit). Finitudinem & infinitudinem eſſe diſparata inſtar luminis & ſoni. (Sed in his duobus nulla ut in illis eſt oppoſitio). Hinc non communes admittere proprietates, ſed multis modis contrarias. Poſitivam infinitatis naturam non comprehendi ab intellectu finito quare cum infinitas numero ſeries in Arithmeticis concipimus, partes omnes eadem ratione inter ſe diſtinguantur opus eſt. Inde *Arithmetica infinitorum* generales regulas deducit. Sit enim $1+1+1+1$ &c. in infinitum $=\infty$ aut generatim $a+a+a+a$ &c. in infinitum $=\infty a$, erit $\infty : \infty = 1$ aut ſeu pars infinite parva numeri infiniti, $\infty 2 : \infty = 2$ & generatim $\infty a : \infty = a$; $\infty = \infty^2 = (1+1+1+1$ &c. in infinitum$)$ $(1+1+1+1$ &c. in infinitum$)$, ∞^3 cubus, ∞^n poteſtas indeterminata numeri infiniti. Hinc pro *Additione* $2\infty + \infty 3 = \infty 5$, $\infty^n + p\infty^n = (p=1)\ \infty^n$, $\infty 3 + 10 = \infty 3$, $\infty a + a = \infty a$, $\infty^2 + \infty = \infty^2$ & generatim

∞^n

$\infty^n + \infty^{n-1} = \infty^n$. Pro *ſubtractione* $\infty 10a - \infty 3a = \infty 7a$, $\infty 5 - \infty 7 = -\infty 2$, $9\infty^r - 5\infty^r = 4\infty^r$, $\infty^p - \infty^{p-q} = \infty^p$. Pro *multiplicatione* $\infty . 3 = 3\infty$, $\infty . a = a\infty$, $\infty . \infty = \infty^2$, $a\infty . e\infty = ea\infty^2$, $\infty^p . \infty^q = \infty^{p+q}$. Pro *diviſione* $\infty : 2 = \frac{1}{2}\infty$, $\infty 2 : \infty = 2$, $\infty 3 : \infty 4 = \frac{3}{4}$, $\infty^3 : \infty = \infty^2$, $\infty^r : \infty^q = \infty^{r-q}$. Pro *fractionibus* $\infty \frac{2}{3} + \infty \frac{4}{5} = \infty \frac{22}{15}$, $\infty a : e + \infty p : q = \infty (aq + ep) : eq$ &c. Hunc calculum pluribus exemplis ſpecialibus illuſtrat. Ex. gr. ſit ſumma Progreſſionis Arithmeticæ y, terminus primus a, ultimus v, differentia communis e, ſit $\backsim$ ſignum differentiæ duarum quantitatum, de quibus non conſtat, quænam alterutram excedat, erit $y = (v^2 \backsim a^2 + ve + ae) : 2e$. Sit jam $a = \infty$, $v = o$, erit $y = (\infty^2 - o^2 + oe + \infty e) : 2e = \infty^2 : 2e$, & pars æqualis infinite parva hujus ſeriei $= \infty : 2e = \infty^{\frac{1}{2e}}$. Sit $a = \infty^n$ $v = \infty m$, $e = \infty p$, erit $y = (\infty^2 pn + \infty^2 pm) : 2$. Si $n = 2$, $m = 3$, $p = 1$, erit $y = (\infty^2 2 + \infty^2 3) : 2 = \infty^2 5 : 2$. Sit in progreſſione Geometrica continua terminus primus a, ultimus v, exponens rationis $r : s$, erit $y = (ra \backsim sv) : r \backsim s$. Sit jam $a = \infty$, $v = o$, erit $y = r\infty : (r - s)$. Sit $r : s = 2$, erit $y = \infty + \frac{1}{2}\infty + \frac{1}{4}\infty + \frac{1}{8}\infty$ &c. in infinitum $= \infty 2 : (2 - 1) = \infty 2$ & pars infinite parva æqualis 2. Sit univerſaliter pars hæc infinite parva dx, erit $\infty dx = \infty r : (r - s)$ conſequenter $dx = \infty r : (\infty r - \infty s) = r : (r - s)$, hoc eſt (ſi $r : s = \frac{1}{2}$) $= 2 : (2 - 1) = 2$. Sit Curva DEF. Sumantur abſciſſæ a puncto A in axe AIH, ſitque $AI = IE = 1$, $AK = x$, $KL = y$, æquatio curvæ $y = x^{-n}$, erit per methodum quadraturarum area $ABCDELK = x^{1-n} : (1 - n)$, & area indefinita $AGLFHIA = nx^{1-n} : (1 - n)$. Sit jam $n = 1$, erit $y = 1 : x$, & area $ABCDELK = x^{1-1} : (1 - 1) = 1 : (1 - 1) = 1 + 1 + 1 + 1 + 1$ &c. in infinitum, ita ut pars infinite parva ſpatii Hyperbolici *Apolloniani* $= 1$. Si area AGLFHKI requiratur, reperietur (quoniam $x = y^{-1:n}$) $ny^{n-1:n} : (1 - n) =$ (quia $y = 1$ & $n = 1$) $2 - 1$, :, $1 - 1 = 1 : (1 - 1)$ TAB. VI Fig. 5.

$=1+1+1+1+$ &c. in infinitum. Ergo integrum ſpatium inter utramque Aſymptoton & Hyperbolam Apollonianam $= \infty 2$. Sed multa in his ſunt, quæ nonniſi commoda explicatione ſalvari poſſunt, ne contradictiones continere videantur: rigoroſe enim loquendo in infinito non magis quam in ipſo finito pars toti æqualis eſſe poteſt. Unde illud $\infty a + a = \infty a$ rigoroſe loquendo locum non habet, quemadmodum nec $xdy + ydx + dxdy = ydx + xdy$. Aſt in calculo infiniteſimali ſuſtinetur per reductionem commodam ad ea, quibus nihil objici poteſt: quod ſæpe monuit calculi Autor.

MICROMETRIA, HOC EST, DE MICROmetrorum, Tubis opticis, ſeu Teleſcopiis & Microſcopiis applicandorum varia ſtructura ac uſu multiplici Opuſculum. Autore THEODORO BALTHASARIS, Med. Lic. Matheſ. & Phyſic. Prof. Ordinar. Erlang.

Chriſtian-Erlangæ, apud Joh. Andr. Lorberum, 1710, in 8.
Conſtat plag. 8. & Tabb. æn. plag. 2.

CUm micrometra teleſcopiis applicentur, hæc autem ex lentibus componantur; Autor ſub initium nonnulla de lentium proprietatibus demonſtrat, uſus *Kepleriana* ratione anguli incidentiæ ad angulum refractionis minus exacta, non autem vera horum angulorum ſinuum a *Willebrordo Snellio* primum inventa & *Carteſio* vulgo attribui ſolita, & de tuborum compoſitione diſſerit, imprimis Aſtronomici, ad quem potiſſimum ſpectant micrometra. Inter hæc autem primo loco commemorat reticulum ex filis ſericeis aut pilis equinis ad angulos rectos ſeſe interſecantibus, ad ſelenographiam conficiendam exemplo *Millieti Dechales* commendatum. Huic jungit alterum ad Eclipſin Solis obſervandam uſurpatum ab Aſtronomis Pariſinis, cujus in commentariis Academiæ Regiæ Scientiarum Anni 1706 p. 212 edit. Bat. mentio fit, quodque ex circulis concentricis duodecim digitos diſci Solaris repræſentanti

tantibus conſtat. Indicat præterea micrometrum a *Gaſcoignio* inventum, a *Richardo Townley* perfectum & in Tranſactionibus Anglicanis A. 1667 num. 29 p. 542 itemque in *Johannis Lowthorpii* Epitome earundem p. 219 vol. I. deſcriptum & Actis A. 1708 deſcriptionem Micrometri *Heveliani* ipſis *Heckeri* verbis repetit, *Kirchianumque* Micrometrum ſtructuræ omnium ſimpliciſſimæ, alia occaſione proxime deſcribendum, commendat. Non minus, quam hoc, commendari debebat, quod ab *Auzouto* inventum deſcribitur in ipſius Tractatu de Micrometro, quem in Actis A. 1695 p. 130 indicavimus, fol. 415 & ſeqq. cum varia opera Mathematicorum & Phyſicorum ab Academicis Regiis ſcientiarum elaboratorum recenſeremus, a *Philippo de la Hire* in Tabulis Aſtronomicis p. 66 & ſeqq. atque *Nicolao Bion* in Tractatu de Conſtructione & præcipuis uſibus inſtrumentorum Mathematicorum, menſe Januario p. 15 & ſeqq. commemorato. Nec ſilentio prætereundum erat micrometrum a *Philippo de la Hire* excogitatum, quod duplicis circini figuram refert & in Tabulis aſtronomicis p. 71 repræſentatur. Poterant ulterius commemorari gemina inſtrumenta, quæ *Robertus Hooke* in Operibus poſthumis f. 497 & 498 propoſuit. Sed hæc omnia ad Autoris notitiam non pervenerunt. Ipſe autem aliquod micrometrum propriæ inventionis exhibet, cujus hæc conſtructio. ABCE eſt lamina orichalcea competentis craſſitiei, pinnula perpendiculari A inſtructa, cujus pars BC tubo immittitur & duorum pollicum exiſtit, DE vero exterior æqualis parti AB in æquales particulas diviſa, quarum ſingulæ ſingulis diſtantiis ſpirarum cochleæ KL æquantur. CF eſt corpus parallelepipedum orichalceum exactiſſimeque lævigatum, per cujus foramen inferius oblongum tranſmittitur lamina ABCE, inibique firmatur ope clavulorum, ut ne minimum quidem vacillare queat; parte vero ſuperiori habet matricem F pro recipienda cochlea chalybea æqualis ubique craſſitiei, cujus longitudo KL æquatur ipſi AD. Reliquæ ejus parti cylindricæ affixus index P cum manubrio Q pro ipſa circumgyranda. OR denique eſt orbis orichalceus cum gemina vagina ferrea SM & TV afferruminata, quarum iſta

TAB. VI. Fig. 6.

Digitized by Google

laminam BE, hæc partem cochleæ cylindricam LO recipit. Limbus ejus in decem partes dividendus ac ſingulæ in alias decem ſubdividendæ. Pro recipiendo corpore parallelepipedo G paratur capſula orichalcea, cujus interior ſuperficies exacte lævigata eſt & cavitas cum iſto congruit, ut hujus beneficio micrometrum tubo vel profundius immitti, ſine difficultate eximi iterumque immitti & una pluribus tubis inſervire queat. Longitudo ejus arbitraria. Duabus pinnulis inſtruitur, ut transmiſſis per ejus foraminula clavis tubo affigi poſſit. Quodſi deſideres, ut medium micrometri medio tubi reſpondeat; ſtructuram ejus aliquantiſper variari jubet. Sine micrometro micrometriam exercere ſatagenti ſuadet, ut tubo cruribus circini immiſſo capiatur diſtantia punctorum objecti viſi quæſita & in ſcalam Geometricam exactiſſime diviſam transferatur. Poſtquam igitur micrometrorum ſtructuram abſolvit, illorum ad tubos applicationem docet, ubi una proponit regulam inveniendi, quot partes micrometri ſingulis ſecundis & minutis reſpondeant, ab ea, quæ vulgo recepta eſt, differentem. Capienda eſt diſtantia micrometri a lente objectiva (incluſa etiam hujus craſſitie) in particulis milleſimis, pedis & aſſumtæ cujuslibet aperturæ micrometri quantitas in eadem menſura indaganda. Quo facto, inferatur: ut diſtantia micrometri ad aperturam ejusdem; ita ſinus totus ad tangentem vel ſinum anguli quæſiti. Exhibet quoque micrometrum aliquod extra tubum uſurpandum & objectiones diluit, quæ ab imperitis contra uſum micrometrorum formari poſſent. Impedimenta remoturus, quæ micrometriam difficilem reddunt, mentionem facit remedii, quo *Hugenius* teleſcopia a tubi optici molimine liberavit, & ex Actis A. 1707 p. 419 citat, quæ de *Campani* quodam invento commemorentur, hactenus tamen non evulgato. Ubi obiter monemus Celeb. *Wolfium* noſtrum ſuſpicari, totum illud inventum conſiſtere in unica lente plano-convexa, cujus diameter 30 & plurium pedum, latitudo autem ſolita multo major. Ipſe enim expertus eſt, per tabulam vitream plano-convexam, cujus convexitatis diameter 30 pedum, longitudo duorum, latitudo $1\frac{1}{2}$ pedum, in ipſa

Digitized by Google

pſa luce meridiana, ſine ullo tubi molimine, duobus oculis apertis, ad diſtantiam duorum milliarium Germanicorum ædificia monti ſuperſtructa diſtinctiſſime videri potuiſſe. Autor ſuadet (ex *Hugenii* nimirum Dioptrica) ut ſpeculorum planorum ope tubi coarctentur & ad obſervationes ſiderum commendat micrometrum ſimpliciſſimum, in Actis A. 1708 p. 346 delineatum, quod tamen melius præſtatur per *Newtoniana* inventa catoptrica. Coronidis loco ſpeciales quosdam micrometri uſus & obſervationes micrometricas recenſet, quarum nonnullas ex proprio penu promit. Diametrum Solis in Apogæo conſtituit 31′ 35″ in Perigæo 32′ 44″. Diametrum Solis verticalem occaſui proximi non ſemper eandem invenit. E. gr. A. 1707 d. 28 Sept. reperit eam 26′ 46″; A. 1709 d. 22 Sept. 28′ 8″; cum transverſa in priori eſſet 32′ 5″, in poſteriore 32′ 36″. Tandem micrometra microſcopiis applicare docet.

Richtige Invention einer gantz neuen Pulver-Mühle/
i. e.
MACHINA NOVA AD MATERIAM PULveris pyrii conterendam aptiſſima.
Autore F. R. V. J. Sacræ Cæſareæ Majeſtatis Architecto Militari.

Ratisbonæ, 1701, in 12. Conſtat pl. 1½.

Autor in machinis, quibus ad conterendam pulveris pyrii materiam vulgo utuntur, reprehendit, quod nimis lente nec ſine incendii periculo materia conteratur. Cum itaque didiciſſet, attritu marmorum ignem non excitari, aliud molendini genus huic uſui aptiſſimum propoſuit, cujus ſtructuram ſchematiſmus, a nobis deſcriptioni Autoris ſuperadditus adumbrat. Sunt ſcilicet AFBE duo lapides ex marmore parati una cum cylindro HK circa axem ipſius mobiles. Diameter AB 6, 7 vel 8 pedum, craſſities DE 8 digitorum, diameter foraminis NQ 6 digitorum. LM eſt lapis marmoreus horizontaliter poſitus, cujus margo ultra reliquam ſuperficiem duobus digitis aſſurgit. Ferrum HO va plum

TAB, VI Fig. 7.

Digitized by Google

plumbeo circumdatur, ut oleum commode infundi poſſit ad reſtinguendum calorem ejus ex attritu ortum. Reliqua ex his determinantur. Quamvis vero, ut verum fateamur, hoc molendini genus novum non ſit; ejus enim ſtructura a *Bœcklero* in Theatro Machinarum Tab. LXVIII delineatur, niſi quod is monere neglexerit (id quod tamen palmarium eſt) lapides AB & LM marmoreos eſſe debere nec reliqua ſatis accurate deſcripſerit, Noſter vero lapidem curſorem AB geminet; ob inſignem tamen, quem expertus pollicetur, uſum ejus hic mentionem facere non dubitavimus.

NOVA LITTERARIA.

Manuſcripta Marquardi Gudii, excellentis doctrinæ Viri & inter principes olim Criticos habiti, inclytæ Bibliothecæ Ducali Welferbytanæ, itinere in Holſatiam ſuscepto vindicavit Ill. Leibnitius; Sereniſſimo Duce ANTONIO ULRICO theſaurum hunc, difficillimis licet temporibus, pro generoſa ſua in bonas litteras munificentia redimente; ne aut diſſiparetur, aut Germania exportaretur. Theſaurum autem merito appellamus inſignem numerum Manuſcriptorum Codicum, imprimis antiquorum Græcorum & Latinorum, quibus non pauci inſunt nunquam editi, plurimi digni qui editis conferantur. Et pauciſſimæ ſunt in Germania Bibliothecæ publicæ, quæ Gudianæ privatæ (quam Morhofius Reginam privatam vocat) ea in re præferri potuerint.

Cum nuperrime ad nos delatus ſit Diarii Veneti, de quo M. Julio dicere cœpimus, Tomus ſecundus, nunc iſtud tantum e novis litterariis, quæ fuſius illic nuntiantur, monebimus, Florentiæ hoc tempore Heinricum Brenkman, Belgam, totum in eo eſſe, ut illuſtrem illum Pandectarum Codicem, qui iſthic cuſtoditur accurate conferat; qua in re ſocium laboris habet Italum κριτικότατον Antonium Mariam Salvini, qui pari etiam ſtudio libros Baſilicorum aliaque Græcorum monimenta, quorum plura ſunt Florentiæ, cum legibus civilibus diligenter comparat. De reliquis dicemus Menſe proximo.

ERRATA.

Pag. 198 lin. 21 pro *p. 23* lege *p. 32*; pag. 200 lin. 10 lege *a Perſono p. 28 jam correctum*; p. 352 l. 14 lege ἀμετρίᾳ & l. 15 lege τετρακτὺν.

Digitized by Google

N. XI.

ACTA ERUDITORUM,

publicata Lipſiæ

Calendis Novembris, Anno MDCC X.

SEPTUAGINTA INTERPRETUM TOMUS ultimus, continens Pſalmorum, Jobi, ac tres Salomonis libros, cum Apocrypha ejusdem nec non Siracidæ ſapientia, per JO. ERNESTUM GRABE, S. T. P.

Oxonii, e Theatro Sheldoniano, 1709, in fol. & 8.

Alph. 2 plag. 12 in 8 & Alph. 2 plag. 10 in fol.

EOdem ordine, quem A. 1708 p. 193 ſqq. in T. I Codicis C. I.
Alexandrini a *Cl. Editore* vidimus obſervatum, hic etiam
in *Prolegomenis* procedit, Cap. I notitiam Codicis ſui quo-
ad hunc Tomum ſubminiſtrans. Ipſi, qui hic continentur, libri §. 2.
ςιχηρῶς ſcripti ſunt omnes, quod *vetus Patrum inventum* ex
Heſychii Hieroſolymitani teſtimonio confirmat, ipſumque etiam
Origenem in Hexaplis textum τῶν ō ita exhibuiſſe ex Euſeb.
H. E. VI, 16 probat. Hinc Stichometrias docet natas, *Nicepho-
ri* puta *CPlitani*, & illam quam *Cotelerius* judicio de Barnabæ
Epiſtola inſeruit, quarum tamen & inter ſe & a MS. Alexandri-
no magna ſit diſcrepantia, quod exemplis declaratur. *Capitum
diſtinctionem* nullam in Codice dari, præterquam quod *Pſalmi*
cujuslibet principium vel titulum minio librarius exaraverit.
Pſalmis in iſto Codice præfiguntur I *Athanaſii ad Marcellinum* 3.
Epiſtola, Pſalterii dignitatem Pſalmorumque ſingulorum in va-
riis caſibus uſum declarans. Hanc inde ab Athanaſii ævo Pſal-
teriis præmitti ſolitam, licet in variis Athanaſii editionibus exſtet,
hic tamen Vir Clariſſimus ex membranis S. Patri fere coævis cor-
rectiorem haud paulo & pleniorem, quam in Montfauconii et-

iam Editione extat, repræſentavit. Sequitur 2 *Euſebii* Pamphili
§. 4. ὑπόθεσις, qua de Hebræorum diviſione Pſalterii in quinque libros, deque diverſis diverſorum Pſalmorum Autoribus ac inſcriptionibus notatu digna traduntur. Hanc *Montfauconius* Euſebii Commentariis in Pſalmos præmiſit, nec habet tamen, quæ additur in Cod. Alex. ἀκολουθίαν, ſive ſeriem Pſalmorum ad Davidis Hiſtoriam pertinentium, juxta temporis, quo compoſiti fuerunt, ordinem, quæ ἀποσπασμάτιον eſt ipſius Euſebii commentariorum, ut luculenter Autor demonſtrat. 3 Περιοχαί εἰς τοὺς ψαλμούς, quæ p. 2 Edit. Montf. ὑποθέσεις τοῦ Ευσεβίου vocantur, quibus Syriacæ & Arabicæ Pſalterii verſionis Autorem
5. vel Editorem uſum docemur. 4 Κανόνες τῶν ψαλμῶν Ἡμερινοί καὶ νυκτερινοί, quæ omnia ex MSto Prolegomenis ſuis in-
6. ſeruit. Poſt hæc ſequitur ipſum *Pſalterium*, ſubnexis *V.* & *N. T. Hymnis & Orationibus*, quæ in pleriſque Codicibus Pſalterio junguntur, addito in quibuſdam Exemplaribus, inter quæ & Alexandrinum, Ὕμνῳ ἑωθινῷ, cujus initium Δόξα ἐν ὑψίστοις Θεῷ; de quo Commentatio D. *Thomæ Smithi* extat inter ejus
§. 1. Miſcellanea p. 133 ſqq. ut alios nunc taceamus. Hic non poſſumus non meminiſſe, quomodo Vir Cl. antiquitatem ſui Codicis ab objectione vindicet, quæ fieri Hymnorum, de quibus diximus, occaſione poterat. In inſcriptione ſc. *Hymni B. Mariæ* ex Luc. I Θεοτόκου nomen illi tribuitur, unde videri poterat, Codicem Alex. poſt III demum Concilium Oecumenicum, quod Epheſi Seculi V anno 30 B. Virgini titulum hunc aſſeruit, eſſe conſcriptum. Hic vero magna cum diligentia Patrum conquiſivit loca, qui ante dictum Concilium Θεοτόκον Mariam appellaverunt, quod tamen tum demum contra Neſtorium autoritate
7. publica confirmabatur. Ad *Jobum* quantum attinet, illius liber in Alexandrino MS. multum a primæva τῶν Ο verſione recedit, quippe non Origeniana ſolum ſupplementa exhibens, quæ ſunt in MStis omnibus, (ſecus ac in Pſalterio quod ex κοινῇ deſcriptum additamentis his omnibus ferme caret) verum & hic commata quædam ac verba ſæpe mutans, ut Romanum adeo Exemplar huic quoad Jobum longe ſit præferendum. Hujus interpolationis tempus & autorem cum quæreret *Grabius*,

Digitized by Google

us, eo tandem quærendo pervenit, ut haud abſque fundamento
ſuſpicetur, Alexandrinum exemplar *Lucianæam* τῶν ō *reviſio-*
nem quoad *Jobi* librum exhibere. Cumque conſtet ex Hiero-
nymo, *Luciani exemplaria CPli uſque Antiochiam eſſe prolata*,
citationes libri Jobi apud *Chryſoſtomum* extantes, cum *Romano*
pariter ac *Alexandrino* exemplari compoſuit, quod faciens cum
deprehenderet, iſtas huic ſæpius quam illi eſſe conſonas, certior
factus eſt conjecturæ, utque nos etiam certiores redderet, dictas
citationes cum utroque Codice collatas Lectoribus repræſenta- §. 8.
vit. Sunt tamen in hoc quoque libro loca, ubi Alexandrinum 9.
exemplar accuratisſimam habeat lectionem, ea ſcilicet quæ
Lucianus intacta reliquerat. His expoſitis ea recenſentur ac-
curate, quæ minio ſcripta ſunt in hoc Codice, quo labore con-
firmatur, quod ſupra dictum eſt, capitum diſtinctionem hic eſſe
nullam.

Cap. II ratio hujus Editionis Pſalmorum &c. & me- C. II.
thodus explicatur. Superfluum enim videri poterat libros hos §. 1.
metricos denuo excudere, poſtquam non in *Waltoniano* ſolum
opere diverſæ hujus Codicis lectiones ſint adnotatæ, ſed & in-
ſuper *Galeus* A. 1678 Pſalterium & *Junius* A. 1637 Jo-
bum ex Alexandrino Codice ediderint, hoc etiam anno 1663
Franequeræ recuſo. Enimvero quoniam & *Galei* liber multis
ſcateat adhuc mendis, non ſemper etiam Codice recte lecto (qua-
lia magno numero adducuntur) idemque *Junio* acciderit, & 2. 3.
Huiſſo, qui *Waltonum* in variis lectionibus colligendis adjuvit
(quod itidem teſtimoniis probatur) non inutile putatum eſt, ſi
& hi libri ea, qua Octateuchus, induſtria recuderentur. Jam
de emendationibus, diſtinctionibus, ſignis, quæ habet, plane ſunt
eadem, & æque uberrimis illuſtrantur exemplis, ac in T. I fa-
ctum fuiſſe obſervavimus.

C. III Editos recenſet & MStos, quibus in hoc C. III.
negotio uſus fuit, libros. *Complutenſem* ex illis ad *Ec-* §. 1.
cleſiaſtici lacunas ſupplendas maxime ſibi fuiſſe uſui dicit, qui
perfectiſſimum ejus textum habere demonſtratur. *Aldinum* ex- 2.
emplar & *Romanum* ſecutus eſt in *Jobo*, & ex Romano etiam
inſignem Alexandrini MSti in *Pſalterio* defectum a Pſ. XLIX,
19. ad Pſ. LXXIX, 11 ſupplevit, ut alias ſingulorum librorum

Digitized by Google

§. 4. Editiones taceamus. E MStis, quantum ad *Pſalterium*, *Bodle-*
5. *janis* aliquot inſignibus uſus eſt, quorum antiquiſſimum Seculo X
videtur ſcriptum. In *Jobo* elaborando pariter illa ſolum *Biblio-*
theca fuit contentus, inſignia Catenarum volumina offendens,
in quibus textum *Jobi* a *Lucianeis* interpolationibus liberum de-
6. prehendit. Eadem Grabio in *Proverbiis* (præterquam quod
Sapientiæ librum, in quodam Regiæ Bibliothecæ libro latentem,
ſerius accepit, nec novas emendationes ſuppeditare ani-
madvertit) *Eccleſiaſtæ* & *Cantico* fuerunt adjumento. Atta-
men cum *Sapientiæ* & *Eccleſiaſtici* nullus in Anglicanis MStus
extet Codex, *Vindobonenſium* duorum MStorum collationem
a Junio olim conſignatam a Celeb. Bentlejo habuit, ad quem ſche-
7. dæ hæ Junianæ pervenerunt. Imprimis autem uſus *Gallica-*
no Pſalterii exemplari, ab *Hieronymo* ex Hexaplari Editione cor-
recto, & cum obelis ac aſteriſcis Latine edito. Quod cum
aliquoties lucem viderit, illa præſto fuit Viro Cl. editio, quam
Martianæus T. I Operum Hieronymi inſeruit. Contulit autem
impreſſum cum uno *Cottoniano* MSto A. C. 703 exarato, &
8. duobus recentioribus *Lambethanis*. Juxta hunc & alius *Hiero-*
nymi labor priori ſimilis in *Jobum* præſto fuit, cujus primam fa-
cultatem publice *Martianæus* l. c. fecit. Hujus tamen Editionem
multis deturpatam vitiis ex *MS. Bodlejano* partim, partim e textu
τῶν ο' & Auguſtini Commentariis emendavit & ſupplevit, ob-
9, 10. elos etiam quoſdam & aſteriſcos reſtituit. *Patres* denique (in-
ter quos *Euſebium* præcipue in *Pſalmos* laudat) conſuluit, &
ex illorum allegationibus dubias lectiones conſtantes, deprava-
tas meliores reddidit, eorum tamen locorum non habita ratio-
ne, quæ vitii ſuſpicionem habebant, aut interpolationis.
C. IV. Capite IV illorum locorum prolixum & Criticis utiliſſi-
mum texit catalogum, quæ ſola ex conjectura emendavit, nec il-
lis prætermiſſis, de quorum cogitavit quidem correctione, ſed
9. quod ea non nimis eſſet facilis, textui inferre dubitavit. Quod
ultimus vero poſt primum ſtatim, omiſſis tantiſper Tomis
intermediis, prodierit, hæc eſt ratio. Spes nempe facta fuit
Cl. *Grabio*, fore, ut celebrem *Maſii Codicem*, qui *Herbornæ*
Naſſoviorum delitescere dicebatur, quoque ad *libros Hiſtoricos*
eden-

Digitized by Google

edendos opus apprime habebat, nanciſceretur. Quæ res cum poſtmodum extracta, nunc etiam adhuc ſit dubia, *Prophetis* autem procudendis duo *Codices Gallici*, quorum etiam tam cito copia fieri non poterat, deeſſent, ad præmittendos metricos, ne diutius exſpectarentur ſui labores, tantum non eſt coactus. Ceterum videre nondum potuit Grabius, cum Tomum hunc ederet, ea quæ in *Diario eruditorum Pariſ.* M. Decembr. A. 1709 p. 525-571 ipſi a Salmanticenſi Theologo, eo ipſo, qui A. 1709 Epiſtolam de reſtitutione Textus LXXviralis edidit, ſunt oppoſita. Offendit bonum virum, quod Alexandrinus Codex a Grabio præferatur Vaticano. Quapropter his ad Abbatem B. (Bignonium ſummum Virum) literis contrarium plane nititur probare. Quin & Editionis Grabianæ rationem perſtringit, quod tamen argumentorum genus non nimiæ ſolet eſſe gravitatis. Haud dubitamus, fore, ut Cl. Grabius & huic Viro ſatis cetera modeſto reſpondeat, & Sainjorium etiam non prætermittat; ſi tamen hujus, quam tenet, ſcribendi ratio, pro argumentis contumelias ſpargens, requirat reſponſionem.

Ἡ παλαιὰ Διαθήκη.

i. e.

VETUS TESTAMENTUM EX VERSIONE LXX Interpretum, juxta exemplar Vaticanum cum Scholiis, variis Lectionibus & Fragmentis veterum Interpretum; edidit LAMBERTUS BOS, L. Gr. in Acad. Franequ. Profeſſor.

Franequeræ, apud Franciſcum Halma, 1709, 4 maj. Alphab. 8 pl. 5.

GRæcis literis, quas docet publice *Celeb. Boſius*, ulterius quotidie promovendis navat operam. Ter jam in Actis, A. 1700 p. 419 & A. 1702 p. 183 nec non Supplem. T. III p. 314 vidimus ejus ſtudii documenta. Nunquam tamen adhuc æque quam nunc luculentum, cum pretioſiſſimum divinæ linguæ theſaurum, LXX viralem puta verſionem, cum publico communicat. Præmiſit huic Editioni ſuæ *Prolegomena* tribus Capitibus

Digitized by Google

bus diſtincta, quorum primo & ſententiam ſuam de LXX Interpretibus declarat, quæ eadem ferme eſt cum *Hodii*, & diverſitatem Interpretum per ſingulas partes eundo exemplis oſtendit. Addit denique de utilitate hujus verſionis aliqua, quam demonſtrat 1 ex ejus in primitiva Eccleſia uſu frequenti, tum Apoſtolorum & Patrum in allegatis, tum in privata lectione Chriſtianorum & Judæorum Ἑλληνιςῶν; 2 ex facilitate quam ἐξηγήσει Novi Fœderis affert, uti Heinſius, Grotius, Keuchenius, Pearſonius affatim id declararunt; 3 ex eo denique, quod ad verum Scripturæ ſenſum indagandum faciat plurimum, quippe cum melior ſæpe ſit lectio τῶν ō quam Codicis, quem habemus, Ebræi. Exempla hujus rei afferre conatur varia. Sic Gen. XXIII, 13 duriſſima nunc Ellipſi dicit legi אִם־אַתָּה לוּ, cum commodius multo foret, ſi cum LXX legas אִם־אִתָּה לִי, ἐπειδὴ πρός ἐμοῦ εἶ, quoniam mihi faves, quemadmodum phraſis Ebræa eodem fere modo Græce reddita occurrat 4 Reg. X, 6. Nec cenſet tamen propterea præferendum Ebræo Græcum eſſe Textum, quippe qui & ab Autoribus elementa ſimilia ſæpe confundentibus non ubique purus prodierit, & a librariis adhuc magis ſit deturpatus.

C. II Codicum Vaticani & Alexandrini præſtantiam, Editionumque variarum qualitates varias indicat. Se purum Textus Vaticani juxta Romanam editionem exemplar hic repræſentare docet, in quo nil mutarit, præter Apocryphorum ordinem, quos ad calcem Canonicorum repoſuit. Addita ſunt & Romanæ Editionis ſcholia variantesque, quotquot conquiri potuerunt, Lectiones. De Alexandrino Codice dum loquitur, obſervaſſe ſe dicit in eo quædam Jonicam redolentia dialectum, v. g. τέςςερα pro τέσσαρα, λήμψομαι pro λήψομαι, quæ nolit a Cl. Grabio mutata, cum idiomati potius linguæ quam vitio ſcriptoris ſint tribuenda; cum & aliqua fugiſſe loca monſtrat, quibus vera fuerit ſcriptura reſtituenda, qua in re magnum laborem ille locavit. Quin & circa loca quædam a Grabio per conjecturas emendata & reſtituta ſua quoque affert cogitata omnino doctiſſima. Sic Jud. XI, 35 habentur in MSto Alex. hæc verba

Οἴμμοι

Digitized by Google

"Οιμμοι θύγατέρ μου, ἐμπεποδοστάτηκας με καὶ σεμνοτάτη, εἰς σκῶλον ἐγένου &c. Vocem σεμνοτάτη ſine dubio ex conjectura & ex lectionis in Codice veſtigiis ſupplevit Grabius: nam ut ab Huiſſo in Polyglottis verba repræſentantur, inter καὶ & εἰς eſt lacuna indicans legi hæc non potuiſſe. Cum tamen vel ſic reſtet obſcuritas, ſcriptum putat Noſter, σύ μονωτάτη εἰς σκῶλον ἐγένου, ſicut 1 Macc. X, 70 dicitur, Σύ μονώτατος ἐφαίρη ἐφ' ἡμᾶς. Exod. XV, 18 βασιλεύων τῶν αἰώνων ſubſtituit Grabius pro βασιλεύων τόν αἰῶνα, ex Philone de Plant-Noæ p. 221. Boſius exiſtimat antiquam retinendam eſſe lectionem, Philonis locum mendoſum putat & ibi quoque ſubſtituendum accuſativum, cum inferius paulo βασίλευε τὸν ἄπειρον αἰῶνα dicatur; quin etiam non Græce ſatis dici βασιλεύων τῶν αἰώνων. Nos ſi ſymbolas afferre liceat, non putamus quidem ex Philonis loco corrigendos τῶν ό, cum ille videatur citaviſſe ex memoria ut inſpicienti patebit, quin potius τὸν αἰῶνα ſcriptum ab iis putamus, quod, ut hoc præterea addamus, cum aliquis, ut æquivocationem phraſeos tolleret, quæ κατ' αἰῶνα etiam poterat ſignificare, in margine per ἐπ' αἰῶνα explicaret, illud poſtea in Textum irrepſit. Nec adeo probanda, qualis nunc eſt, lectio βασιλέυων τὸν αἰῶνα καὶ ἐπ' αἰῶνα. Eſt enim ſemel tantum לעולם in Ebræo· Ceterum mendoſus non videtur Philonis locus: bis enim eadem pagina lin. 9 & 32 repetitur eadem conſtructio Cur autem inferius accuſativum τῷ βασιλέυειν appoſuerit, patet ex verborum Βασίλευε δὴ τον ἄπειρον αἰῶνα ψυχῆς τῆς ἱκέτιδος. Ubi manifeſte patet, concurſum ſex genitivorum ab illo evitatum. De phraſeos autem Græcitate dubitare cur debeamus, non ſatis patet.

Capite denique III quasdam ad aliqua τῶν ό loca obſervationes ſubnectit, quibus ut aliquid in univerſum horum Interpretum Textum elaboret, optare adducimur. Ita egregie quandoque vindicat eorum verſionem, quandoque feliciter corrigit, neque, quod audacius quidam ſunt moliti, aliter ac nunc ab iis in Ebræo fuiſſe lectum, ſæpe ſtatuit, quippe quod correctionibus dein Ebræi Textus anſam dare nonnulli volunt. Exempla duo age hic apponamus. Ezech. XX, 37 ſcribitur, καὶ διάξω ὑμᾶς ἐν ἀριθμῷ; illud autem ἀριθμῷ cum Ebræo מסרת C. III.

mini-

minime convenit, quapropter eos primum ἐν ἀρθμῷ, vel ἐν ἀρθμῷ διαθήκης (hæc enim vox in quibusdam Codd. additur) ſcripſiſſe putat; ſignificat enim ἀρθμός εἰρήνην, συνθήκην, φιλίαν, pacis fœdus, ſecundum Heſychium, quod idem plane eſt cum Ebræo. Amoſ. IX, 6 dubium eſt quid ἐπαγγελία ſibi velit, Ebræo אגרה reſpondens, & diverſum plane ſignificans; hinc ϛραγγαλιαν, quod faſciculum pariter ut vox Ebræa notat, ſcriptum ab Interprete cenſet, maxime cum eandem Textus authentici vocem eodem Græco vocabulo redditam Eſa. LVIII, 6 obſervaverit. Illa jam loca quibus & τῶν ō lectionem tuetur, & in alios paſſim Interpretes obſervationes ſuppeditat, ne multi nimis ſimus, ſunt tacenda.

DEFENSIO RELIGIONIS, NEC NON MOſis & Gentis Judaicæ, contra duas Diſſertationes Joh. Tolandi; Autore JACOBO FATO, SS. Theol. Doctore & in Eccleſia Ultrajectino-Britannica Sacrorum Myſteriorum Interprete.

Ultrajecti, apud Guilielmum Brœdelet, 1709, 8.
Conſtat plag. 16.

TOlandum in duabus, quas menſe Junio anni ſuperioris p. 248 recenſuimus, Diſſertationibus id agere, ut religionem & naturalem & revelatam ſubvertat, Autor oſtendere conatur. Cum enim affirmet, Livium totam religionem patriam pro commento Politicorum, in Magiſtratuum ſubſidium & Sacerdotum emolumentum ſubtiliter excogitato, miracula, præſagia, oſtenta, prodigia pro fabulis habuiſſe; quæſtuoſas ſacrificulorum in miraculis & prodigiis fingendis fraudes; vulgi in oſtentis credendis & variis religionibus amplectendis facilitatem ac ſimplicitatem, Principum & nobilitatis credulitatem falſe perſtrinxiſſe; præter Deos patrios exteros quoque pro nullis reputaſſe; nec gentilem, nec Chriſtianum, nec Judæum fuiſſe: ut ipſum Atheiſmi ſuſpectum reddat, lapidem omnem movere. Quod ſi excipias, *Livium* interne Deum incorporeum coluiſſe; hoc admiſſo

Digitized by Google

miſſo, ipſum neceſſario vel Judæum, vel Chriſtianum fuiſſe regerit. Neuter ſi fuerit, fieri haudquaquam potuiſſe, ut aliud præter naturam & materiam Numen agnoſceret: quæ Atheorum opinio. Addit, ſi Deum incorporeum, omnium conditorem ac moderatorem, agnoviſſet, miracula, præſagia, oracula non fabulæ aniles viſa fuiſſent. Enimvero poterat *Livius* religionis patriæ abſurditatem agnoſcere & ob externam quandam quam Judaica & Chriſtiana, utut levem & perexiguam, convenientiam a ſerio utriusque examine abſtinere, ſolamque religionem naturalem amplecti. Naturaliſta ergo fuisſet, non Atheus. Poterat miraculorum fictorum, quæ ſacrificuli jactabant, nullitatem perſpicere ac proinde ad miracula Judæorum ac Chriſtianorum non attendere. Quoniam itaque *Tolandus* audacem religionis irriſorem & nefarium hypocritam *Livium* facere Noſtro videtur; ipſum quoque Atheiſmi ſuſpectum evadere concludit. Sed hoc iis etiam proprium, qui eundem cum Chriſtianis Deum, aſt ex præſcripto rationis ſolius, colunt. Poſtquam vero operoſe adſtruere conatus eſt, quod *Tolandus* religionem a ſuperſtitione non diſtinguat, immo religiones omnes confundat & injuſte traducat: eorundem patrocinium acturus, Ethnicam pariter atque Judaicam & Chriſtianam hoc potiſſimum argumento defendit, quod in ſingulis unius ſummi Dei omnipotentis, cœli & terræ opificis, notio retenta fuerit. Probat igitur, illas religiones naturalem involvere: verum tamen eas contra Naturaliſtas & Atheos propugnaturus de iis potiſſimum diſpicere debebat, quæ in unaquaque naturali ſuperadduntur. Quoniam vero *Tolandum* ulterius inſimulat, quod omnes legum ſacrarum latores & religionum fundatores, conſequenter Chriſtum ipſum (abſit blaſphemia verbo) impoſtores vocet; omnes ſacrorum antiſtites fraudis ac avaritiæ accuſet; ſpiritus incorporeos, adeoque & exiſtentiam Dei, immortalitatem animæ, pœnas & præmia poſt mortem, Numinis providentiam ac metum neget: ea refutaturus, religionum conditores, ſacrorum antiſtites, religionis cultores & miracula defendere, ſpirituum exiſtentiam, immortalitatem animæ & providenti-

am divinam evincere conatur. Spiritus incorporeos dari, ex teſtimoniis Philoſophorum, ex ratione, ex eorum notione & facultatibus, ex phænomenis denique ac oſtentis probat. Ratio ipſi duo argumenta ſuggerit, quod ſcilicet 1 talem naturam eſſe non repugnet (ſed hoc argumentum non ſatis evolvit) & 2 omnes homines in ea ſtatuenda conſenſerint. Quod a notione deſumitur, ex *Carteſiana* Philoſophia notum. Inter facultates entis incorporei refert, quod ſit ſui conſcium & totum objectum ſimul ac ſemel percipiat. Ad phænomena urget, plus dari in rerum natura, quam materia producere valet, qualia ſunt cogitatio, vita, ſenſus, motus ſpontaneus, ſubitæ apparitiones ac diſparitiones ſpectrorum, actiones obſeſſorum, miracula, vaticinia, inventio linguarum & artium. Dum in exiſtentia Dei demonſtranda occupatur, ideo quoque *Tolandum* Atheiſmi reum pronunciat, quod affirmet, nomen Jehovah aliaq; Deo in ſacris tributa, ut cum dicitur α & ω, primus & ultimus &c. eſſe æquivoca & Atheiſmo æque ac Theiſmo apprime congruere. Aſt non perpendit, nomina hæc Deo tribui ob aſeitatem. Quæcunque autem ex notione entis a ſe immediate deducuntur; nec ab Atheis negantur, ſed in iis Athei cum Theiſtis conveniunt. Ea niſi conſideremus, facile nobis imponet Atheus. Admittet enim quam lubentiſſime, Deum eſſe ens a ſe, æternum, independens, a quo omnia entia reliqua ita pendent, ut ſine eo ne unico quidem momento ſubſiſtere valeant, cui acceptum referri debeat, quicquid realitatis in ente ubivis obvio deprehenditur, eſſe beneficum, potentiſſimum, omnium poſſibilium perfectiſſimum, numero unicum; obligare entia quælibet ad certas actiones edendas, ipſumque hominem, ut ex præſcripto rationis vivat. Talia nimirum ex notione entis a ſe deducuntur, adeoque ab eo admittenda ſunt, qui ens a ſe admittit, quod nemo ſanus exiſtere negat. Unde conſequitur, eum contra Atheos parum proficere, qui iſtiusmodi tantummodo probat. Eorum profecto molimina ſubverſurus demonſtrare tenetur, ens a ſe non poſſe eſſe machinam hujus univerſi, ſed eſſe Rationem quandam ſupremam, quæ per rationes finales eſſentias rerum exſculpſerit & iis in tempore exiſtenti-

ſtentiam ſuperaddiderit. Tale nimirum ens eſſe ens a ſe, cum Chriſtianis conſentiunt, quotquot ab Atheorum grege ſecedunt. Ad ea cum non ſatis attenderit Autor, multa profert, quæ quidem Entis a ſe, at non Dei, quem nos veneramur, exiſtentiam evincunt. Dum argumentum *Carteſii* de idea entis perfectiſſimi urget, more communi infert: Per abſtractionem formata non eſt. Ergo innata. Demonſtrare autem præterea debebat, quod nec per arbitrariam compoſitionem ad imitationem aliorum notionum fuerit efficta, vi eorum quæ in Actis A. 1707 p. 509 leguntur. Providentiam Dei aſſerturus, ad teſtimonia ſcriptorum ſacrorum & profanorum, rationem ſanam & phænomena provocat. Argumenta rationis hæc ſunt. Deus ſemper vivit, agit & cogitat. Ergo hujus mundi regimini ſe immiſcet. Mens noſtra totum corpus nutu ſuo regit & extremas mundi viſibilis partes cogitatione ſua pertingit. Ergo multo magis mens præſtantiſſima Deus omnia moderatur. Deus eſt bonus. Ergo paternam curam adhibere debet in creaturis ſuſtentandis & adminiſtrandis. Inter phænomena urget ordinem ac motum ſiderum perennantem, ſpecierum conſervationem, ſocietatis humanæ inter tot malos homines & ſpiritus malignos in perniciem generis humani conjurantes ab interitu vindicationem, imperiorum vaſtiſſimorum everſionem, miracula & vaticinia: ubi multa occurrunt, quæ contra originem mundi ex fortuito atomorum concurſu faciunt. Pro animæ immortalitate argumentatur cum *Carteſio*: Dividi nequit, quia incorporea. Ergo nec corrumpi. Sed hoc eſt negare menti, quam a corpore diſtinctam & independentem eſſe aliunde jam conſtat, talem corruptibilitatem convenire, qualis corpori competit, & mentis interitum ab iisdem cauſis pendere poſſe, a quibus corporis interitus proficiſcitur. Argumentatur porro: Deſiderium immortalitatis omni homini eſt innatum adeoque a Deo. Ergo cum is fallere nequeat, anima immortalis eſſe debet. Item: Deus juſtus pios remunerari impios punire debet. Sed hoc non ſemper in hac vita contingit. Anima ergo hominis immortalis. Hac vero occaſione *Tolandi* opinionem optime perſtringit, qui in Epiſtola ſecunda ad *Serenam* Anglice conſcripta doctrinam de immortalitate animæ ab *Ægyptiis* ex nimio & ſuperſtitioſo mortuo-

 rum

rum cultu derivatam eſſe contendit. Denique cum *Tolandus* cum *Balio* aſſerat, *Atheiſmum* Reipublicæ minus nocere ſuperſtitione: contrarium acriter propugnat. Aſſumit autem, Atheum ex genio ſuo unice vivere ſuumque commodum quærere, nec ullum boni & mali moralis diſcrimen agnoſcere, quin potius ſtatuere, nihil eſſe juſtum aut injuſtum natura ſua, hoc eſt, ſupponit, Deum menti humanæ legem tuliſſe, cujus nulla ex ipſius natura ratio reddi poſſit nullumque obligationis principium in ipſa mentis natura contineri. Valde itaque verendum, ne momentum controverſiæ non ſatis aſſecutus fuerit. Demonſtrandum ſcilicet erat, rationes legum a natura humana petitas non tantum valere in voluntate hominis inclinanda, quantum valet ratio immediate a voluntate divina petita, quodque Numinis metus a ſceleribus rectius avocet, quam pœnarum civilium formido. Hæc ſunt, quæ Autor contra priorem *Tolandi* diſſertationem oppoſuit. Pace Viri clariſſimi quædam ſubinde annotavimus, non quod ab Antagoniſtæ ipſius partibus ſtamus, ſed quia periculoſum judicamus argumentis partim non ſatis firmis, partim non adæquatis religionem contra Atheos & Naturaliſtas defendere.

In poſteriore diſſertatione, quam Originibus Judaicis *Tolandi* opponit, *Huetium* a cenſura *Tolandi* vindicat, cujus demonſtrationem ad refellendos religionis irriſores perutilem, principiisque ſatis firmis ſuperſtructam eſſe oſtendit. Hinc in ſpecie in locum *Diodori Siculi* lib. I ſub finem & alterum *Strabonis* lib. 16, quem utrumque ab *Huetio* perperam adduci aſſeverat *Tolandus*, inquirit, & oſtendit, *Huetium* & ante ipſum *Juſtinum* atque *Cyrillum* non ſine prægnantibus rationibus pro *Mneve Moſen* habuiſſe, ab ipſo *Huetio* jamdum ſufficienter expoſitis. Quoniam vero ſibi perſuadet, ipſum *Tolandum Moſen* & gentem *Judaicam*, ejusque regionem & religionem pro tali habere, qualem a *Strabone* haberi contendit, *Moſen* ab imputatione Pantheiſmi vindicat, terræ Judaicæ feracitatem ex ſcriptoribus ſacris, ex auctoribus exoticis, ex hodœporicis probat, Judæos Ægyptios non fuiſſe oſtendit, eorum veram

ram

Digitized by Google

ram proſapiam deducit, tandemque religionem a Moſe inſtitutam defendit.

EXCERPTA E LITTERIS CHRISTFRIDI WÆCHTLERI IC. ad I. B. M.

EX iis, quas Sectione VII Tomi IV Suppl. nuper edita inſertas video, Obſervationibus ſacris conſultiſſimi Viri, Jo. Friderici Hombergii de Vach, vel unicus Syneſii locus, qualemcunque hanc nobis inſpectionem ſuppeditavit. Mentionem enim illius cum fecerit ad 1 Cor. XV, 29 p. 40, incideritq; in illum, monſtrante Hug. Grotio de J. B. & P. Lib. I c. 4 n. 7, in quo tractando tunc verſabatur Noſter, arripienda iſthæc occaſio nobis videbatur, ad eliciendas, ſi ita videretur, obſervationes quasdam ad libros Hugonis Grotii. Locus Syneſii ſumptus eſt ex epiſtola illius quarta, ad Evoptium fratrem. Et quanquam fragmentum illius tantum attuliſſet Grotius, ſtatim tamen deprehendit Dn. Hombergius, ſervire id cauſæ ſuæ & ὑπὲρ ψυχῆς adhiberi a Syneſio eo ſenſu, quem cauſalem poſſimus cum Hombergio vocare, atque adeo lucem inde aliquam accipere verba Apoſtoli ὑπὲρ τῶν νεκρῶν. Integer locus iſte exhibet verba gubernatoris navis, qui erat Judæus, & ſub occaſum Solis clavum e manibus, ob inſtantem Paraſcevem, abjecerat. Neque ille, cum ſuborta jam eſſet tempeſtas, mutabat conſilium, ſed τὸ βιβλίον ὑπανεγίνωσκε, *librum ipſe tacitus legebat*, interprete Jacobo Cujacio. Tandem cum jam ad medium noctis res eſſet extracta, & inſtans periculum animo obſervaretur, a nemine rogatus, ſponte ad gubernacula ſeſe admovet: νῦν γὰρ inquiens, ὁ νόμος ἐφίησιν, ἐπειδὴ νῦν σαφῶς τὸν ὑπὲρ ψυχῆς θέομεν, *Nunc enim lex facere iſtud permittit, quoniam nunc incurrimus præſens vitæ periculum.* Suppleo enim τὸν κίνδυνον. Laudat hic Judæum H. Grotius, quod cauſam neglectæ legis de Sabbatho veram reddiderit. Baronius autem cum in eundem Syneſii locum incidiſſet Apparat. n. 13, cenſuram Caſauboni meruit utique. Neque enim dixit Syneſius, tota nocte cum ſequenti die, usque ad di-

ad dimidium noctis proximæ ſediſſe Judæum otioſum, ac tunc demum ſponte rediiſſe ad clavum. Sed neque frigidam attulit ei Scioppius, quem hic latere ajunt; quando non conſtat de Latino interprete, quem Baronius hic exſcripſerit. Primus forte errorem hunc non erravit ille. Certe non debebat. Sed anſam errori dederunt verba Syneſii anteriora: *Τὴν δὲ νύκτα τῇ μετ' αὐτὴν ἡμέρᾳ λογίζονται, καθ' ἣν οὐδενὶ θέμις ἐστὶν ἐνεργὸν ἔχειν τὴν χεῖρα*, Cujacius, *Noctem ſequenti ipſam die ponderant*, rectius Dionyſius Petavius, *Paraſceves noctem cum ſequenti die computant Judæi, qua die nulli manum licet operi admovere.* Gubernator vero illius navigii quamvis noſſet hanc legem, prima tamen ſtatim nocte, atque adeo in ipſo Sabbato, ad clavum regreſſus eſt. Et cogita jam præterea, an Epiſtolam hanc ſcripſerit Syneſius eo tempore, cum jam eſſet Epiſcopus? Nam quinta Epiſtola, quæ proxime ſequitur, ad illum characterem pertinet haud dubie. Sed perturbatus eſt omnium Epiſtolarum harum ordo: quod facile patebit, ſi eas, quæ Epiſcopatum Syneſii produnt, ad quem ſubito aſpiravit, & citra gradus abreptus fuerat, ſeparavero a reliquis. Ad illam claſſem refero nobiliores has: 5, 9, 11, 12, 13, 14, 57, 58, 66, 67, 72, 76, 79, 89, 95, 105, 121, 128; ſecundum ſeriem ſcilicet qua extant. Sed hæ iterum ſi ad ordinem temporum, quo ſcriptæ ſunt, exigantur, ita collocandæ erunt, ut prima fiat, quæ nunc eſt 105, ſequatur eam 95, 11, 13, 66, 72, (in utraque enim dicit, ſe nondum expleviſſe annum in Epiſcopatu) de reliquis nihil definio. Nam Lucas Holſtenius in Diſſertatione de Syneſio & de fuga Epiſcopatus multo adhuc pauciores Epiſtolas in hanc rem conduxit, nobisque ſpicilegium veluti reliquit ſatis copioſum. Petavius autem parum intereſſe rebatur, dummodo omnes legerentur, in Not. fol. 59.

FRIDERICI RUTSCHII, ANATOM. ET BOtanices Profeſſoris, nec non Academiæ Cæſareæ Naturæ Curioſorum Collegæ, Theſaurus Animalium primus, cum Figuris æneis.

Amſte-

Amſtelodami, apud Joannem Wolters, 1710, 4.
Plag. $12\frac{1}{2}$ Fig. æn. Tab. 7.

AUtor celeberrimus, primum huncce Animalium Theſaurum cum publico communicans, tantum quidem objectorum curioſorum, in quinque conclavibus a ſe nitide aſſervatorum & per theſauros majores ac minores apte diſpoſitorum innuit numerum, ut nemini hactenus cuncta perluſtrare licuerit; moleſtiorem tamen omnium & ſingulorum deſcriptionem poſthac eo minus expectare jubet, quo ardentius reliquos Theſauros humanos ante obitum, quem ſupremum Numen quam diutiſſime ab ipſo avertat! ſtudet abſolvere. Tali autem methodo Theſaurus præſens, unus ex minimis, occurrit concinnatus, ut non ſolum animus illorum ſaturari valeat, quibus animalia exotica, piſces puta, quadrupedia, aviculas & inſecta volupe eſt adſpicere, ſed & qui conchyliis ac ſtudio botanico delectantur. Eum namque in finem phialæ, objecta continentes, ſubere, veſica & ſerico villoſo rubro ita habentur obturatæ, ut pedamentorum vice una inſerviant impoſitis aut conchyliis Indicis rarioribus ramuliſque marinis, aut florum herbarumve faſciculis elegantioribus, modo cum piſciculis rariſſimis Indicis, balſamo induratis, modo cum ſimilibus & talibus inſectis, quæ ex vegetabilibus iſtis victum quæritant. In aſſere ſpeciatim primo Avicula Ceylonica quadricolor, Papilio Turcicus verſicolor, Perca Amboinenſis volans, Locuſta Africana, Veſpertilio Indicus, Avicula Indiæ occidentalis mellivora, Papilionculus cæruleus Pettiveri, Aranea tricolor ex Capite bonæ ſpei, Scorpius Africanus, Turdus Indicus verſicolor, Ceroſtes Ceylanicus cinereus, Crabo Africanus ruber, Echinomelocactos Americanus ſpinis brevioribus, Echinus marinus Turcicus, cum nonnullis Serpentibus, Erucis atque Lacertis, comprehenduntur. In altero vero aſſere longe plura exhibentur animalia, e quibus duos piſciculos Africanos rariſſimos, quorum alterum intuitu lobi plani, caput inter & abdomen dependentis, lobatum, alterum ob gutturis extenſionem gutturoſum Noſter appellat, Lacertam Africanam itidem gutturoſam, Loliginem cum ſuo ovario, Bufoni ſimile Americanum animal pedibus poſterioribus anſerinis, Pipa & Pipal incolis

Digitized by Google

lis Zurinamenſibus audiens fœtusque ſuos in dorſo producens, Orbem Curacaovienſem, Piſciculum Indicum rotundum, nummularis nomine Autori venientem, Holothurium Ceylanicum velivolantem, Armadillæ & Crocodili fœtum, Rajæ iidem fœtus, teſtas atque ovarium, nominaſſe ſufficiat. Ejusmodi nihilominus animalia aſſervandi & exornandi ratio quo evidentius pateat, juvabit Tabulam, quæ Noſtro quarta eſt, cum Figuris adponere, modo Radicis Aconiti flore cœruleo, Seminisque Daturæ & Cicutariæ vim deleteriam ab Autore exemplis fuiſſe comprobatam monuerimus.

Tab. VII.

Fig. I. Congeries conchyliorum, & ramulorum marinorum &c.

Fig. II. Bufoni ſimile animal Americanum, Pipa & Pipal, indigenis dictum, pedibus poſterioribus anſerinis.

A. Pipa. B. B. Fœtus e dorſo emergentes. C. C. Cavitates ſeu utriculi, e quibus exierunt fœtus. D. D. Calyces adhuc cooperti ſuo operculo, ſub quo fœtus occultantur.

Fig. III. Phiala in liquore continens aliam Pipam, cujus dorſo ab Autore aperto conſpici poteſt, ſc. neque ovula, neque fœtum, commercium habere cum abdominis cavo.

A. Pipa. B. Fœtus ſub calycibus ſeu utriculis adhuc occluſi, ita ut nondum in conſpectum veniant. C. Calyces ſeu utriculi, e quibus exiere fœtus. D. Dorſi vertebræ. E. Subſtantia muſculoſa. F. Portio cutis circumnexa. G. Congeries conchyliorum & ramulorum marinorum, per quæ repunt fœtus Pipæ.

MIRA METAMORPHOSIS LIGNI IN MINERAM ferri, per experimenta comprobata, ex literis JOH. GEORGII LIEBKNECHT, Mathematum in Academia Giſſenſi Profeſſoris, ad CHRISTIANUM WOLFIUM, in Academia Halenſi Mathem. Prof. datis excerpta.

Quæ

ıB. VII
Ɩ. 4, 5.

Digitized by Google

1.1710.




Fig. 3.

Digitized by Google

QUæ nuper de trunco quodam ligni in mineram ferri mutato ſcripſi, Te, Vir Clariſſime, ſuaſore examini ulteriori ſubmiſi. Nec piget laboris: probari enim poſſe didici, quæ ante nonniſi ſuſpicabar. Recte autem mones, duo expendenda eſſe, utrum ſcilicet ſubſtantia, de qua loquor, revera lignum extiterit nec ne, & num aliquas ferri particulas contineat. Quin primum αὐτοψία Te doceat, nullus dubito: vides enim in portione gemina, quam mitto, corticem EF, diſtincte ſecernis fibras DG, haud difficulter a ſe invicem ſeparandas, utut maſſa integra firmiſſima & duriſſima exiſtat, ita ut chalybi alliſa ignis ſcintillulas ipſa quidem illæſa emittat; medullam ab altera ſine labore multo ſeparabis atque in pulverem comminues. Quantum autem ex hiſce partibus ligni eſſentialibus conjicio, truncus fagi fuit, qui admirandam hancce metamorphoſin paſſus. Neque vero ex vano aſſero, ipſum in mineram ferri abiiſſe, cum multis id argumentis comprobare valeam. Non ad colorem provoco, quo ferrum æmulatur; non ſplendorem urgeo, quem poliendo induxi; non ſtridorem & reſiſtentiam allego, quam in mortario contuſæ expertus, certe majorem ea, quæ in minera ferri ſatis divite deprehenditur; nec gravitatem ſpecificam urgeo, qua mineram ferri ſuperavit: ea enim nonniſi probabilitatem pariunt. Alia igitur majoris roboris profero. Æqualis maſſæ noſtræ ac alterius cujusdam mineræ ferreæ in mortario probe contuſæ portiones aquæ immiſi, ut a particulis terreis utraque liberaretur: ubi non ſine jucunditate maſſæ noſtræ celerius, quam mineræ ferreæ particulas fundum petentes conſpexi, qui tamen deſcenſus, ablutione ſæpius repetita, æqualis fere deprehenſus. Negare tamen nequeo, particulas tandem mineræ ferreæ celerius maſſa noſtra deſcendiſſe, ubi ſatis expurgatæ fuerant, utut ablutione abſoluta hæc iſtis tantillo ſpecifice gravior adhuc deprehenderetur. Cum illam ulterius torrendo expurgaſſem, tuo conſilio aquam cum oleo vitrioli affudi, quod optimæ notæ mihi tradiderat Collega honoratiſſimus, Dn. D. *Bartholdus* Chymiæ apud nos Profeſſor, & mox ebullitionem cum calore notabili halitumque inde aſſurgentem notavi: id quod non ſimplice vice diverſo tempore in aliorum præſentia repetii. Notatu

TAB. VII Fig. 4, 5.

Digitized by Google

tatu vero dignum judico, quod minera ferri in locum noſtræ maſſæ ſubſtituta calorem multo minorem produxerit. Tanto magis igitur de ferrearum particularum præſentia ſecurus cum Phyſico urbis noſtræ Dn. D. *Antonio* partes regulinas quæſivi & ſeparatis ſcoriis inveni, utut non ſatis perfectas, quoniam nimia curioſitas nos adigebat, ut ignem juſto citius removeremus. Et hæ quidem partes, ut ipſe experiri potes, tuusque ex Anglia nunc redux *Hæniſchius* teſtis oculatus confirmabit, non modo cum oleo vitrioli vehementer efferveſcunt, verum etiam a magnete trahuntur. Ad eas autem obtinendas ſequentem adhibuimus methodum. Maſſam in pulverem groſſum redactam & poſtmodum torrefactam ſali tartari fixo commiſcuimus, ignique contumaci aperto & ventoſo mediante crucibulo impoſuimus, quo poſtmodum liquefacta cono fuſorio infuſa fuit. Inter transfundendum pyramidem calefactam ſevoque illitam malleo concuſſimus: quo facto regulus Martis in fundo inventus, mediante malleo a ſcoriis ſeparatus.

Anfangs-Gründe aller Mathematiſchen Wiſſenſchafften.

hoc eſt,

ELEMENTA MATHESEOS UNIVERSÆ, edita a CHRISTIANO WOLFIO, in Academia Fridericiana Mathematum Profeſſore Regio.

Halæ Magdeburgicæ, in bibliopolio Rengeriano, 1710, 8.

Conſtat 5 Alph. 10 plag. Tab. ænear. plag. 14.

MUltiplicem Mathematum tum in intellectu perficiendo, tum in ſcientiis promovendis, tum deniq; in vita communi uſum cum Autor, Collega noſter indefeſſus, expenderet, atque ipſa experientia edoctus eſſet, deſiderari adhuc librum, in quo ad illa via plana ac brevis ſternatur, hoc eſt, omiſſis ſuperfluis neceſſaria clare ac diſtincte proponantur & theoriæ ad praxin ſtatim applicentur; Matheſeos univerſæ Elementa muneris ſui ratione exigente nec ſine aliorum hortatu edere conſtituit. Germanico

Digitized by Google

nico autem idiomate eadem conſignare placuit, cum in Germanorum uſum conſcripta ſint, utque iis etiam, qui litteris operam non dant, aditus ad ea concedatur. Monemus tamen Lectorem, Latinam quoque editionem jam ſub prælo ſudare, ut eodem labore illorum conatus juventur, qui Germanicam linguam non callent, aut Latina magis delectantur. Totum opus in quatuor Tomos diviſum. In primo commentationem de Methodo Mathematica, Arithmeticam, Geometriam, Trigonometriam & Architecturam civilem: in ſecundo Pyrotechniam, Architecturam militarem, Mechanicam, Hydroſtaticam, Aerometriam & Hydraulicam: in tertio Opticam, Catoptricam, Dioptricam, Perſpectivam, Trigonometriam Sphæricam, Aſtronomiam, Chronologiam, Geographiam & Gnomonicam: in quarto denique Algebram communem, Analyſin infiniteſimalem illuſtris *Leibnitii* & appendicem de præcipuis ſcriptis Mathematicis reperies. Quid Mathemata in perficiendo intellectu humano præſtent, in Præfatione docuit Cl. Autor. Quid enim vires intellectus humani valeant, ſi iisdem recte utamur, ex Algebra imprimis, Geometria ſublimiori & Aſtronomia liquet. Quare Algebram ita expoſuit, ut quælibet præcepta ad problematum ſolutionem applicentur, quibus tota Matheſis univerſalis, difficiliora Arithmeticæ ac Geometriæ communis & palmaria Geometriæ ſublimioris de Curvis continentur, ut appareat, ope Analyſeos facilius proprio Marte inveniri, quæ ab aliis more veterum jam demonſtrata difficilius percipiuntur. Eundem porro in finem, ubi progreſſus caſuum in infinitum occurrit, theoremata generalia inveſtigare docuit, ut conſtaret, nec caſuum infinitatem obſtare, quo minus ad omnes æque parati ſimus, modo ratione rite utamur. In Aſtronomia vero monſtravit, quomodo ex obſervationibus leges tam apparentiarum, quam verorum motuum conſtituantur ſiderumque natura cognoſcatur, ut nemini obſcurum eſſet, ex principiis, quæ prima ſpecie abjecta & ſterilia videntur, quam maxime abdita Naturæ erui, ſi ea rite meditari detur. Genuinum virium intellectus uſum methodus Mathematica monſtrat. Ejusdem itaque leges non modo ſub initium Tomi primi breviter licet, plenius tamen quam alibi

 publi-

Digitized by Google

publice hactenus factum, expoſuit; ſed eam ipſam quoque omnibus diſciplinis paulo ante commemoratis, quantum rerum natura tulit, applicuit, ut hac ratione oſtenderet, nec eas diſciplinas, quæ maximam partem experientiis ſuperſtruuntur, Geometrarum methodum reſpuere, nec aliter intellectum ex obſervationibus & experientiis, quam notionibus abſtractis ratiocinari. Ab Arithmetica, Trigonometria & Algebra, tanquam ſpecialibus inveniendi methodis, regulæ inveniendi univerſales abſtrahuntur & in ſpecie Algebra ſummæ perfectionis, quæ in Artem ratiocinandi cadit, ſpecimina exhibet. Illarum adeo methodos ex primis notionibus deduxit & quomodo ex iis, quæ per ſimpliciores inventa ſunt, aliæ magis compoſitæ & abſtruſiores eruantur, docuit: quo ipſo demonſtratum dedit, niſi methodi inveniendi ad ſpeciale quoddam objectum applicentur, generalia tantum præſcribi poſſe, quæ & ipſa parum proſunt niſi applicata. Continent Scientiæ Mathematicæ clavem ad Naturæ arcana reſeranda: id quod potiſſimum perficitur, Geometria, Trigonometria, Mechanica, Hydroſtatica & Algebra ad Phyſicam applicata. Quare non modo eas diſciplinas pro hoc ſcopo ſufficienter expoſuit; verum etiam in Opticis & Aſtronomicis ad Matheſeos cum Phyſica connubium conſtanter digitum intendit: Aerometriam inſuper in numerum Scientiarum Mathematicarum primus retulit, atque in appendice ad Algebram quæſtiones nonnullas Phyſico-Mathematicas ſolvit, plura ſuo tempore alibi additurus. Continent quoque Scientiæ Mathematicæ clavem quandam Univerſæ Artis. Eum in finem præter praxes Arithmeticas & Geometricas in Architectura, tam civili, quam militari, & in Mechanica præſertim atque Hydraulica multa traduntur. Hiſtoricis proderunt Chronologia & Geographia. Ut iis conſuleret, quibus Matheſeos ad vitam civilem applicatio curæ cordique exiſtit, non modo in Arithmetica conſuetas regulas tradidit & in ſcholiis ad regulam trium præſtantiora Practicæ Italicæ compendia expoſuit, Geometriæ praxes in campo variis modis exercendas deſcripſit, quos inter unus ope pyxidis magneticæ & inſtrumenti transportatorii regulis parallelis inſtructi abſolvendus, quantum

tum

Digitized by Google

tum conſtat, alibi nondum publice propoſitus: ſed & in Architectura civili doctrinam de quinque ordinibus eorundemque uſu principiis facilibus ſuperſtruxit; totam ædificandi praxin regulis concinnis comprehendit & omnium delineationum Architectonicarum rationem aperuit; in Architectura militari legibus fundamentalibus ex notionibus muniendi, oppugnandi, & defendendi deductis & muniendi formis, Belgica, Comitis de *Pagan*, *Blondelli* atque utraque *Vaubanii* per varia problemata traditis, una cum irregulari muniendi methodo, ea quoque conſiderat, quæ in munimentorum extructione attendenda; in Pyrotechnia pulveris 'pyrii' præparationem & præparati examen, utrumque rationibus ab experientia petitis munitum, tormentorum ac mortariorum ſtructuram, delineationem, ſtereometriam, onerationem ac directionem, una cum inſtrumentis ad operandum requiſitis & globis ferreis, plumbeis, lapideis, lucentibus, incendiariis &c. tormentum inſititium & cuniculos ſubterraneos deſcribit; in Mechanica non (quod vulgo fit) ſimplicium machinarum vires demonſtraſſe contentus, ſed multa præterea de ipſarum conſtructione viriumque motricium inanimatorum & animatorum diverſa applicatione una cum arte libellandi tradit; in Hydroſtatica ad variorum problematum ſolutionem doctrinas transfert; in Hydraulicis machinis omnes conſiderat, quibus aqua in altum elevatur; rationem aquæductuum fontiumq; ſalientium & methodos diverſas exponit, quibus aquæ ſalienti variæ figuræ inducuntur; in Optica ſpeculorum conficiendorum & tuborum ac microſcopiorum componendorum vitraque poliendi praxes, aperturam lentium via experimentali definiendam aliaque hujus generis fuſe perſequitur; in Chronologia calendarii conſtructionem, & in Gnomonica facilem horologiorum ſolarium deſcriptionem docet. Qui hiſtoriam litterariam curant, notitiam ſcriptorum præcipuorum ex appendice Tomi quarti non ſuperficiariam haurient. Singularum enim diſciplinarum ſcriptores præſtantiſſimos ita recenſuit, ut una judicium de iis tulerit & momenta progreſſus ſcientiarum præcipua annotarit: unde innoteſcit, quemnam pro di-

Digitized by Google

verſo ſcopo diſcentes ſibi præ aliis ducem maxime fidum eligere queant. Ut perſpicuitati, quantum fieri poſſet, litaret, ſingula eo ordine propoſuit, quo mentem ſubire debent veritatem perſpecturi, nihilque meditantibus ſupplendum reliquit, quod non per citationes in memoriam ex antecedentibus facile revocatur, in problematum ſolutionibus ſingulos actus ſuis numeris inter ſe diſtinxit & calculorum integros typos exhibuit, quo ipſo Aſtronomiam (cujus hactenus compendium quoad calculos Geometricos & Trigonometricos deſideratum) atque Algebram perfacilem reddidit. Verbo: ita Elementa hæc conſcribere intendit, ut, ſi quis clara & diſtincta voce ſibi hæc prælegat, viva vox doctoris acceſſiſſe videatur. In Arithmetica praxes demonſtrationibus ex notionibus proxime derivatis ſtabilit. E. gr. diviſionem fractionum ita demonſtrat: Vi definitionis fractionem datam per aliam datam diviſurus invenire debet, quoties hæc in iſta contineatur. Jam cum ex natura numerorum conſtet, nonniſi homogeneos, h. e. eandem unitatem ſupponentes, inter ſe comparari poſſe; fractiones dividendæ & dividens ad communem denominatorem reducendæ ſunt & in numeratoribus reductarum diviſio inſtituenda. Cum itaq; numerator fractionis, quæ dividendæ æquivalet, ex ductu numeratoris dividendæ in denominatorem dividentis; numerator vero alterius ex ductu numeratoris dividentis in denominatorem dividendæ enaſcatur; evidens eſt, non alia re opus eſſe, quam ut dividens inverſa in dividendam ducatur. Simili ratione ex legibus multiplicationis compoſitionem Quadratorum & cuborum demonſtrat, indeque regulas extrahendi ex utraque potentia radices derivat. In Geometria pleræque demonſtrationes ad æqualitatem Triangulorum reducuntur, theoremata de ſolidis per methodum infinite parvorum demonſtrantur, alia autem per calculum Arithmeticæ vulgaris. In Architectura civili rationes eorum redduntur, quæ hactenus rationibus deſtituta fuerunt. Quædam de iis ſpeciminis loco in medium proferemus. Perfectionem ædificii in omnimoda ejus cum finibus fundatoris convenientia conſiſtere ait: perfectionem vero vocari pulchritudinem, quatenus animadvertitur. Hinc per præjudicium ſæpe pulchrum haberi, quod non eſt, aut contra. Caveri

veri autem præjudicia, ſi in fines cum cura inquiratur & cum iis ſtructura conferatur. Pulchritudini non ſatisfieri ex aſſe monſtrat, niſi perfectionis apparentis etiam ratio habeatur, hoc eſt, niſi fiant, quæ neceſſaria videri poſſunt, licet forte non ſint, & ornatus acceſſorius accedat, ædificio extraeſſentialis, quo ad contemplationem ædificii invitentur prætereuntes: qui adeo non nimius eſſe, multo minus pulchritudini ſive eſſentiali, ſive apparenti derogare debeat. Rationes dimenſionum pulchras in Architectonicis probat, quas oculus facile dimetitur. Hæc menſura cum in minutiis fallat, in iis a rationibus bonis recedi poſſe, aliis præſertim id urgentibus. Rationem in caſibus ſpecialibus optimam eligi, ſi ex fine judicetur, utra dimenſio alteram ſuperare debeat & quanta circiter inæqualitas admittatur, hincque catalogus bonarum rationum (quem exhibuit) conſulatur. Eurythmiam in iis obſervandam monet, quæ una conſpici poſſunt, adeoque aliquoties iterandam, in iis, quæ e longinquo integra, in vicinia ſaltem ex parte oculos incurrunt. Cum Vitruvii exemplo ab antiquorum ſimplici ſtruendi ratione Ordinum Architectonicorum originem deduxiſſet; eadem quoque utitur ad reddendas rationes ſingulorum, quæ in hac doctrina conſiderari merentur. Inter alia evincit, membra Ordinum eſſentialia eſſe, quibus aliquid repræſentatur, quod in illa neceſſarium erat, & reliquorum cum his legitimas combinationes edocet, per quas omnis apparatus ornamentorum Architectonicorum proprio Marte ab unoquoque inveniri poteſt. Addit, quomodo ſingulorum membrorum altitudines & ecphoræ definiendæ, combinatione legitime facta. Enimvero cum Elementa ſua omnium uſibus adoptarit, in Præfatione enarrat, quænam unicuique omittenda ſint, prout hunc vel alium ſibi elegerit ſcopum. Specialiora non addimus, niſi quod moneamus, Autorem in Theoricis unice *Keplerum* ſequi, cum inter intelligentes ſatis conſtet, ipſum primum naturæ conſonam theoriam prodidiſſe. Hac autem ratione Copernicanum ſyſtema defendere cogitur, contra quod vulgo Scripturæ autoritas allegari ſolet. Enimvero evidentiſſime demonſtrat, perperam in hac controverſia ad Scripturam provocari. Cum enim profecta

ſit

ſit a Deo ſapientiſſimo in uſum hominum tam plebejorum, quam eruditorum; amborum quoque captui adoptari debuit. Quare ſi quando conſiderationibus phyſicis ad potentiam, ſapientiam & bonitatem Numinis hominibus perſuadendam utatur, aut alio quodam fine de rebus phyſicis loquatur; in phænomenorum nuda recenſione ſubſiſtere, nequaquam vero ad eorundem ſolutionem progredi debet, nonniſi in Matheſi & experimentis multum verſatis perſpiciendam. Scripturæ igitur interpretes veras cum vocibus jungere debere notiones, eas nempe, quæ a rebus præſentibus abſtrahuntur, niſi Deus ipſe explicuit: qua regula non admiſſa, Scriptura ſacra intelligi nequit aut erit ſine mente ſonus, quod abſurdum. Juxta hanc regulam e. gr. deducit, per ſtationem Solis nonniſi apparentem ejus ad Solis ſitum immutatum intelligi poſſe.

NOUVEAU TRAITE' DES SERINS DE Canarie par Mr. Hervieux.

h. e.

NOVUS TRACTATUS DE PASSERIBUS Canariis, Autore HERVIEUX.

Pariſiis, apud Claudium Prudhomme, 1709, 12.

Conſtat plag. 15.

PAſſeres Canarii, qui ex Canariis inſulis ad nos primum delati, ſuavitate cantus ſeſe commendant. Sed ſingulari cura opus eſt circa pullorum præſertim generationem ac educationem. Autor itaque de iis optime meruit, qui illam gerere decreverunt, cum fideliſſime expoſuerit, quæ in hoc argumento deſiderari poſſunt. Curioſi autem opuſculi lectio nec illis diſplicebit, quos rariorum naturæ phænomenorum cognitio juvat. Singularia enim de avicularum noſtrarum indole ac operationibus annotata reperies. Sed ut ſpecialiora quædam proferamus, monemus, ſuadere Autorem, ut aviaria ex quercu aut ex nuce conſtruantur, cum ob elegantiam, tum ob perpetuitatem. Cancellis ferreis aut cereis eadem inſtrui jubet, quo hominum conſpectui adſueſiant, ne ad eorum adventum (quod alias fieri ſolet) capita ad parietem aut tecta allidant. Caveas cylindri-

lindricas improbat, propterea quod ſpatio deambulandi negato in melancholiam incidant, eumque in finem longas & altas, ſed parum latas commendat. Quodſi cibo nimio ſeſe ingurgitent, & formam perdunt, & ad cantum ſegniores evadunt. Quamobrem ex conſpectu ipſorum, quantum fieri poteſt, removendus. Nidum paraturis dandum eſt fœnum radiis ſolaribus per aliquod temporis ſpatium expoſitum, & ubi fere paratum, aliquid muſci probe itidem exſiccati atque pilorum cervinorum adjiciendum. Circa paſtum plurima obſervanda, quæ hic recenſeri prolixum foret. Ubi pulli 8 aut 15 dies nati cibum ipſimet capere valent, ſingulis caveis ſinguli includendi & in conclavi collocandi, ubi nullius avis vocem percipere datur. Diebus circiter octo elapſis, fiſtula ad cantum excitandi. Caveatur tamen, ne ſonus edatur nimis acutus; alias enim cantui ad internecionem usque indulgent. Per 15 dies priores cavea panno nigro, poſtea viridi tegatur. Lectiones quinque, ad ſummum ſex per diem aviculis noſtris conveniunt, nec pluribus melodiis eodem tempore turbandæ. Duæ nimirum lectiones evigilantibus, una a prandio & duæ cubitum ituris ſatisfaciunt. Genius illarum ac temperamenta valde diverſa. E. gr. Mares fere ſemper triſtes & ad melancholiam nimis proni a cantu abhorrent, niſi continuo aliarum cantu excitentur. Quidam usque adeo maligni, ut fœmellas ipſis ſociatas internecioni dent. Quamobrem ſi aliis maribus deſtituamur, ſuadet Autor, ut duæ fœmellæ ætate unius circiter anni majores mare eidem jungantur, quarum in una cavea per aliquod tempus contracta familiaritas zelotypiæ locum nullum relinquit: cum enim ipſis minas intentat, conjunctis viribus eum eggrediuntur, &, ubi ſe ſuperiores cognoverit, amorem conjugalem promptus præſtat. Quidam ova a fœmellis excluſa devorant, aut pullos in lucem vix editos unguibus correptos ad parietem allidunt, donec enecentur. Hos itaque caveæ in medio aviario poſitæ includi jubet: fœmellam enim, modo marem præſentem contueatur, onus nutriendorum pullorum lubentiſſime in ſe ſolam ſuſcipere, donec elapſis 10 vel 12 diebus iidem removeantur, ut in mutuos amplexus cum mare ſuo denuo ruat. Simili artificio opus eſt,

dum

dum fœmella ovis incubat: ubi tamen notandum, quod interea temporis, cum ea excludit, quæ jam poſita ſunt, in area condantur. Mares cantui continuo indulgentes ſocias in ovis incubandis & pullis nutriendis operas præſtant. Si mas in morbum incidit, cum fœmella ova excludit ipſisq; incubat, caveæ includendus, ut curari poſſit & ne triſtitia fœmella corripiatur, ſubinde ipſi monſtrandus. Eodem modo fœmellarum quoque genium diverſum deſcribit, & plura alia ſcitu non injucunda ſuperaddit.

ANECDOTA GRÆCA, QUÆ EX MSS. Codicibus nunc primum eruit, Latio donat, Notis & Disquiſitionibus auget LUDOVICUS ANTONIUS MURATORIUS, Sereniſſ. Ducis Mutinæ Bibliothecarius.

Patavii, typis Seminarii, 1709, 4.
Alph. 2 pl. 3.

CL. Editor, cujus *de Poeſi Italica* liber nuper in Suppl. Actorum T. IV Sect. 5 p. 203 ſeqq. recenſitus eſt, ſuperiore ſeculo vergente, nempe anno 1697 & 1698, ex Ambroſianæ Bibliothecæ tenebris in lucem protraxit *Anecdotorum Latinorum* Tomos duos in his Actis commemoratos A. 1698 p. 57, & A. 1699 p. 304 ſeqq. Horum plures tomos cum eruditis communicaturus, quam primum pax Italiæ fuerit reddita, interim *Græca* hæc *Anecdota* publici juris facienda ſtatuit. In qua Sylloge primum locum conceſſit CCXXVIII epigrammatibus, a Gregorio Nazianzeno concinnatis. Hujus enim complura carmina adhuc inedita ſupereſſe, jampridem indicarunt Lambecius atque Caveus, quorum ille complura in Vindobonenſi, hic in Bodleiana Bibliotheca latere recondita, publice teſtatus eſt. Noſter ſua maximam partem deſcripſit e MS. codice, ultra ſeptingentos annos aſſurgente, Bibliothecæ Ambroſianæ, quæ Mediolani eſt: quædam ex Bibliotheca Regia Pariſienſi ipſi ſubminiſtravit Jo. Bovinius, librario illi theſauro præfectus: alia Salvinius in Lyceo Florentino Græcæ linguæ Profeſſor, qui & epigrammata quædam hic inſerta reddidit Latinis verſibus haud ineſegantibus: pauca etiam ipſi ſimul edenda miſit Abbas

Digitized by Google

Abbas del Miro, Vaticanæ Bibliothecæ præpoſitus. Inter hæc epigrammata cum haud pauca ſint, ſingularem ingenii vim, qua polluit Gregorius ille, prodentia, non diffitetur tamen Cl. Muratorius, immixta eſſe nonnulla incondita, quæ ex opulento ingenio tumultuarie excidentia Gregorius in tabellas retuliſſe videatur. Præterea etiam obſervat, interjecta eſſe epigrammata quædam ab alio, quam Nazianzeno, profecta. Pleraque horum carminum notis illuſtravit doctiſſimus Editor, iisque partim hiſtoricis & antiquariis, partim criticis, quibus falſam codicum quorundam ſcripturam emendare anniſus eſt. Ut autem de argumento horum epigrammatum rectius conſtet, priora 135 omnia in defunctos eorumque laudem ſunt compoſita: quæ inter cum plura compareant uni eidemque dicata, & omnino quinquaginta in matris ſuæ honorem ab Auctore contexta, (quorum optimum Editori videtur centeſimum decimum quartum) facile apparet, eum fœcundo luxuriantique ingenio liberaliter indulſiſſe. Quod idem colligere fas erit ex ſequentibus. Nam epigrammate 137 & ſuccedentibus usque ad 183 in ſepulcrorum effoſſores invehitur: rurſus epigram. 201 usque ad 212 in Agapetos & Agapetas: denique epigram. 218 ſeqq. in eos, qui in Martyrum baſilicis genio indulgebant. Cetera agunt de Chriſto ac virtutibus quibusdam vitiisque. Primum omnium epigramma in Proæreſium Rhetorem, quo præceptore uſus fuerat Gregorius, quemque *Regis eloquentiæ* titulo publice ornarunt Romani, concinnatum eſt. Omnium autem elegantiſſimum veterumque Græcorum ingenio plane dignum Editori videtur vigeſimum ſeptimum, in obitum Euphemii, doctiſſimi juxta ac ſuaviſſimi adoleſcentis, compoſitum: quod proinde Lectoris in gratiam excerpere viſum fuit, ſubjuncta verſione noſtra qualicunque metrica.

Αἱ χάριτες Μούσῃσι· τί ῥέξομεν; οὐκέτ ἄγαλμα
χειρῶν ἡμετέρων Εὐφήμιος ἐν μερόπεσσι
χ᾽ αἱ Μοῦσαι χαρίτεσσιν· ἐπὶ Φθόνος ἐστὶν ἀμιτρός,
Τόσσον ἔχοι. Ἡμῖν δὲ τόδ᾽ ὅρκιον ἔμπεδον ἔστω,
Μηκέτ᾽ ἀναστῆσαι τοῖον μερόπεσσιν ἄγαλμα.

Gratiæ: *Plangite, Pierides, Euphemius occidit, ipſa*
Gui noſtris manibus præcordia finximus, eheu!

Muſæ: *Invida præpropere quem fata tulere, Sorores,*
Abſtulerint. Cautum aſt nobis jurantibus eſto,
Ne ſimile huic unquam ſimulacrum fingere fas ſit.

Merito tamen, quæ hic & alibi ſæpius de *fato invido* canit
p. 23. Poeta noſter, Cl. Muratorius refert inter reliquias maleſanæ
vetuſtatis, a Poetis & ſcriptoribus Chriſtianis improvide ſer-
vatas. Nos vero inter cauſas ortæ deinceps hagiolatriæ refe-
rimus, cum Gregorius noſter epigr. 97 defunctorum ſuorum
95. parentum auxilium conceptis implorat precibus. Gentilium
enim Oratorum Poetarumque vanitatem imitatus, quod &
Nyſſenum, Gregorium Baſiliumque Magnum feciſſe conſtat,
vulgo locum fecit errandi mortuosque invocandi ſerio, tan-
quam divos. Ceterum cum Gregorii Nazianzeni carmina il-
luſtrarit quidam ineditus ἀνώνυμος Scholiaſtes, qui MStus
itidem deliteſcit in Ambroſiana illa Bibliotheca, ejus ſpecimen
producit Cl. Editor p. 208 ſeqq. De quo ſuſpicamur, eſſe for-
taſſe celebrem illum Johannem Zonaram, a quo Gregorii Na-
zianzeni carmina paraphraſibus elucidata fuiſſe, Lambecius
tradit in ſuis de Biblioth. Vindob. Commentariis, eique triginta
tres paraphraſes ad totidem Nazianzeni carmina, quibus in
codice prædictæ Bibliothecæ nomen nullum inſcriptum eſt,
aſſerere conatur. Ex perdoctis annotationibus Cl. Editoris
unam duntaxat afferre placet, & quidem conjecturam illam,
131 ſeqq. qua ex Epigr. 132 probatum it, Theoſebiam non fuiſſe Gre-
gorii Nyſſeni uxorem, quæ Baronii, Papebrochii, reliquorum-
que omnium eſt ſententia, ſed uxorem Nazianzeni illius Gre-
gorii. Verum hæc ſufficiat dixiſſe de ineditis Gregorianis:
niſi quod obſervamus adhuc epigrammatis CCIV diſticha ſe-
cundum & tertium non jam primum publicari, ut Cl. Editor
credidit, cum ea jam allata ſint a Chriſtoph. Juſtello in notis
ad Concilii Niceni canonem tertium. Alter, cujus Anecdota
Cl. Editor ex Ambroſiana Bibliotheca exhibet, eſt Firmus, Cæ-
277, ſeqq. ſarienſis in Cappadocia Epiſcopus, qui Epheſinæ ſynodo œcu-
menicæ A. 431 celebratæ interfuit, & A. 439 diem obiit ſu-
premum. Hujus nihil unquam fuit editum, ſed primus omni-
279. um Cl. Muratorius jam XLV ejus epiſtolas a ſitu liberatas ac

Latina

Latina verſione donatas evulgat. Quæ licet omnes ſint familiares, ac rerum plane ſteriles, tamen autoris ſui eruditionem produnt, quippe qui bella ſubinde interſperſit adagia, ac ſaltem philologis hactenus non ingratus erit. Tertio loco offert ex eadem Bibliotheca Cl. Muratorius quatuor Juliani Imp. quem Apoſtatam vocant, epiſtolas, a Montfauconio jam laudatas in Diario Italico. Harum primæ, in qua Julianus ab p. 326.
Alexandrinis petit, ut obeliſcum in Alexandrino littore jacentem ſibi mittant, Conſtantinopoli collocandum, initium jam fuerat a Rigaltio, Petavio, ac Spanhemio editum: ſed hic prodit integra. Altera continet edictum, quo acclamationes 332.
ſibi in templa ingredienti fieri vetat. Tertia ad pictorem ſcri- 333.
pta Cl. Editori ita obſcura vel etiam depravata videtur, ut Delio natatore eam indigere exiſtimet. Sed quia nobis quidem ſecus videtur, integrum afferemus Latine redditum epiſtolium, & pace Cl. Editoris explicabimus. Sic igitur Julianus pictori ſcribit: *Si quidem non haberem, & mihi fuiſſes gratificatus, venia dignus eſſes. Sin haberem quidem, non autem uterer, Deos ferrem, vel potius a Diis ferrer. Tu vero, o amice, quare alienum mihi habitum dediſti? Qualem me vidiſti, talem etiam pingito.* Vox *habitus* (σχῆμα) lucem affert toti epiſtolæ. Nimirum Julianus, quem *civilem in cunctos, & in quibusdam Philoſopho propiorem* fuiſſe, teſtatur Eutropius Breviar. Hiſt. Rom. X, 8, 5 & 7, uſus haud dubie eſt veſte mediocri, etiam in hoc imitatus, quem æmulabatur, Alexandrum Magnum, cujus *cultum habitumque paululum a privato abhorruiſſe*, teſtatur Curtius III, 6, 19. Jam cum pictor, gratiam Juliani inepte aucupans, eum ſplendidiſſima indutum veſte ac fortaſſe etiam corona ornatum depinxiſſet, hac epiſtola eum Julianus reprehendit, ita inquiens: *Si non haberem tam ſplendidam veſtem, qua uti poſſem, tu, ſi tali me induiſſes, venia dignus eſſes, eo quod me ampliore honore dignum judicaſſes, tuamque oſtendiſſes in me benevolentiam. At cum Imperatori mihi liceat exquiſitiſſimum habere cultum, nec tamen tali utar, facile conjicere poteras, me id facere ex modeſtia & ex pietate in Deos, tam auguſta forma pingi ſolitos. Ergo*

ſcias, in poſterum me tibi co habitu pingendum eſſe, quo uti ſo-
p. 334. *leo.* Quarta Juliani epiſtola, nunc primum edita, ſcripta eſt ad Arſacem Armeniorum Regem, a quo imperioſe admodum auxilium poſtulat in Perſico bello ferendum. Hujus epiſtolæ obſcuram Ammianus Marcellinus, diſertiſſimam vero mentionem Sozomenus jam olim injecerat. Poſtremo loco Cl. Editor exhibet epiſtolam ad Dionyſium *de incarnatione Chriſti*,
341 ſeqq. quam a Julio I Epiſcopo Romano ſcriptam eſſe, refert Gennadius lib. *de Scriptor. Eccleſ.* cap. 2. Sed eam eſſe ſuppoſititiam, Baronius, Binius, Bellarminus, Petavius ac inprimis Sirmondus in notis ad Facundum Hermianenſem, contendunt: quanquam illi non viderant hanc epiſtolam. Noſter vero
364. ex eadem Ambroſiana Bibliotheca epiſtolam iſtam jam producit. Hæc igitur ſunt Cl. Muratorii Anecdota Græca, quibus ut plus ſplendoris ac gratiæ conciliaret, interſeruit quatuor diſquiſitiones a ſe conſcriptas, quarum argumenta paucis enar-
218 ſqq. rabimus. *Prima* agit *de Syniſactis & Agapetis*, hoc eſt, fœminis, quæ pietatis ſimulatione cum clericis monachiſque easdem incolentes ædes turpem colebant amicitiam. De quibus, quæ jampridem ex antiquitatis monimentis collegere Chriſtoph. Juſtellus in notis ad Can. III. Concil. Nic. & Dodwellus in Diſſert. Cyprian. III, cum adeo elaborata ſint, ut vix quicquam majoris momenti addi a Noſtro potuiſſe videatur, longiori recenſione ſuperſedemus: obiter tantum notantes errorem Flacii, in Catal. Teſt. Verit. cap. 31, ex male intellecto Hieronymi loco tradentis, Agapetos fuiſſe genus quoddam
241 ſqq. hæreticorum. *Diſquiſitione II* agit *de Agapis ſublatis.* Per agapas autem intelligit convivia in natalitiis martyrum celebrari ſolita, oſtenditque, ea primum celebrari conſueviſſe ex indulgentia Patrum erga recens converſos, epulis ſacris in gentiliſmo adſuetos, deinde ebrietate & luxu ea fuiſſe fœdata, ac propterea tandem plane abrogata. Verum cum idem argumentum jam diligentiſſime pertractatum habeamus a Jenenſi Polyhiſtore, Caſp. Sagittario, in tractatu de Natalitiis Martyrum, non ita pridem in Belgio recuſo, integro capite VI, nec hic quidem excerpta dabimus. Repetimus tantum ſa-

nam

Digitized by Google

nam obſervationem, qua ſuam Diſquiſitionem Cl. Muratorius concludit: *Ex his*, inquiens, *diſcimus, ne eos quidem ritus interdum in Eccleſia Dei ferendos eſſe, qui, tametſi a pietate originem habeant, abuſibus tamen nimiis contaminantur.* p. 256.
Tertia Diſquiſitione agit *de ſepultura in templis*, eumque jam T. I Anecdotorum Latinorum diſſ. 17 oſtendiſſet, eam in Occidentis Eccleſiis a vetuſtiſſimis inde temporibus fuiſſe uſitatam, hic de Orientis Eccleſiis idem comprobare nititur, ſaltem quod poſt Conſtantinum M. is mos fuerit in Oriente receptus. Refragari quidem Autoris ſententiæ videtur *lex 6 Cod. Theod. de ſepul. viol.* qua prohibitam eſſe mortuorum intra urbes ſepulturam, permulti credunt: ſed Noſter eam legem ad ſolam urbem Conſtantinopolim arbitratur eſſe reſtringendam. Nos recordati, ſuperiore menſe Auguſto relatam a nobis fuiſſe contrariam de ſepultura in templis ſententiam Cl. Bacchinii, facile inducimur, ut credamus, ſapientiores ſubinde reſtitiſſe, quo minus is ritus ex ſuperſtitione natus in Eccleſiam inveheretur, ſed ſucceſſu temporis ſuperſtitionem tandem prævaluiſſe, libentes largiamur Muratorio. Certe hic ipſe incunabula hujus ritus pandit, cum ex Gregorii M. & Nicolai I Paparum litteris docet, id ideo factum eſſe, ut propinqui defunctorum, quoties in templum venirent ſuorumque ſepulcra adſpicerent, pro eis (e purgatorio liberandis) preces funderent ad Deum. 258 ſeqq. 274
Quarta eademque ultima Diſquiſitione ſub cenſuram vocat illam Julio Papæ tributam epiſtolam, demonſtratque, huic eam perperam adſcribi, nec immerito ejus autorem credi Apollinarem hæreticum. Qua in re cum maxime inſiſtat veſtigiis Sirmondi paulo ante a nobis laudati, ad eum potiſſimum Lectorem amandamus, noluimusque doctis, quibus Sirmondiana jam lecta ſunt, tædioſa præſentis diſquiſitionis recenſione moleſtiam creare. Illa tamen obſervatione Sirmondianas notas auxit Noſter, quod ex Gregorii Nyſſeni opere contra Apollinarem ſcripto oſtendat, eos, quos Apollinari Nyſſenus tribuit errores, totidem fere verbis in præſenti epiſtola deprehendi. Ceterum laude publica dignam cenſemus Cl. Muratorii operam, qua ἀνέκδοτα ex 347 ſqq. 362

Biblio-

Bibliothecis profert in lucem, noſtrumque facimus votum ejus, quod initio Præfationis concepit hiſce verbis: *Utinam conatus noſtros imitarentur alii eruditionis in Italia cultores. Sunt adhuc multa id genus noſtris in Bibliothecis latentia, quæ ſinere diutius cum pulvere tineisque conflictari, aut probrum, aut certe illaudabilis mihi videtur ſocordia.*

ANONYMI Staat von Eiſenach; ANDREÆ TOPPII Hiſtorie der Stadt Eiſenach; JOH. MICHAEL KOCHII Beſchreibung des Schloſſes Wartburg ob Eiſenach.

id eſt,

ANONYMI DESCRIPTIO STATUS SEU PROVINCIÆ Iſenacenſis; ANDREÆ TOPPII Annales urbis Iſenacenſis; JOH. MICHAELIS KOCHII Hiſtoria Arcis Wartburg. Notas ad TOPPIUM & Præfationem ad ſingulos libellos addidit CHRISTIANUS JUNCKERUS.

Iſenæ, apud Joh. Adolphum Boetium, 1710, 8.
1 Alph. 9 plag. cum Iconibus pluribus.

NOn inutile eſt in rem publicam, etiam fragmenta hiſtoriæ colligi cum cura, neque quidquam eorum temere negligi, cum ex his veluti particulis totum denique corpus poſſit confici. Bene hoc jampridem intellexerunt viri docti, quibus libri de ſingularibus locis ſcripti eodem, vel interdum quoque majori, pretio eſſe ſolent, quam alii magnæ molis. Quare laudem juſtam meretur hæc etiam de rebus urbis *Iſenaci*, quæ Thuringiam ornat, monimentorum Collectio; iſthoc volumine a Viro Cl. Chriſtiano Junckero, (qui in præfatione de Scriptoribus ad Hiſtoriam Iſenacenſem pertinentibus, tum editis tum ineditis, diſſerit) cum eruditis communicata. Complectitur illa, veluti titulus oſtendit, docti cujusdam vel in republica verſati viri (qui nomen tamen ſuum voluit diſſimulare,) deſcriptionem totius Principatus, quem Sereniſſimus Dux Saxo-Iſenacen-

nacenſis, DN. JO. WILHELMUS, feliciſſime moderatur, tum Geographicam, tum Civilem, tum *Eccleſiaſticam*, tum Genealogicam; in qua *multa certe occurrunt*, *paſſim non obvia*, & digna ideo fide majori, quam *quæ in libellis vulgaribus* conſueverunt tradi. Cumque Sereniſſimus Dux etiam partem quandam Comitatus Saynenſis ad Rhenum jure materno poſſideat, ideo *nova tabula Genealogica Comitum in Sayn & Witgenſtein* pag. 12 addita fuit.

Quod *Andreæ Toppii*, Paſtoris Eccleſiæ olim in pago Thuringiæ, Tenſted minori, curioſi antiquitatum patriarum indagatoris, Hiſtoriam Iſenacenſem attinet; primus omnium eam integram ex MSS. protulit in lucem memoratus ſupra Cl. Junckerus, qvi tamen adjecit ſuas animadverſiones, p. 206—214, in quibus vel emendata ſunt minus recte dicta, vel novis aucta acceſſionibus.

Johannis autem *Michaelis Kochii* Deſcriptio arcis *Wartburg*, qvæ urbi Iſenaco imminet, altitudine ſua pariter ac vetuſtate coruſcans, & vel Lutheri nomine, qui in ea duriſſimis temporibus delituit aliquandiu, per omnem Germaniam celebris, id agit unice, ut, qvidqvid de dominis ejus, & rebus, monimentisqve, ibi geſtis & adhuc exſtantibus, dici potuit, non erudite ſolum tradatur, ſed hæc etiam, ſimul cum aliquot Principum veterum imaginibus numisqve huc pertinentibus, repræſententur haud ineleganter. Inprimis de *Eliſabetha*, Thuringiæ Landgravia, inter *Sanctas* relata poſtmodum, multa docentur, non omnibus nota, additis ſimul iis, quæ memoriam ejus adhuc usqve in Haſſia paſſim conſervant, ſcitu lectuque dignis. Ceterum malumus, Lectorem talium curioſum inſpicere ipſum librum, quippe plenum bonarum rerum.

AUTHENTICÆ, SEU NOVELLÆ CONSTITUTIOnis prima Dn. JUSTINIANI Sacratiſſ. Principis, nova Verſio, Notis Criticis perpetuis & Commentario illuſtrata, cura JOH. FRIDER. HOMBERGK zu Vach/ *Prof. Jur. in Acad. Marburg.*

Marburgi Cattorum, typis Joh. Kursneri, 1710, fol.
Plag. 8.

OStenderat Autor Conſultiſſimus integra Diſſertatione, Marburgi ſuperiore anno 1709 ad textum Novellæ XXII edita, Verſionem Novellarum non ſolum judicio plurimorum JCtorum ita barbaram eſſe, ut ſine tædio non poſſit legi, & nec intelligi plerumque, ſed & a mente Juſtiniani adeo aberrantem, ut contrarium illi ſenſum nobis alicubi exhibeat, & talem, qui ſine perturbatione Juris non poſſit retineri. Monuiſſe ergo ipſum JCtos quosdam Illuſtres & meritis in Remp. & literas celebratiſſimos ſerio, ut etiam Verſionem novam Novellarum daret, atque illorum juſſui ſine exceptione aut mora ſe obtemperandum putaſſe. Et nunc quidem exhibet nobis Novellam primam, nova veſte indutam: promittitque, in reliquis, quæ ſequuntur, omnem diligentiam ſe adhibiturum, tum ut Novellæ, detracta horrida & ſpinoſa illa facie, cultiores appareant, tum ut errores commiſſi notentur, & ſi qui exinde in Jus ipſum & Opiniones Communes manarunt, detegantur. Nam & in hac inſpectione primæ Novellæ quasdam occurrere controverſias, quæ circa mentem illius ſine cauſa moveantur, & non iis rationibus decidi, quibus ex ipſo textu decidi poterant: multa item non ſatis perpenſa, multa male accepta eſſe. Statim in principio Cap. I annotavit Dn. Hombergius, obſcuriſſimum eſſe hoc comma, nec intelligi poſſe verſionem communiter receptam: *Si, quod præcipitur, legitimum ſit, aut ſi non illud aliqua lex probibeat, vel ſi non ſiat ab eo, qui bonoratus eſt, tamen ratum eſſe expreſſe jam demonſtrat.* Verba enim ipſius textus Græci hic eſſe involuta, & occaſionem erroris dediſſe Haloandro: *εἰ τὸ προσταχθὲν νόμιμον εἴη, ἢ εἰ μή τις αὐτὸ νόμος, εἰ καὶ μὴ γένοιτο παρὰ τοῦ τιμηθέντος, ἀλλ' οὖν κύριον εἶναι ῥητῶς ἀποφαίνει.* Veterem Interpretem recte percepiſſe ſenſum, ſed obſcure expreſſiſſe; niſi deleatur illud *probibeat*, quod etiam Haloander, ſeductus ſine dubio ab antiqua verſione, & verba textus non ſatis examinans, retinuerit. Inde factum, ut particulam *aut* insereret in locum, ubi illa non habeatur & quo etiam inſeri non

non debuerit: *nec ulla id lex prohibeat, aut ut maxime honoratus facere omittat &c.* Melius Cujacium: *vel ſi non id lex aliqua, etiam herede ceſſante, nominatim repræſentet.* Noſter autem verba textus magis rimari voluiſſe profitetur, atque ita transtulit: *ſi id, quod præcipitur, juſtum ſit, aut, niſi illud lex quædam, etiamſi non fiat ab eo, cui honor habitus eſt, ratum tamen eſſe expreſſe declaret.* Hoc ſcilicet ſenſu, ut heres teneatur implere omnem voluntatem defuncti, niſi lex eam repræſentet, i. e. præſtet illi, cui heres debebat, eamque ratam firmam ac ſanctam eſſe jubeat, etſi heres eam non impleat. Id vero probari ex ipſo textu, & verbo ἀυτὸ, *illud.* Dicere enim Imperatorem, *aut niſi lex quædam* illud *ratum eſſe jubeat, etſi non fiat ab herede*; ut ἀυτὸ referatur ad præcedens πϱοςαχθὲν. Patere idem quoque ex verbo κύϱιον, quod enim teſtator juſſit, id lex ratum & quaſi ſancitum habet. Ita κύϱιος νόμος, *lex ſancita*, κύϱιαι δόξαι &c. Quaſi ipſo jure pro impleto habeatur id, quod heres facere juſſus eſt; lege ita volente, & illud ipſum probante, nec neceſſe ſit, heredem præciſe id alteri præſtare. Recte huc afferri a Cujacio, & ex eo ab omnibus reliquis, libertatem a lege repræſentatam; nam & Imperatorem in præfatione ejus mentionem facere. Vulgo referri huc quoque ea, quæ remiſſa ſunt a lege, ut *jusjurandum*, cui ſub jurisjurandi conditione aliquid relictum eſt: item conditionem viduitatis appoſitam, nec non divortii. Sed id fieri plane præter mentem hujus loci. Loqui enim Imperatorem de caſu, quo lex ultro implet id, quod teſtator præcepit; quod certe non fiat in dictis modo exemplis. Imo impedire interdum legem, quo minus id poſſit is, cui præceptum eſt. Jam ad §. 1 c. 1 obſcura Noſtro iterum ſunt iſta: *dum competat ei qui honoratus eſt, quod relictum eſt.* In fonte Græco eſſe quidem participium Aor. 1 ἁϱμόσαντος, ſed id h. l. non attendendum. Dubitat tamen, an ſenſus etiam poſſit eſſe, *cum jam acceperit id quod relictum eſt*; quod propius accedat ad Aoriſtum illum. Sed magis ei placuit: *Si quis, cum relictum congruat illi, cui honor habitus eſt, annum totum traxerit.* i. e. cum tale

Digitized by Google

ſit, ut lex nulla id prohibeat præſtari. Nam ſi non debeat præſtari, vel ſi non conveniat illi, non poſſe imputari moram. Eodem loco comparat Noſter Novellam hanc primam cum XVIII, ratione Tertiæ vel Quartæ, tueturque, in Nov. 1 ſcribi recte, τὴν τετάρτην, etiamſi Haloander & Baſilica legant, κατὰ τὴν τρίτην. Factum id autem ea occaſione, quod in Oriente JCti Græci Novellam XVIII produxerint etiam ad Falcidiam. Et codicem præterea Haloandri Græcum hic eſſe corruptum. Viciſſim & Scrimgeri lectio vapulat Noſtro in iis, ὥστε προτέρω δίδοσθαι παῤῥησίαν τῆς προστελεύσεως τῶν καθ' ἑμάδα φιδεϊκομμισσαρίων, & tertium ſingularem ſubſtituit; quia ſermo ſit de uno tantum fideicommiſſario generali. Paulo aliter deinceps diſtinguit illa verba, ὁμοίως δὲ τὰ αὐτὰ κρατεῖν, ut ad præcedentia pertineant, novum autem comma incipiat, καὶ εἰ μὲν. Sed quid illud ſit, προφάσει τῶν ἀφαιρουμένων πραγμάτων, ego, inquit, non dixerim. Videbat enim, *prætextus* notionem hic vix poſſe afferri. Et recte caſtigatur hic oſcitantia Fabrotti. Sed Codicis ipſius Scrimgeriani Græci, & Baſilicorum vitium iterum accuſat Noſter in illa lectione, καὶ εἰ μὴ παρὰ τῆς τοῦδε τοῦ νόμου τύχοι βοηθείας, pro, καὶ εἰ μὴ τῆς παρὰ τοῦδε τοῦ νόμου. *Auxilium enim venire a lege.* Certe Haloander hic nominandus, ſi non laudandus. Jam Cap. II pr. inſerit textui *illa*, ſcil. Lex Falcidia: *Et hic quidem illa pugnare videtur.* Ibidem tollit οὐκ, εἰ μηδὲν ἐκακούργησαν, ἴσως ἂν ἁρμόσαντα, alias nullum poſſe exſculpi ſenſum. Hunc enim putabat ſubeſſe, *æque, & nihilominus competiiſſe Falcidiam, etiamſi nihil dolo feciſſent.* Laudat §. 1 antiquum Interpretem, qui non legerit, *ſcire oporteat.* Haloander vero, τοῦ χρῆναι, καὶ τὸν τοιοῦτον εἰδέναι κληρονόμον. Διαμαρτυρίαν illuſtrat Noſter ex Polluce & Harpocratione. Et hoc loco denotare eam teſtes ait ad legatarium miſſos, qui aſſerant, illos nolle venire. Ad verba §. 2 δώσει γὰρ, Veterem non intellexiſſe arbitratur verba Græca; ἐκτινοὺς enim non eſſe ſubſtantivum *exactio*; peſſime ergo vertere, *dabit pœnam exactio ſuæ malignitatis.* Noſter autem, *ſed dabit illis*, (quæ ex voluntate defuncti ſcilicet præſtan-

ſtanda ſunt, integra,) *pœnam ſolvens ſuæ malitiæ.* Et confirmaſſe hanc interpretationem Fabrottum. Ad Cap. III τὴν ἀρχὴν confidenter exponit & magno animo, adverbialiter *plane, omnino.* Et allata eſſe exempla *alibi*; *in Parergis* nimirum ſacris, ad Joh. VIII, 25. Ultima denique verba c. 4, μήτε ἐν ῥαθυμίᾳ, recte emendat Hombergius. Ita enim legerat etiam Haloander; ſed rectius ἐν ἀθυμίᾳ, cui opponitur paulo ante μετ' εὐθυμίας. Hæc omnia cum laudabili induſtria præſtiterit Vir Conſultiſſimus tantum non ex ingenio, quid non ab eo ſperabimus, ubi in MSC. codices uno plures fato fortaſſe quodam inciderit aliquando? Poſtquam enim infinita fere MSCta librorum tam ſacrorum quam profanorum ex omnium Bibliothecarum & Archivorum vinculis noſtris temporibus protracta ſunt in lucem, nemo credat, in illa nocte perpetuo manſuram Juriſprudentiæ infelicitatem, quæ illam preſſit a tot ſeculis: ipſo jure humanæ ſocietatis & amore communis patriæ exigente, ne publicis uſibus diutius ſubtrahantur tanti theſauri.

EXCERPTA E LITTERIS CHRISTFRIDI WÆCHTLERI JC. ad J. B. M.

GRatulandum eſt ſeculo, prodiiſſe ex Academia Marburgenſi JC. modernum oppido eruditum in utraque literatura, Jo. Fridericum Hombergium de Vach, cui curæ ſit, ut Juriſprudentiæ, quam in formulariam quandam ſcientiam, & notitiam quarundam opinionum & caſuum uſu vulgi tritarum fere ait degeneraſſe, dignitas ſua conſervetur, eique nova lux paſſim addatur. Certe enim lux additur ab eo Novellæ primæ ſtatim in princ. c. 1, nec potuit excuſare vel tolerare Haloandrum, quamdiu non conſtat, unde irrepſerit in veterem Latinam verſionem, *probibeat.* Sed ecce in Editione Novellarum Græca Pariſienſi MDXLII, ex officina Carolæ Guillard, ſic lego, εἰ τὸ προσαχθὲν νόμιμον εἴη, ἢ εἰ μή τις αὐτὸ νόμος κωλύσειεν, ἢ, εἰ καὶ μὴ γένοιτο παρὰ τοῦ τιμηθέντος, ἀλλ' οὖν κύριον εἶναι ῥητῶς ἀποφαίνοι. Haloander ergo ſi reperit in Græco κωλύσειεν, ἢ, non potuit non retinere in

 verſio-

verſione ſua Latina, *probibeat*, *aut.* Et Noſter n. 20: *ſi tale ſit*, *ut lex nulla id probibeat præſtari.* Franciſcus etiam Duarenus, qui Haloandrinam cum exemplari Scrimgeriano contulit, nihil hic correxit, approbante Ludovico Ruſſardo. Et quanquam deſint illa in Baſilicis, cum iis tamen perpetuo non conſentiunt codices reliqui etiam alibi. *Θεσπίζομεν*, incipit Fabrottus hic, *τȣ̀ς παρὰ τινων γεγραμμένȣς ἢ καὶ τυχόντας ἀποκαταστάσεως τῶν καθ' ὁμάδα τυχὸν ἢ κατ' εἶδος* &c. Scholiaſtes ibidem: *ὡς δὴ* (mendoſe, *μὴ*) *τȣ̃το κατ' αὐτὴν τὴν Φύσιν ὀφειλομένην*, pro *ὀφειλομένοις*, quod retinuit etiam Dn. Hombergius. Porro, *πρὸς ȣ̃ς ἂν ὁ διαθέμενος βȣ́λοιτο, Φερομένη*, pro, *πρὸς ἅπαν, ὃ* &c. Iterum, *ὅπερ οἱ μὲν παραδόντες*, pro *διότι οἱ μὲν.* Et *οἱ δὲ ἀγλώμονες*, pro *οἱ δὲ ἀγνωμόνως.* Deinde ad c. 1 §. 1 annotavit jam pridem D. Gothofredus, in codice Græco Haloandri non inveniri *ἀλλ' ἁρμόσαντος*, ſed *ἀλλ' ἁρμόσαντα*, quaſi ſcriptum eſſet, *τὰ ἁρμόσαντα.* Deeſt ergo in Græco fonte utrobique *dum*, quæ vocula crucem fixit Interpretibus. Dempta autem illa recte Haloander verba retulit ad *ἑλκύσει*, *ſi quis ea*, *quæ honorato relicti nomine competunt*, *extraxerit per integrum annum.* Nam ea, quæ competunt, ſunt utique *τὰ ἁρμόσαντα* abſolute, & citra ullam conditionem, quam textus Græcus hic ignorat. Perinde uti Scholiaſtes Theodorus in proœmio, *τὸ ἐξ ἀδιαθέτȣ ἁρμόζον αὐτῷ*, *hoc*, *quod ei ab inteſtato competit.* Gloſſarium Stephani *ἁρμόζω*, *congruo*, *competo*, *ἁρμόζων*, *competens*, *conveniens.* Phavorinus, *ἁρμόζω, ἀντὶ τȣ̃ ἁρμόδιός εἰμι.* Budæus vero iſtam ſignificandi rationem non expreſſit. Neque offendat nos, eandem vocem in Præfatione occurrere, *competentes deficientium diſpoſitiones omnibus modis impleri.* Nam ibi Vetus Interpres eam de ſuo inſeruit, cum in fonte tantum ſit, *προσήκειν τὰς τῶν τελευτώντων διατυπώσεις πᾶσι πληρȣ̃σθαι τρόποις*, *convenire vel oportere*, ut morientium diſpoſitiones omnibus modis impleantur. Interpres ergo *προσήκειν* aliam habere vim non ignoraſſe cenſendus eſt, etſi eam non putarit in vulgatiſſimo axiomate exhibendam. Similiter Ivo Carnotenſis cum totum ſenſum exhauriret parte

XVI

Digitized by Google

XVI Decreti c. 115 p. 432 omiſit τὰ ἁρμόσαντα. Contius vero omiſit *dum*, velut abundans: vidit enim inſertum a Vetere Interprete: *Sed id, quod competens eſt & debitum, ſolvere totum annum diſtulerit*. Haloander autem religioni ſibi duxit, maluitque aliquid addere, quam demere, *ſed, dum quod juſſus eſt, facere recuſat*, μὴ πράττων τῦτο, ὑπερ προσετάχθη, quod ſane non eſt pejus. Noſter pene eadem ratione retinuit ſubjunctivum, addito *cum*, in vim conditionis, *ſi quis non implens, ſed cum relictum congruat illi*. Nec poteſt adeo ſenſus eſſe, *cum jam acceperit id quod relictum eſt*. Aoriſtus enim hic non mutat ſignificationem. Sic c. 2 pr. ὐκ ἂν ἴσως ἁρμόσαντα. Et Harmenopulus lib. 3 c. 7 n. 8, τὺς ἁρμόζοντας τόκυς. Poteſt tamen æque commode defendi lectio altera, ἀλλ' ἁρμόσαντος, eo ſenſu; ſi quis voluntatem defuncti non implet, ſed, *competente eo*, quod *relictum eſt, illum, qui honoratus eſt*, integrum annum protraxerit, neque faciat quod juſſus eſt. Sic enim ex caſu gignente fiet caſus auferendi, neque mutatur mens legis, vel conditio aliqua intruditur textui, etſi paulatim luctetur. Ratio autem affertur pœnæ, quod heres fuerit in mora implendi, ſciretque, id quod relictum eſt, competere honorato. Quantum ad Tertiam attinet vel Quartam, docemur a Scholiaſte Græco, ſcripturam, quam ſequuntur Baſilica, non eſſe adeo recentem, ſed ſatis antiquam. Et fidem ejus liberavit Fr. Balduinus in Scholiis ad Nov. 1 p. 241. Itaque mirum haud eſt, etiam in MSC. quod nactus erat Haloander ſive ex Florentina, ſive ex Veneta Bibliotheca Marciana, quodque ille primus edidit, extare, κατὰ τὴν τρίτην. Et quando multum ei honoris delatum fuit etiam ab Antonio Auguſtino Obſervat. *L. I c. 3 & L. 3 c. 3*, a nobis utique difficilem non meruit criminationem. Nam ante Haloandrum non niſi cum Latinorum barbariſimis hic conflictabamur. Ille vero primus membranas protulit, *quot ſcilicet extabant tunc, & uti extabant: neq; credo*, inquit, *ultra duo omnino exemplaria, quæ publice aſſervantur in Italia, ullum præterea reperiri, unde harum Conſtitutionum genuinus intellectus peti queat*. De Petro Gudelino conſtat, eum L. 2 c. 11 hic ad Harmenopulum, & Cujacium, ſed & ad Euſebii Chronicon

con nos remittere. Idem cum repetat ex eo Dn. Hombergius, pervelim verba Euſebii & cenſuram Scaligeri ad numerum 1976, Alciati etiam, Broei & aliorum inſpici. Primus etiam Haloander emendavit errorem Veteris Interpretis, περικλησθέντα non eſſe eum, qui excluditur, ſed qui circumſcribitur. Neque tamen inde concludas, vitioſe apud eum paulo poſt ſcribi παρεκκεκλεισμένον, ceu putabat Contius, melius ſtatuente Balduino. Fabrottus autem & Scrimgerus etiam τὸν περικεκλεισμένον interpretantur *excluſum*, quod nollem. Et poſt non multa laudem codici Haloandrino publice tribuimus, ὥςε πρότερον δίδοσθαι παῤῥησίαν τῶν καθ᾽ ὁμάδα τῷ φιδεϊκομμισσαρίῳ, *ut prius adeundi copia detur fideicommiſſario univerſorum bonorum.* Nam Baſilica eandem rem diverſa ratione explicant, ὥςε προτέρῳ δίδοσθαι παῤῥησίαν τῆς προσελεύσεως τῷ καθ᾽ ὁμάδα λαμβάνοντι τὴν ἀποκατάςασιν, *ut prius adeundi licentia concedatur fideicommiſſario generali.* Quantum ad novam diſtinctionem, in Græco textu nihil reſpondet τῷ *aſt*, quod Hombergius addidit. Promptius autem eſt, ὁμοίως δὲ inchoare novum comma, etſi καὶ illud per quandam trajectionem exponatur, *ſimiliter autem & ea* obtineant, quæ jam dicentur, *ut ſiquidem* &c. pro *& ſiquidem.* Haloandrum autem plane hic ſequitur Fabrottus. Atque iterum uterque, εἶτα ἀπολειπόντων, & εἶτα ἀπειπόντων, in translatione omiſit. Illam vero obſcuram πρόφασιν τῶν ἀφαιρουμένων πραγμάτων refero ad ea, quæ paulo ante dicta de auferendis omnibus quæ relicta erant, ita ut denique ad fiſcum perveniant, τὰ ἀφαιρούμενα, *quæ ablata ſunt.* Ac porro, τὸ ἀφαιρούμενον μέρος primo ad ſubſtitutos, & demum ad fiſcum ſumma providentia transferri voluerat Imperator. Haloandri codex plane omittit τῆς in verbis, καὶ εἰ μὴ παρὰ τοῦ δε τοῦ νόμου τύχοι βοηθείας, *& niſi ab hac ei lege auxilium feratur.* Nunc pr. c. 2 idem edidit, κἂν ταῦτα γὰρ μάχεσθαι μὲν δοκεῖ, *tametſi enim pugnare hæc cum voluntate teſtatoris videntur.* Ita perit obſcuritas. Ibidem ἴσως non eſt *æque*, ſed *fortaſſe*, ceu habet Vetus Interpres. Gloſſarium Stephani, ἴσως, τάχα, *fortaſſe*, *forſitan.* Phavorinus, τὸ δὲ τά-

χα,

χα, ἀντὶ τȣ̃ ἴσως, καὶ ἀμφότερον. ἔστιν καὶ μόνον τίθεται, καὶ μετὰ τὸ ἴσως. Ludovicus Charondas, *quæ tametſi nihil dolo egiſſent, fortaſſe tamen non competitura fuiſſet.* Ergo minus bene Fabrotus, *neutiquam,* & quem is ſecutus videtur, Haloander etiam. Contius, *ſi non ſubripuiſſent, ceſſaret; quia ſufficienter erat ibi pro quarta.* Apud Harpocrationem, quid fuerit διαμαρτυρία, verbis Demoſthenis oſtendit Budæus. Et Pollux fragmentum aliquod ex eodem recitat, ceu annotavit Valeſius. Erat nimirum exceptio, quæ apud Græcos vel ab actore vel reo in medium proferebatur ad inhibendam litis conteſtationem, judiciique conſtitutionem, ex mente Budæi, cui junge Phavorinum. Addit tamen Budæus, *non me latet, aliter in Pandectis Græcis pleraque appellari, ſed hæc illis permiſcenda non duxi, quæ recentiora ſecula genuerunt, & e latinis Pandectis magnam partem converſa & efficta ſunt, non vera & nativa.* Apud Demoſthenem igitur non erat productio teſtis. Neque in hac Novella denotat teſtes ad legatarium miſſos, qui aſſerant illum nolle venire. Sed διαμαρτυρεῖν eſt quaſi de ſcripto conteſtari, juxta eundem Budæum; & cum διαμαρτυρίας σελλομένης nollent venire ad Inventarium legatarii, i. e. etiamſi miſſa ad eos eſſet de ſcripto conteſtatio, in præſentia teſtium heres deſcribebat inventarium. Mendum ergo eſt, in Vetere, *conſtitutione ſibi præmiſſa,* pro *conteſtatione.* Et hinc recte Haloander, *teſtato conventi;* Fabrotus, *teſtato moniti.* Gloſſarium Stephani. διαμαρτυρία, *conteſtatio, teſtificatio.* In §. 2 non credam, Veterem ἐκ τινὸς habuiſſe pro ſubſtantivo, *exactio.* Multa enim proſtant veſtigia, Interpretem illum linguæ Græcæ fuiſſe apprime gnarum. Neque mirum, ſi vetuſtiſſima illa translatio æque ad nos attulit veſtigia corrupti codicis, ceu libri juris reliqui. Et pertinet eo Cujacii obſervatio 8 c. 40 per tot. Res ipſa & nervus argumenti jamjam latebat in verbis anterioribus, ἀλλὰ πληρώσει τȣ̀ς ληγαταρίȣς, κἂν εἰ ἡ τῶν ληγάτων δόσις ὑπερ[illegible] τὸ μέτρον τῆς καθαρᾶς ȣ̓σίας. Exhauſit dictionem hanc etiam Julianus Epitomator ſtatim poſt Juſtinianum, *ſciat ſe omnia legata omnia fideicommiſſa ſoluturum,*

quamvis non ſufficiat ſubſtantia teſtatoris. Hæc ſunt ὁλόκληρα τὰ πρεσβεῖα, c. 3. Facile ergo intellexit Vetus ille etiam verba ultima Imp. *dabit eis pœnam*, ἐκτιννὺς (quod non repugnat accipi pro ἐκτίνων) τῆς ἑαυτοῦ κακουργίας, *luens propriam ſuam malitiam.* Deinde ἐκτιννύω & ἐκτίνω notat etiam *exigo pœnam*: ſic πονηρὸς ἐκτιστὴς, *ſtrenuus vel malus exactor, vindex*, apud Baſilium. Potuit igitur ſcripſiſſe, *exactor ſuæ malignitatis*, atque inde librarii lapſu, *exactio.* Et τίννυσθαι *puniri*, apud Heſiodum ἔργ. v. 804. A Fabroto itaque nihil diſcendum hic erat. Nam & Contius pridem vidit, emphaſin latere in verbo πληρώσει, *implebit integram teſtatoris voluntatem, ſine delibatione Falcidiæ.* Dubium non eſt, τὴν ἀρχὴν apud Ælianum & ſimiles ſcriptores ſubinde accipi adverbialiter pro *plane, prorſus.* Neque ignoravit id H. Stephanus in Theſauro. De loco autem Joh. VIII, 25 dubius erat etiam Beza. In Novella vero Noſtra non ponitur vox hæc abſolute, ſicut ibi, ſed reſpondet ei εἶτα ὕστερον, *poſt deinde*, quod perperam omiſit Fabrotus. Ergo duo hic ſunt tempora. Iterum, πρὸ τῶν πράξεων, ἀλλὰ μὴ εἶτα. Si τὴν ἀρχὴν hic eſt *plane* vel *prorſus*, vehementes negativæ concurrunt paulo plures, οὐ μὴν οὐδὲ τὴν ἀρχὴν, *non omnino non permittimus*, cujus dictionis exempla forte apud Poetas & Oratores, at vix apud Juſtinianum; tum vero in eadem oratione. Nam ibidem eſt εὐθὺς ἐξ ἀρχῆς, *ab initio ſtatim*, & iterum, ἀρχὴν δίδομεν *initium damus.* Inter hæc duo autem loca, τὴν ἀρχὴν noſtrum, eſt medium. Unicum addo, locum Dionis Caſſii lib. XLIIX mereri etiam evolutionem Dn. Hombergii in eadem hac cauſa: ὥστε τινὰ - ἔχων. Pro ἄν γέ πη, quod in editione Xylandri eſt, alii γίπη, alii δέπη. Lex Falcidia ita diſponit de ſucceſſionibus heredum, ut aliquis quartam hereditatis, (οἱ vel ᾧ) ſibi relictæ, ſi nimirum gravata ſit, accipiat, reliquum autem transmittat ad eos, quibus teſtator dedit. Dio ſcripſit γέ τοι, vel γε δὴ, vel δή που, aut δέ που, & ἂν pro ἐάν. Et ἀφεῖναι non intelligit de repudiatione; id enim fieret contra intentionem legis. Perperam autem Xylander, *ſi heres adire hereditatem gravetur.* Dio enim plane peri-

peritus fuit ſui fori, nec poterat alias profiteri, quod hæc lex καὶ νῦν ἔτι πλείστην ἔχει ἰσχύν, & ex eo Suidas, totidem verbis.

ADAMI CORTREJI CORPUS JURIS Publici S. Romani Imperii Germanici.

Tomus III.

Francof. ad Mœnum, ex Officina Groſſiana, 1709, fol. Alph. 7. pl. 8.

Tomus IV.

Lipſiæ, ex eadem Officina, 1710, fol. Alph. 4 pl. 13.

POſtquam celeberrimus Autor Tomos duos priores hujus operis, recenſitos a nobis menſe Jan. A. 1708, ediderat, paulo poſt rebus mortalibus ereptus, curam reliquorum Tomorum edendorum Conſultiſſimo Filio Erneſto Ludovico, ſuo in Syndicatu provinciali Magdeburgico ſucceſſori, reliquit. Prodierunt itaque nuper Tomus tertius & quartus. Ille continet *Pacem profanam & religioſam cum obſervatis Autoris hiſtorico-politico-juridicis* ex actis publicis & diverſorum Principum Imperii archivis. In hoc vero reperiuntur primum *Obſervata ad §. Quod ſi vero contigerit 9 Artic. 4 Inſtrum. Pacis Oſnabrugenſis de expungendo Electoratu octavo, Linea Guilhelmiana in Domo Bavarica deficiente, deque Electoratu nono controverſo.* Sequuntur appendicis loco *Acta publica circa Electoratum nonum*, quorum in obſervatis non fit mentio. Hæc excipiunt *Obſervata ad §. Civitati vero Bremenſi 8 Artic. 10 Pacis Oſnabrugenſis, de Civitate Bremenſi in ſtatu, quo tempore concluſæ pacis fuit, relinquenda.* Ultimum locum occupant *Obſervata de regali poſtarum jure Electoribus & Principibus Imperii competente:* quibus juncti ſunt tractatus duo aliorum Autorum recuſi, nimirum *Informatio de jure poſtarum*, Ratisbonæ quondam impreſſa, & *Diſſertio inauguralis Gerhardi Meybuſch de eodem jure*, Argentorati A. 1667 habita. Cum controverſia celebris de Electoratu nono ante biennium feliciter fuerit finita, Sereniſſimo Electore Brunſuicenſi & Luneburgenſi in Collegium Electorale ſolenniter introducto, viſum eſt, præcipua momenta negotii tam ardui ex Obſervatis Autoris noſtri breviter delibare. Cum A.

 1692

1692 Auguſtiſſimus Imperator Leopoldus cum Sereniſſimo Duce Brunſuicenſi & Luneburgenſi *ERNESTO AUGUSTO*, conſentientibus Electoribus, Moguntino, Bavaro, Saxone & Brandenburgenſi conveniſſet, ſe eum in numerum Electorum Imperii recepturum & officium Archi-Banneri ei collaturum, magnæ difficultates fuerunt ſubortæ, diſſentientibus Electoribus, Trevirenſi, Colonienſi & Palatino, multisque Principibus Imperii, inter quos eminebant Rex Daniæ reſpectu Ducatus Holſatici, Epiſcopi, Herbipolenſis & Monaſterienſis, Duces Saxonici Lineæ Erneſtinæ, & Duces Brunſuicenſes & Luneburgenſes Lineæ Guelferbytanæ. Præcipua momenta cauſæ quæſtionibus duabus abſolvebantur: primum an liceat per leges Imperii augere numerum Electorum? deinde annon Principes ab Electoribus in ſocietatem ſuffragiorum hac de re ferendorum ſint admittendi? Pars quæſtionem priorem negans allegabat memoratum § 9 Inſtrum. Pacis Osnabr. ubi conſtitutum eſt, exſpiriante Domo Bavarica, octavum Electoratum, ſub Ferdinando II Imperatore erectum, omnino eſſe expungendum. Allegabant & præfationem Aureæ Bullæ, ubi ſeptem Electores dicuntur *ſeptem candelabra, lucentia in unitate ſpiritus ſeptiformis, per quos ſacrum illuminari debeat Imperium.* Imprimis Status Imperii religioni Catholicæ Romanæ addicti ingens momentum, quod hac ratione religioni Proteſtantium adderetur, graviter exaggerabant. Ad hæc reſpondebatur, non contra, ſed tantum præter leges imperii Novemviratum introduci, & ſi ob cauſas juſtas haud liceret quidquam præter ſanctiones Imperii introducere, neque Electoratum octavum potuiſſe erigi. De religione nihil metuendum eſſe, cum, extincta jam linea Palatina religioni Proteſtantium addicta, hi in Collegio Electorali non niſi tertiam partem ſuffragiorum ſint habituri. Neceſſarias eſſe ad bellum Turcicum continuandum copias illas, quas hac conditione Domus Brunſuicenſis obtulerit, neque Cæſaream Majeſtatem, reſpectu Domus Auſtriacæ, unquam ceſſuram fuiſſe Domui Hannoveranæ, niſi ſalus Imperii & orbis Chriſtiani id neceſſario expoſceret. Alteram quæſtionem de conſenſu totius Imperii requirendo qui affirmabant, hoc potiſſimum argumento utebantur, quod Aurea Bulla & Pax Mo-

Digitized by Google

naſterienſis & Oſnabrugenſis conſenſu *omnium Statuum fuerint conditæ*, ideoq; & ſine hoc non *ſint mutandæ*. Electores reſpondebant, multa eſſe in legibus *publicis*, communi omnium conſenſu conſtituta, quæ tantum ad cognitionem Imperatoris & Collegii Electoralis pertineant: ita Principes de Comitiis habendis ſuffragatos eſſe in Pace Oſnabrugenſi, & tamen ea ab Imperatore, prævia communicatione cum Electoribus ſolis, indici, & quæ ſunt ejus generis alia. Incidebat & alia controverſia circa hoc negotium de officio Archi-Banneri, quod Domus Wurtenbergica hereditarium ſibi eſſe demonſtrabat: qua proteſtatione Imperator commotus declarabat, ſe Domui Wurtenbergicæ nihil præjudicii allaturum, & in inveſtitura novi Electoris officii hujus mentionem non eſſe facturum. Ceterum Principes Eccleſiaſtici, cum viderent, Imperatorem in conſilio ſuo perſiſtere, autoritatem Papæ in hoc negotio implorabant, & præter politicas rationes, myſticas etiam in Aurea Bulla expreſſas, inprimisque periculum religionis urgebant. Tandem res ſub finem A. 1699 eo redacta eſt, ut unanimi Electorum conſenſu decerneretur, nonum Electoratum in Domo Brunſuicenſi eſſe erigendum: ſolennis autem introductio in Collegium Electorum diu fuit dilata, quia deſideriis Principum, auxilium ipſius Regis Galliæ, tanquam Sponſoris pacis Weſtphalicæ, A. 1700 implorantium, nondum per omnia erat ſatisfactum, donec A. 1708, uti jam dictum, res tota ad feliciſſimum exitum perduceretur. Præmiſſa eſt Tomo tertio hujus operis vita Autoris, ex qua breviter præcipua ſubjungemus. Natus fuit A. 1673 V Non. Oct. in oppido Electoratus Hannoverani Mariengarten, ubi tum parens ejus Præfecti munere fungebatur. Poſtquam in Scholis Hannoverana & Cellenſi fundamenta ſtudiorum laudabiliter poſuerat, contulit ſe in Academiam Jenenſem, ibique cum Philoſophiæ tum Jurisprudentiæ egregiam operam navavit. A. 1660 pro gradu Doctoris conſequendo diſſertationem habuit, Alphabeto integro conſtantem, *de conceſſione exſpectativa in bonis allodialibus & feudalibus, iisque ſecularibus & eccleſiaſticis*. Inde in uſum ſtudioſæ juventutis in illa Academia aperuit collegia nonnulla, quibus Jus naturæ & publicum exponeret, cauſarum etiam patronum ſimul agens. Hoc inſtituto cum per

 aliquot

aliquot annos eſſet uſus, A. 1668 munus Syndici Halenſis & Inſpectoris Gymnaſii, quod ibi eſt, ſuſcepit. Tandem Syndici provincialis Magdeburgenſis ſparta ipſi fuit demandata, cui usque ad mortem magna cum laude præfuit. Obiit XIII Cal. Julii 1706, cum fere annum ætatis ſeptuageſimum attigiſſet.

THE HISTORY OF RESISTANCE AS PRACTIS'D by the Church of England.

i. e.

HISTORIA RESISTENTIÆ IN ECCLESIA ANGLICANA uſu recepta: in qua ex genuinis monimentis demonſtratum eſt, laudatam Eccleſiam inde a repurgata religione in omnibus Regnis adjuviſſe & approbaſſe eorum inſtituta, qui, aliorum poteſtati ſubjecti, ſe ipſos contra vim, a Principibus etiam nativis per tyrannidem illatam, defenderunt; Autore

IO. WITHERS.

Londini, apud Jo. Robinſon, 1710, 8.

Plag. 3.

SCripta eſt hæc hiſtoria occaſione ſermonis ſacri a Dn. *Agate* 30 Januar. habiti, eo conſilio, ut, quæ non ante multos annos rerum converſio in Britannia accidit, ea cum hodierna Imperii forma, & quæ conſtituta ac ſancita legibus eſt, ſucceſſione Principis, Proteſtantium ſacris addicti, vindicaretur. Probare ſcilicet is, quem diximus, aggreſſus erat, ſummo Magiſtratui nullo modo nec quacunque de cauſa reſiſti debere, etiamſi Papatum invehere in regionem, legibus ſuis ſubjectam, anniteretur. Hanc igitur aſſertionem falſam eſſe, vel ex autoritate Eccleſiæ Anglicanæ oſtendit, quæ contrariam ſententiam approbaſſe dicenda ſit, cum inde a reparata doctrinæ puritate eorum conſilia provexerit, qui Principibus inique agentibus ſe oppoſuerint.
p. 4. Patet id ex eo, quod, cum Eduardus VI, a Duce Northumbriæ permotus, ob periculum, quod religioni a Maria Sorore imminere ſentiebat, fœminæ purioris doctrinæ ſtudioſiſſimæ, Janæ Grajæ, nullo alioquin nomine ad coronam Regiam adſpiranti, imperii habenas per teſtamentum decerneret, maxima autem Anglicanæ gen-

tis

tis pars Mariæ, legitimæ ſcilicet heredi, ſucceſſionis jura vindicare anniteretur, D. Ridlejus, Epiſcopus Londinenſis, contra Mariam graviter pro cathedra religionis cauſa diceret. Cum deinde Maria res in religione novas moliretur, & Thomas Wiat magna militum copia, quanquam irrito labore, conatibus his occurreret, conſilium ejus a civibus approbatum fuiſſe, ex Heylini Hiſtoria Reformationis p. 33 Noſter probat. p. 5.
Sub Eliſabetha 6.
Angli Gallis, Scotis & Germanis adverſus vim, quam ab imperantibus patiebantur, vindicandis ſuppetias tulerunt, quod probatur aliquot exemplis a Cambdeno in Hiſtoria Eliſabethæ Reginæ p. 36, 62, 64, 137, 311 & 288 commemoratis. Jacobus II A. 1602, facta etiam pace cum Hiſpaniæ Rege, a Belgarum partibus ſemper ſtetit, eosque copiis inſtruxit, teſte Heylino p. 385 Coſmographiæ. Confer Bentivoglii Hiſtoriam bellorum in Flandria geſtorum p. 369 & 373. Sub Carolo I, 10.
A. 1625 bellum adverſus Hiſpanos parante, ſubditi ex ſuggeſtibus inter alia monita, ab Archi-Epiſcopo Cantuarienſi Gvil. Laudo concepta, hac imprimis ratione ad ſumtus liberaliter ſuppeditandos excitabantur, quod domus Auſtriaca & Rex Hiſpaniæ ea ceperit incrementa, ut Belgicæ provinciæ illis reſiſtere inpoſterum non poſſent. Vide Heylini Vitam Laudi p. 163. Paulo poſt Angli A. 1628 Reformatis in Gallia, facta 11.
Rupellæ obſidione, miſere vexatis, precibus ſuccurrere tentarunt, indicta & decreta publice ſolenni pœnitentia. Carolo II imperium obtinente, doctrina quidem illa de *obedientia* 12.
paſſiva publice inculcabatur, quod tamen non prohibuit, quo minus contraria ſententia uſu approbaretur. Cum enim Luſitani, excuſſo jugo Hiſpanico, cui per 60 annos fuerant ſubjecti, Joannem Bragantiæ Ducem ad Regiam dignitatem evexiſſent, cujus filiam, Catharinam, in conjugem adſciverat Carolus II, hic ut Joannis Regis, non ita pridem defuncti, familiam contra Hiſpanos in throno Regali adſereret, lectam militum manum in Luſitaniam miſit: vide An. Hiſtoriam Luſitaniæ p. 503, 509. Cumque hac ratione Alphonſus, Joannis filius, Regiam dignitatem obtineret, ea vero culpa ſua ita excideret, ut A. 1668 communibus Ordinum ſuffragiis ad perpetuos carceres damnaretur, Frater ejus, natu minor, Petri dictus nomine, in locum

cum

Digitized by Google

cum ejus ſufficitur: quem Carolus II primus legitimum Re-
14. gem habuit; vide ibidem p. 563. Hinc Cl. Autor ultimam rerum in Anglia converſionem, annitente Principe Auriaco, Glorioſiſſimo Rege Wilhelmo III factam, tangit, oſtenditque, falſiſſimum eſſe, quod Adverſarius adſtruere conatus erat, laudatum ſcilicet Principem nullo modo putaſſe reſiſtendum Jacobo II, aut ipſi reſtitiſſe. Totam enim rem, ut geſta eſt, contrarium evincere per ſumma capita demonſtratur. Nec
20. hodiernum Sereniſſimam Reginam Britanniæ ANNAM aliter ſtatuiſſe, Noſter ex eo evincit, quod Cemmeniis armorum & commeatus copiam, quanquam eventu conſiliis non reſpondente, transmittendam cenſuerit. Denique Cl. Autor ad argumenta quædam ab Adverſario allata ſtrictim reſpondet.

Ceterum cum libellus hic ex iis ſit, qui occaſione litis nuper ab Henrico Sacheverell, Capellano ad ædem Servatoris Sudovercenſem (*in Southvvarck*) & Socio Collegii Magdalenæi, quod Oxonii eſt, motæ prodiere, non ingratum futurum Lectori exiſtimamus, ſi hac occaſione e ſchedula, ſub tit. *an Account of the Life of D. Henry Sacheverell* Londini hoc anno excuſa, de hoc Viro nonnihil addamus. Natus nimirum dicitur Sacheverellius A. 1674 Parente Theologo & Rectore quondam Eccleſiæ Petrinæ, quæ Marlebrigiæ colligitur. Hinc anno ætatis 16 Oxonium ſtudiorum cauſa miſſus, in Collegium Magdalenæum receptus, ac A. 1708 Theologiæ Doctor renunciatus eſt. Ad habendas præſente Magiſtro Civitatis Londinenſis, quem *Lord Mayor* Angli appellant, conciones cum alias tum V Novembris die A. 1709 adhibitus eſt, quæ res turbis hactenus magna animorum contentione agitatis anſam dedit. Cum enim ſermo illo, quem diximus, die habitus typis exprimeretur ſub tit. *the perils of falſe Brethren* h. e. *pericula quæ a falſis fratribus imminent*, non ſolum iſta concio, ſed alia ab eodem A. 1709 die 15 Auguſti *Derbii* habita & ſub tit. *the communication of Sin*, h. e. *participatio peccati* edita, multa continere viſa eſt, quorum cognitio & examen Judicio, quod Parlamentum vocant, committeretur. Cetera ex publicis relationibus conſtant.

Nova Litteraria, cum ſpatio præter ſpem hic excludamur, in proximum Menſem rejicimus.

N. XII.

ACTA ERUDITORUM,

publicata Lipſiæ

Calendis Decembris, Anno MDCCX.

MEMOIRES ET NEGOCIATIONS SEcretes de la Cour de France, touchant la paix de Munſter, &c.

hoc eſt,

AULÆ GALLICÆ SECRETA CIRCA PAcem Monaſterienſem, in quibus continentur Epiſtolæ Regis, Mazarini Cardinalis, & Comitis Brienii ad Plenipotentiarios Gallicos Monaſterium miſſos, horumque Reſponſoria.

Tomi IV.

Amſtelodami, apud Fratres Chatelanos, 1710, in 8 maj. Conſtant Alph. 4 pl. 9, ch. aug.

EX cujus ſcriniis prodierint hæc Volumina, & unde is arcanas haſce Epiſtolas nactus ſit, Lectori fortaſſe moleſtum erit ignorare, quippe cujus multum intereſſe videtur, utrumque compertum habere, ne forte carbones pro theſauro arripiat. Verum, cum Editor, qui ſola littera C. Dedicationi ſubſcripta obſcuriſſimum nominis ſui indicium fecit, graves videatur cauſas habere, cur utrumque notitiæ Lectoris ſubtraxerit, non immerito ignorantiam illam æquo ferimus animo, & vel propterea fidem ei habemus, quod nihil inſit in iſtis epiſtolis a Gallorum genio valde abhorrens, nec veroſimile ſit, virum prudentem, qualem Præfatio & Dedicatio Electori Palatino facta prodit, reum ſe facere impoſturæ, a Gallis nullo negotio revincendæ. Diſpertitus autem eſt has epiſtolas in IV libros, quorum *primus* epiſtolas Plenipoten-

tentiariorum & aulæ Gallicæ mutuas a d. 6 Januarii A. 1646 usque ad d. 3 Martii: *alter* usque ad d. 18 Junii: *tertius* usque ad d. 26 Novembris: *quartus* usque ad d. 31 Decembris complectitur. Adeoque quatuor hiſce Tomis unius duntaxat anni commercium litterarium politicum continetur: niſi p. 50-- 121. quod *Tomo IV* tres exhibentur epiſtolæ a Comite Servieno 112 ſqq. ſcriptæ, & una A. 1648 ab alio ad eum data, ac præter has epiſtolæ Comitum d'Avaux & Servien, quibus uterque ab alterius criminationibus ſe defendere ſtudet. Equidem jam A. 1650 mutuæ hæ Comitum memoratorum epiſtolæ ſunt publicatæ una cum illa Servieni ad Fœderatos Belgas A. 1647 ſcripta epiſtola. Verum cum liber is, in quo exſtant, hodie ſit rariſſimus, recudendas eas Editor jure cenſuit. Toti operi luculenta præmiſſa eſt Præfatio, docens, quæ maxime notabilia occurrant in his epiſtolis, & quis ex earum lectione poſſit fructus percipi. Quo ipſo cum Editor noſtras partes occupaſſe videatur, hujus Præfationis argumenta recenſebimus, paucula quædam, quæ ipſa libri lectio ſuppeditavit, additurі. Nimirum cum hodie, cum de Alſacia Gallis extorquenda Fœderati cogitarunt, illi vehementer querantur, violari ſacroſancta fœdera Monaſterii quondam inita, non alienum Editori viſum eſt, haſce in publicum adſpectum proferre litteras, ex quibus appareat, quibus artibus, qua fide Galli ea tempeſtate ſint uſi ad augendam ſuam potentiam. Eosdem, cum tunc armorum vi freti pace Weſtphalica confirmari ſibi voluerint eorum omnium poſſeſſionem, quæ injuſtiſſime occuparant, Editor negat jure mirari, Fœderatos præſenti rerum ſtatu poſtulare juſtam & ad tranquillitatem omnis Europæ neceſſariam regionum quarundam reſtitutionem. Sed ut ad ipſas epiſtolas accedamus, inde manifeſtum fit, quantumcunque Galli tum jactitarunt ardorem in impedienda bonorum eccle-
T. I p. 11. ſiaſticorum ſecularisſatione, quam vocant, omnia ſimulata
23. fuiſſe, cum litteris ſecretis Plenipotentiarii juſſi ſint, Suecis ea non difficulter concedere, quo ſcilicet & ipſi faciliores ſe
T. III p. 106 præberent in commodis Galliæ promovendis. Inde porro
ſqq. patet, quam ancipiti cura diſtracti fuerint Gallorum animi, deli-

deliberantium, utrum magis conſultum ſit, Alſatiam tenere ut feudum *Imperii*, an ſupremo & independenti jure? Ad prius quod attinet, fatentur, melius videri ſuprema in hanc provinciam carere poteſtate, quam occaſione Germaniam, quotieſcunque volupe fuerit, turbandi. Poſſe enim tunc Galliæ Reges, ut membra Imperii, adſpirare ad Imperatorium faſtigium: poſſe Gallos omnia, quæ in Imperii Comitiis agantur, reſciſcere: poſſe Principes Germaniæ eo audentius cum Gallo jungere fœdera. Quanquam tandem majeſtate Regis Galliæ dignius judicant, Alſatiam poſſideri ἀνυπευθύνως. Ex iisdem p. 130. hiſce epiſtolis intelligimus, quanto ſtudio Mazarinus Cardinalis contenderit, ut pro Catalonia, quam eo tempore tenebat Gallus, is ab Hiſpanis acciperet provincias Belgicas. Quo fine & Principi Arauſionenſi, ut eam rem adjuvaret, offerri T. I p. 237, 259 10 2 ſqq. juſſit Marchionatum Antverpienſem. Proponit autem Purpuratus ille Plenipotentiariis Gallicis duodecim cauſas, cur ante omnia enitendum ſit ac laborandum, ut Galli in vicem redditæ Cataloniæ potiantur Belgio Hiſpanico: inter quas hæ ſunt præcipuæ, quod hoc facto (1) ſeditioſi Regni Gallici nec auxilium nec refugium amplius habeant, (2) Hollandi aliquando inteſtinorum diſſidiorum occaſione in ditionem Galli poſſint redigi, (3) Auſtriaca domus prohibeatur amplius Gallo nocere, (4) Hiſpania excludatur a communicatione cum Germania, (5) reditus & vires Galli in immenſum augeantur. Harum igitur provinciarum potiundarum cupiditas adeo præſtrinxit aciem mentis Mazarino, ut ſibi perſuaderet, ſe ſatis rationum excogitare poſſe, ad paradoxam hanc ſententiam Fœderatorum Belgarum animis imprimendam, minus ipſis periculoſam eſſe viciniam Francorum vires conjunctas habentium, quam Hiſpanorum a Belgio tanto ſpatio diviſorum. Docet enim Plenipotentiarios, Fœderatis Belgis 283. eſſe perſuadendum, ipſos hac ratione ſummæ ſecuritatis fore compotes, cum Hiſpanus, perpetuus ipſorum inimicus, hoc pacto ab ipſis removeatur longiſſime, &c., ſi quidem cum Gallo & offenſivum & defenſivum fœdus ineant, nemo quicquam adverſus eos auſurus ſit. Egregium vero conſilium!

quod ſi Batavi audiſſent, Æſopicas illas columbas eſſent fere imitati, milvii metu accipitrem, a quo defenderentur, adſciſcentes. Sed ſenſit ſane Cardinalis, non fore tam obeſæ naris Batavos, ut ita ſibi facile paterentur imponi. Quare ſuis præcipit, ut tegant id conſilii, eamque rem non ipſi Batavis proponant, ſed per Hiſpanos proponendam curent. Ne vero callido huic conſilio obſtaret Hiſpanus, idem Purpuratus
T. I p. 116 Gallicis Plenipotentiariis rationes præſcribit, quibus adduci
ſqq. videantur poſſe Hiſpani ad Belgium Gallo permittendum & cum Catalonia permutandum. Primo, inquit, Catalonia & Comitatus Ruſcinonenſis ſunt potiſſima Hiſpaniæ propugnacula: (2) Catalonia amplior eſt provincia Belgio, & cum corpore Hiſpaniæ conjuncta: (3) Hiſpani Belgium non poſſunt ſine maximis defendere ſumtibus: (4) per Cataloniam Galli ſemper poſſunt in mediam Hiſpaniam irrumpere: (5) Catalani Gallis favent: (6) Catalonia ſi maneat in poteſtate Galli, Hiſpano difficilis redditur communicatio cum ſuis in Italia provinciis: (7) Hiſpani ſæpius optarunt, Belgium a ſua monarchia eſſe ſejunctum. Sed omne Mazarini conſilium eo ſpectaſſe, ut Galliæ Regi ſucceſſu temporis proclive eſſet opprimere Fœderatos Belgas, diſertis ejus verbis docebimus. Ita
105. enim inter alia ſcribit: *Sola diffidia interna, quæ pacis tempore facile oriuntur, poſſunt Fœderati Belgii quietem turbare. Et hæc eſt cauſa, cur Galli acquiſitionem provinciarum Belgicarum, Hiſpano adhuc parentium, quibuscunque aliis acceſſionibus præferre debeant. Nam temporis progreſſu Galli non violatis amicitiæ ac fœderis legibus magnos poſſunt fructus capere ex Batavorum inter ſe diſſenſionibus.* Editor in prooemio recte obſervat, Galliæ Regem hujus conſilii fructum capere voluiſſe, quanquam non omne poſſidebat Belgium, cum A. 1672 Fœderatorum Belgarum terras magnis copiis invaſit. Nec falſo idem notat, Gallos jamdudum animo agitaſſe, quæ ſuperioribus annis contigerunt in Hiſpania. Nam rurſus
114. Cardinalis ſcribit: *Si Regis Hiſpanorum filia Regi Galliæ jungetur matrimonio, nos poterimus adſpirare ad ſucceſſionem regni Hiſpanici, QUANTUMCUNQUE RENUNTIAVERIMUS,*

MUS, nec admodum longinqua hæc ſpes eſt, cum nihil ſit, quam vita fratris ejus, (novæ nuptæ,) *qua Gallos inde poſſit arcere.* Non autem hinc ſolum de fide Gallica luculenter conſtat, verum etiam ex eo, quod Comes de Servien, unus e Plenipotentiariis Gallicis, cum intellexiſſet, Hollandos ſubodorari iſta Gallorum conſilia, ac proinde ab iis mirum quantum abhorrere, non veritus eſt in litteris ad Fœderatos Belgas datis hæc perſcribere: *Confirmo vobis denuo, per vitam meam jurans & per dignitatem meam, relationes de Belgii Hiſpanici cum Catalonia permutatione, a Gallis in animum inducta, eſſe mendacia ab inimicis conficta: atque adeo & vitam & honores meos perdam, ſi probari poterit, Gallos unquam ea de re cogitaſſe, aut cum Hiſpanis egiſſe. Sed* (ita pergit,) *juſtiſſimum foret, graviſſima pœna affici autores hujus famæ, qui auſi ſunt calumniis oppugnare fidem & exiſtimationem Regis Galliæ, Hollandorum amiciſſimi.* Certe ſatis mirari nemo poteſt audaciam hujus Galli, id jurejurando negantis publice, quod tot epiſtolis hic exſtantibus ita confirmatur, ut nihil Plenipotentiariis commendetur magis, quam cura de Belgio cum Catalonia permutando. Enimvero vix ulla eſt Mazarini epiſtola, in qua non agat hac de re, eaque ut curæ cordique ſit Plenipotentiariis, vehementer etiam atque etiam roget. Denique (nam cetera mittimus,) ex epiſtolis his lucide etiam apparet, Bavariæ Ducem clandeſtinam coluiſſe amicitiam eo tempore cum Gallo, hoſte Imperatoris, cujus beneficio Electoralem dignitatem Bavarus tum accepit, cumque plus Gallo profuiſſe, quam omnes Principes ceteros, qui aperte Gallicas partes ſunt ſecuti. Unde concludit Editor, non poſſe Bavarum hodie queri, ſi non reſtituatur ipſi Electoratus, cum ſubreptitie hæc dignitas in domum Bavaricam ſit illata, Imperatore ita volente compenſare officia Principis, quem falſo ſibi amicum & fidelem credebat, cum clanculum ſtaret a partibus Gallorum, in eorumque gratiam faceret omnia. Verum antequam ab harum epiſtolarum tractatione plane diſcedamus, non poſſumus non memorati Cardinalis ſummam annotare circumſpectionem, qua deſcribit characteres Plenipo-

T. IV p. 57.

T. I p. 39, 66, 92, 175 &c.

Digitized by Google

T. I p. 55 ſqq. tentiariorum, a Fœderatis Belgis id temporis miſſorum. Meinderswikius, inquit, favet paci, nec averſum gerit ab Hiſpanis animum: ſed cum multum debeat Arauſionenſi Principi, non dubium eſt, quin ejus ſit ſententiam cæco ſecuturus obſequio. Matheneſius itidem ad pacem propenſo eſt animo, ac præterea fautor religionis Catholicæ. Pawius nec Arauſionenſi nec Gallis favet, ideoque ſi reſciſcat, Arauſionenſem commodis Gallorum eſſe addictiorem, metuendum eſt, ne ipſe eo magis contrarium ſe præbeat Gallorum commodis. Unde cum multa apud ſuos polleat autoritate, omni modo ei eſt cedendum, ne creſcat ei animus Gallis nocendi. Knuytus, Kipperda, & Niderhorſtius plane addicti ſunt Arauſionenſi, adeoque ex ipſius præſcripto facient omnia, & Gallorum commoda diligenter promovebunt. Klandius eſt vir bonus, qui ſequetur ſententiam majoris partis. Donia pacem avide deſiderat, ſed Hiſpanorum commodis favet. Hæc Purpuratus ille. Concludimus illa meditatione, qui factum ſit, ut Mazarinus in tractatu Monaſterienſi tam pertinax fuerit in ſervandis locis ab Rege Galliæ occupatis, cum e contrario in tractatu Pyrenæo nimis ſe facilem præbuerit in reſtituendis Hiſpano multis, idque citra neceſſitatem. Exponit nobis cauſam hujus rei Editor, quam olim Turennius Puſendorfio, Sueciæ Regis legato, aperuit: nempe Ludovicum de Haro pollicitum eſſe Cardinali, Hiſpaniæ Regem in proxima Papæ electione allaboraturum ſtrenue, ut ipſe ad hoc faſtigium evehatur, eaque de cauſa Cardinalem tantæ ſpei ſacrificaſſe commoda Regni Galliæ, ſuasque rationes publicæ rei antepoſuiſſe. Hæc hactenus, e mente præſertim Editoris, nullius præjudicio referre placuit.

ISAACI VOLMARI, L. B. DE RIEDEN, Diarium ſive Protocollum Actorum publicorum Pacis Monaſterienſis & Oſnabrugenſis.

Francofurti, ex officina Groſſiana, 1710, fol.

Alph. 10 & fig. æn. Tabb. 40.

QVoniam ſpes eſt, fore, ut Europæ poſt bellum, ob ſucceſſionem Hiſpanicam per decem fere annos geſtum, pax iterum

iterum *brevi tempore* affulgeat, multis gratum futurum credidit *hujus operis* Editor, ſi vetera nonnulla inſtrumenta pacis, aliaque huc pertinentia recudenda curaret. Quam ob cauſam hoc anno edidit Volumen hoc, quo continentur Inſtrumenta Pacis Monaſterienſis & Oſnabrugenſis, Receſſus Imperii de A. 1654, Pax Pragenſis, Capitulatio Ferdinandi IV, Pax Neomagenſis, Ryſvicenſis, Carolovicenſis, amicabilis compoſitio in cauſa Elbingenſi, Erneſti Gokelii tractatus de majeſtatico Legatorum jure, denique Privilegia Statibus Imperii Romano-Germanici circa cauſas appellationum aliosque actus judiciales ab Imperatoribus conceſſa. Recudi hic etiam curavit Pacem Pyrenæam, hujusque hiſtoriam, ex Italico Comitis Galeatii Gualdi in Latinum ſermonem a Petro Axenio converſam. Quæ omnia ſi cum Diario Volmari L. B. de Rieden ab eodem Bibliopola publicato compingantur, modicum Volumen in folio conſtituunt. Fuit hic Volmarus J. U. D. & Archiducis Ferdinandi Caroli Cameræ Præſes, poſtea Cæſareæ Majeſtatis Conſiliarius intimus & ad tractatus Pacis Weſtphalicæ Legatus Plenipotentiarius, quem Viquefortius in libro de Legato inter aptiſſimos miniſtros, qui tractatibus illis interfuerint, refert, atque ob eruditionem, humanitatem aliasque virtutes laudat, A 1662, vita defunctum. Commentarii iſti, in quos ea, quæ notatu digna Monaſterii & Oſnabrugæ fuerunt geſta, magna diligentia retulit, incipiunt menſe Septembri A. 1643, quo Monaſterium venit, & finiuntur menſe Januario A. 1648. Multa in iis reperiuntur, quæ pertinent ad accuratiorem notitiam rerum, quæ in celebri illo congreſſu actæ fuerunt. Inter alia multis circumſtantiis narrat, quam ægre Status Catholici in poſtulata Proteſtantium circa binos Epiſcopatus, Oſnabrugenſem & Mindenſem, conſenſerint. Ipſe Volmarus acriter admodum inſtabat, ut hi Epiſcopatus Catholicis reſtituerentur. p. 410. Proteſtantes, ajebat, jam poſſidere quindecim Epiſcopatus & ſex Prælaturas Imperii, cum innumeris bonis eccleſiaſticis aliis, atque hoc tempore, quo res pervenerit ad ſtatum transactionis, Catholicos in perpetuum hæc omnia cedere Proteſtantibus velle, nihilque niſi hæc duo excipere. Æquum itaque eſſe, ut ea reſtituerentur, cum, niſi Sueci fuiſſent, reliqua

etiam omnino omnia fuiſſent reſtituenda. At Johannes Adlerus Salvius, Plenipotentiarius Suecicus, nullo modo id fieri poſſe, reſpondebat, multa ſimul addens de odio univerſali, quo Oſnabrugenſes Epiſcopum Franciſcum Wilhelmum proſequerentur, adeo ut flendo ſæpe Legatos Proteſtantium per Deum & per judicium extremum orarent, nollent permittere, ut in illius poteſtatem reciderent, fidem enim minime exſpectari poſſe ab eo, qui jurejurando ſe ad exſtirpandos hæreticos obligarit. Plenipotentiarius Gallicus etiam, qui huic colloquio intererat, multis verbis Suecum cohortabatur, ut ab hac prætenſione deſiſteret, Reginam enim Galliæ ſummo animi dolore conqueri de eo, quod ob conjunctionem Gallorum cum Suecis religio Catholica jacturam tantam facere cogatur. At ille regerebat, confœderationem cum Gallis initam diſertis verbis id dictare, ut omnia reſtituantur in ſtatum, quo fuerint A. 1618, quo Proteſtantes jam utrumque Epiſcopatum in poteſtate ſua
p. 411. habuerint. Cum poſtea a Catholicis ſumma quædam pecuniæ offerretur Proteſtantibus, ut his Epiſcopatibus cederent, Salvius negabat id Principibus religionis Proteſtantium convenire, eſſeque hanc conditionem turpem & inhoneſtam, & omnes etiam dicturos, religionem & libertatem conſcientiæ miſerorum civium fuiſſe venditam. Scriptas eſſe ab his litteras ad Reginam Sueciæ querimoniis adeo refertas, ut a lacrymis temperare ſibi non potuerit, & mandaverit Plenipotentiariis, ne in reſtitutionem Epiſcopatuum ullo pacto conſentirent. Referebat etiam, eveniſſe die præcedente, ut nonnulli e miniſtris Epiſcopi Oſnabrugenſis, cum Evangelicos cantantes in templo Oſnabrugæ audirent, dicere non eſſent veriti, balatus hosce brevi tempore ceſſaturos. Quod cum Senatui fuiſſet nuntiatum, Conſules civitatis ſtatim Legationem Suecicam adiiſſe, & in genua procidentes oraſſe, nollent ſe in manus Franciſci Wilhelmi, ita nominabant Epiſcopum, tradere. Volmarus reſpondebat, ſe quidem non pugnare pro perſona Epiſcopi, ſed pro ordine Catholico, & ipſum Epiſcopum declaraſſe, velle ſe Epiſcopatu ſe abdicare, modo Capitulo libertas eligendi ſucceſſorem relinqueretur. At Salvius in ſententia per-
Digitized by Google

perſiſtebat, negans, ſibi ullo modo a mandatis Reginæ recedere licere. Tandem Plenipotentiarius Gallicus, Comes Avauxius in partes Suecorum tranſibat, non tamen ſine magna difficultate, adeo ut, cum clauſula de rebus eccleſiaſticis ipſi ſubſcribenda daretur, diceret: *Utinam neſcirem literas.* Neque adhuc tamen Catholici ſpem omnem abjiciebant ſaltem unum ex his Epiſcopatibus recipiendi, primumque Electori Brandenburgico præfecturas Schaumburgicas, quas Domus Caſſellana in ſatisfactionem ſibi dari volebat, loco Epiſcopatus Mindenſis offerebant. Cumque Elector id recuſaret, easdem præfecturas offerebant Domui Brunſuicenſi & Luneburgenſi, ut ab alternativa in Epiſcopatu Oſnabrugenſi deſiſteret. Sed cum & hic repulſam ferrent, res tandem eo modo compoſita, uti in Pace Weſtphalica conſtitutum legitur.

INSCRIPTIONES SEPULCHRALES HELMSTADIenſes, una cum monumentis ceteris collecta, editaque cura ac ſtudio JUSTI CHRISTOPHORI BOEHMER, Polit. & Eloqu. Prof.

Helmſtadii, typis ac ſumtibus Georgi Wolfg. Hammii, 1710, 8.
Plag. 13.

Cum illi bene merentur de re publica, qui proditis ſui ingenii monumentis laudem inveniunt; tum haut ſcimus an illi etiam melius, certe Genium ævi noſtri magis placare videntur, qui aliorum hominum memoriam litteris conſignatam venturæ ætati commendant. Nam & minus invidiæ ſubeunt, quod aliorum potius quam ſuæ famæ ſtudere videantur; & prolixius merentur, cum multorum malunt, quam ſuam ſingulorum celebrari memoriam. In his, qui ſic animati ſunt, nomen ſuum adhuc profitetur nobiliſſimus Inſcriptionum harum Editor, nobis idem jam ex *Muſis Conringianis* in his Actis A. M DCC IX menſe Decembri laudatus. Ornavit ille, pro cultiſſima ſua doctrina, librum eleganti Præfatione, qua oſtendit, eum ſe præmittere *Elogiis ac Vitis Profeſſorum Helmſtadienſium*, poſthac in lucem edendis:

imo ex horum numero *Medicos ac Philoſophos*, *IX Proluſionibus Academicis* celebratos, jam ad publicandum paratos ſeſe habere confirmat. Deinde commemorat eos, qui de funeribus, & rebus ſepulchralibus ſcripſerunt, incipiens a Kirchmanno, deſinens in Laur. Begero, qui Jo. Petri Bellorii Lucernas veterum ſepulchrales iconicas Latine evulgavit, Colon. March. 1702, fol. Præcipue vero ac copioſe hos collaudat, qui Inſcriptiones veterum collegerunt atque ediderunt, quorum principem Janum Gruterum, extremum *Mich. Rœtenbeccium* ponit, collectorem hunc *Monumentorum Eccleſiarum Noribergenſium*, quæ in bibliotheca D. Wurfbainii adhuc MSS. aſſerventur. Tandem operæ ſuæ inſtitutum exponit. Nimirum primo monumenta in templo S. Stephani, ejusque cœmeterio obvia, dein quæ in templo Academico ſint, publicisque Academiæ ædificiis reliquis adſcripta, tum quæ in æde S. Walburgis; poſtremo, quæ extra urbem partim in cœnobio Lüdgeriano, partim Mariæbergenſi conſpiciantur, ſe collegiſſe & publicaſſe docet. Præfationem ipſæ Inſcriptiones ſequuntur, quibus bona pars Hiſtoriæ Academiæ Juliæ contineri videtur. Jucundum vero eſt tot præſtantium virorum quaſi quasdam imagines lapidibus inciſas cognoſcere. In fine Index additus eſt nominum eorum, quibus Inſcriptiones dicatæ fuerunt. Ac vellemus ſane, ſingulorum locorum, præſertim illuſtrium, Monumenta vel nunc demum a Viris doctis colligi, eaque acceſsione Hiſtoriam literariam noſtris temporibus locupletari. Editorem ſane noſtrum humanisſime rogamus, ut *Profeſſorum Helmſtadienſium Memorias*, quas celeberrimus Theologus, Gebh. Theodorus Meierus, Agnatus ipſius, feliciter cœpit, ad exitum perductas & ſuo ingenio perfectas, luci publicæ dare properet, atque exemplo laudabili aliorum quoque ſtudia in hunc campum provocet.

DIATOME CIRCULORUM, SEU SPECIMEN GEOMETRICUM, quo Lunularum, Curvilineorum aliorumque ſpatiorum proportiones demoſtrat FERDINANDUS ERNESTUS Comes ab HERBERSTEIN.

Vete-

Vetero-Pragæ, apud Wolffgangum Wickart, 1710, 8.
Conſtat 1 Alph. Tab. æn. 1.




Fig. 1.




Fig. 2.




Fig. 3.

AB omni tempore, quo Geometria exculta Geometrarum ingenia exercuit, decantatum de quadratura Circuli problema: aſt herculeum huncce laborem nemo hactenus ſuperavit. Equidem nuperrime & ſibi & univerſo Orbi litterario de hoc invento miris verborum paraſangis ob egregium hocce inventum in programmate valvis templorum publice affixo

 applau-

applauſit *Jobus Ludolffus*, in Academia Erfurtenſi Matheſeos Profeſſor; ſed conſtructionis Geometricæ demonſtrationem, quam pollicetur, non exſpectamus. Varii autem variis viis ad circuli quadraturam contenderunt. Inter veteres *Hippocrates Chius* (ut ex *Ariſtotele* & ejus interpretibus Græcis *Simplicio*, *Themiſthio* & *Mogentino* oſtendit *Jacobus Chriſtmannus*, in Academia Heidelbergenſi quondam Profeſſor, in Tractatione Geometrica de quadratura circuli C. 2 p. 14 & ſeqq.) Quadraturam circuli per lunulas tentavit, nec defuerunt, qui per ſegmenta circulum quadrare allaborarunt. Eandem viam ex intervallo ingreſſum eſſe illuſtriſſimum Comitem *ab Herberſtein*, in quo ſummo Viro uti varia rerum divinarum humanarumque ſcientia, ita præcipue Matheſeos univerſæ ardens ſtudium prædicari meretur, ex his Actis colligitur. Utut autem publico nondum aperuerit, qualem eam repererit, ex eleganti tamen, quod nunc impertitur, ſpecimine Geometrico apparet, quod eam minime lubricam expertus fuerit. Inſignem enim theorematum numerum invenit, quo lunularum & mixtilineorum ſpatiorum ex duorum circulorum interſectione oriundorum proportiones illuſtrantur. Triplicem circulorum duntaxat diatomen conſiderat; ſed 276 propoſitiones, pleraſque ex Elementis *Euclideis* demonſtratas, inde eruit.

In prima ſectione (Fig. 1) ſubtenſa ſegmenti circuli majoris A B eſt diameter; in altera (Fig. 2) EB major vel minor diametro circuli minoris; in tertia (Fig. 3) CD eſt quadratum lateris Tetragoni circulo majori inſcripti. Docet e. gr. Circulum datum duobus aliis ita interſecare, ut differentiæ lunularum ſint in ratione imperata: circulum determinare illumque duobus aliis ita interſecare, ut differentia, qua lunula major primæ ſectionis excedit curvilineum ſub arcubus concavis ſecundæ comprehenſum, dato rectilineo æqualis ſit; ſi

Fig. 3. ſuper latere CD quadrati circulo inſcripti deſcribatur circulus CNDR, lunulas ex interſectione circulorum genitas eſſe ut diametrum ad ſummam ex diametro & peripheria circuli majoris curvilineum CQDRC eſſe ad circulum minorem CNDR ut differentiam diametri a peripheria ad peripheriam;

am; ad circulum vero majorem Q D B G ut eandem differentiam ad duplum peripheriæ. Sub finem denique demonſtrat, datis in rectis *m* & *n* ratione ſegmenti A D B ad quadratum ſub peripheria circuli A F B C comprehenſum, vel ratione lunulæ A D B F A ad idem quadratum, haberi quadraturam circuli. His adjungi poſſunt, quæ de lunulis olim *Vieta* & in amœniore Curvilineorum contemplatione *Vincentius Leolaudus* dedere. Fig. 1.

SQVARCIO DI LETTERA DEL DOTTOR BERNABO SCACCHI ſopra le conſiderazioni del Signor BIAGIO GAROFALO intorno alla Poeſia degli Ebrei.

h. e.

FRAGMENTUM EPISTOLÆ D. SCACCHII de Conſiderationibus BLASII GAROFALI de Poeſi Hebræorum.

Proſtat in forma oct. & conſtat plag. 4 ch. aug.

SI Clariſſimis Ephemeridum Venetarum Autoribus A. 1710 Tom. II p. 499 fides habenda, hæc Epiſtola Medicum quendam Judæum, cui Raphael Rabbenio nomen eſt, Autorem habet, qui eam ſub fictis Bernabo Scacchii & Fibriana Reali nominibus, ſine temporis & loci mentione imprimendam curavit & Illuſtri *MAGLIABECHIO* (cui exemplar debemus) dedicavit. Conſiderationes vero Cl. Garofali, *de poeſi Hebræorum*, quas ſupra A. 1708 menſe Sept. p. 307 recenſuimus, perſonato Scacchio occaſionem præbuerunt, ut ſuam de Hebræorum Poeſi ſententiam promeret. Hic inter alia negat, quod antiquæ Poeſeos argumentum ſit vera Philoſophorum doctrina, ſed exiſtimat potius, quod Poetæ fictionibus phantaſiam tantum commovere voluerint, prout Plato, Philo Judæus, Muretus & nuper Mottius aliique judicarunt. Antiquos enim Philoſophos veritatem non docuiſſe, Lactantii & Pauli ad Coloſſ. II teſtimonio, nec non decreto in Gallia A. 1204 edito, quo Ariſtotelis opera Vulcano devota ſunt, probat. p. 12.

Deinde etiam in eo a Cl. Garofalo diſſentit, quod lingua Hebræa amœnitate, vocumque naturali poſitu & ordine reliquas ſuperet. Quamvis enim linguam harmonicum quid habere putat, quod, ſi in aliam linguam transferatur, amittat. Præterea urget, quod Cl. Garofalus tantam prærogativam vel ideo linguæ Hebraicæ dare non potuerit, quod p. 40, eam linguam cum antiqua Ægyptiaca convenire, & Moſen ideo in Hebraica profeciſſe, quia Ægyptiacæ fuerit peritus, ipſe confeſſus ſit. Ex hoc enim infert, quod Hebraica lingua Ægyptiacam non ſuperaverit. P. 91 & 22 Cl. Garofalus Muſicam excultam & jucundam Hebræis denegaverat, ea ratione inductus, quod Agriculturæ dediti nulla theatra habuerint. Sed Scacchius contrariam ſententiam ex eo confirmat, quod Muſica Eccleſiaſtica, quæ apud Hebræos floruit, theatrali, Plutarcho
p. 23. teſte, multo ſit antiquior. Sic Hebræis non defuiſſe excellentes Muſicos, ex 1. Paral. XVI, 22 & Euſeb. Demonſtr. Evangelica lib. XII, c. 16, nec non Philone de Vita contemplativa, abunde probavit. De metris Hebrææ Poeſeos multum diſceptarunt eruditi, quidam ea negarunt, alii eadem affirmarunt. Cl. Garofalus Clerici ſententiam, quam ex Bibliothecæ Selectæ Tom. IX cognoverat, ſecutus eſt, & rejectis metris Rhythmos ſubſtituit, aliis Orientis populis hodie uſitatos; e contrario Scacchius, autoritate Philonis, Joſephi, Hieronymi metra defendit, non quidem illa, quæ pedibus & ſyllabis ubique reſpondent Græcis & Latinis, ſed quæ cantores exprimunt, tantum temporis lectione unius verſus conſumentes, quantum ad lectionem hexametri vel pentametri requiritur: quam ſententiam porro Hieronymi præf. in libr. Jobi & R. Moſis Habibi in Darche Noam teſtimonio confirmat. Ex quo ſequitur, quod Cl. Garofalus (qui p. 22 faſſus eſt, quod tantum in quibusdam locis Scripturæ rhythmi caſu nati occurrant) nullam cauſam habuerit, ut rhythmorum reſtituendorum gratia ſtatueret, (1) Scripturam ſacram librariorum ignorantia eſſe depravatam, (2) depravata loca ab ipſis Hebræis agnoſci, & Tikkun Sopherin appellari, (3) Maſorethas in vocalium ſubjectione erraſſe, (4) eosdem veram nominis יהוה lectionem immutaſſe, illudque ſi

Jahveh

Jabvob cum Diodoro Siculo aliiſque legatur, rhythmos amiſſos reddere. Sed hæc omnia gratis eſſe ſuppoſita Scacchius contendit, partim quia Hebræorum Tikkun Sopherin tantum eſt accommodatio phraſeos a primis ſacris Scriptoribus facta, & neutiquam mutatio a librariis Scripturæ illata; partim quia ipſi Hebræi nihil quicquam in Codice ſacro mutare vel potuerunt vel voluerunt. Non potuerunt, quia codices longe lateque diſperſi fuerunt; nec voluerunt, quia unusquisque Judæorum, teſte Joſepho, & Euſebio, vel centies ad mortem ſubeundam paratus ſit futurus, quam ut legi Moſaicæ derogari patiatur. Poſt alia lectu digna Scacchius prolixus eſt in aſſerenda vera Maſorethärum punctatione, exiſtimatque, eos nullas alias ſubjeciſſe vocales, quam quas conſtanti traditione a ſuis majoribus acceperunt. p. 42. 48. 52.

PANDECTÆ JURIS CIVILIS, AUCTORIBUS SUIS & libris reſtituti per HENRICUM BRENKMANN JC. repræſentata Pandectarum Florentinarum editione, collatoque Ampliſſ. Viri C. van BYNCKERSHOEK MSto Codice & editione Haloandri. Accedunt Variæ Lectiones, quas ipſe Haloander edidit, nec non Ruſſardi & Charondæ: ſed & alia, quæ in Prolegomenis indicantur. Speciminis loco hic prodit P. ALFENUS VARUS.

Amſtelædami, ex officina Wetſteniana, 1709, 8.
Plag. 4.

EXemplo Advocati cujusdam Pariſienſis, & præterea Conſultiſſ. Viri, Florentis Petri Pittenii, qui Oeconomiam Edicti Perpetui concinnavit, dum meditatur Autor Clariſſimus leges Digeſtorum diſſecare & diſſectas ſuis quasque locis conglutinare, quod & Illuſtrem Leibnitium molitum fuiſſe novimus, adeo id inſtitutum Ampliſſimis Viris & Senatoribus, Ant. Slicher & Corn. van Bynkershoek, intellexit probari, ut operam hanc in publicum flagitarint, & conſilia, labores & libros, quin & illuſtris Dn. Bynckershoek pretioſiſſimum ſuum & perſpicuæ anti-

antiquitatis MStum ultro conferendum ei obtulerint. Rationem autem conſilii ſui in conſpectu Prolegomenon uberius aperuit Autor, & ex illo potiora nos recitabimus. Neminem ait eſſe, quin veterum JCtorum ſcripta integra optet, & ſimilem fragmentorum collectionem atque digeſtionem in Poetis aliisque ſcriptoribus dudum eſſe inſtitutam. Hac ergo via ſtudioſos Juris recta ad ipſos fontes adduci, neglectis vulgarium commentatorum ambagibus. Convenientius enim ex ipſis Veteribus rite diſpoſitis & collatis, Romani Juris intellectum peti, quam eorum Commentaria novis onerari. Non itaque novum Juris Syſtema hic obtrudi, ſed methodum exhiberi, quæ veteri intelligendo inſerviat. Et ſummos Jureconſultos in hac palæſtra jam antea fuiſſe exercitatos. Sive enim omnes unius ejusdemque JCti Centones generatim, ſive ſinguli ſingulorum Tractatuum ac librorum in ſpecie conſiderentur, ex utraque collatione, quæ alibi aut obſcurius aut parcius tradita ſunt, alibi clarius & largius deprehendi. Ex poſteriore vero dignoſci materiam, ſcopum & intentionem JCti in unoquoque Libro & Tractatu. Et hinc reſtringi generalia, dubia explicari, abrupta & hiulca ſuppleri, totamque connexionis rationem indagari. Quæ enim olim cohæſerant, conglutinari iterum, & fugitiva ſeu exulantia capita ſuis ſedibus reſtitui. Quum vero, quæ eo modo expediri nequeant, ſæpe per criſin adjuventur, ideo accedere voluit huic Operi collationem MSti Bynckershoekiani & Editionis Haloandrinæ, tum vero varias lectiones & loca præcipua Budæi, Alciati, Duareni, Cujacii, Auguſtini, Taurelli, Ruſſardi, Charondæ, Labitti & Freimonii, notata etiam recentiorum JCtorum, Corn. van Bynckershoek & Gerardi Noodt, cui ſe ſuaque omnia debere profitetur Noſter. Et ad pleniorem hujus methodi commendationem promittit ſe tum alia adjuncturum, tum vero Oeconomiam Edicti Perpetui Pittenianam, & Chriſt. Ottonis a Bœkelen diſſertationem de Sectis & familiis JCtorum. In ipſo autem Opere non Vitas JCtorum tantum inſerturum, ſed etiam loca veterum JCtorum, apud Varronem, Feſtum, Gellium aliosque occurrentia, quatenus ad Jus aut verborum ſignificationem per-

pertinent ; inprimis vero fragmenta apud Autorem Collationis Legum Moſaicarum & Romanarum. Et nunc quidem lacinias Alfeni Vari, terſi & elegantis JCti, & cujus non nimia ad hujusmodi ſpecimen capita ſuperſint, Lectoribus, præmiſſa ejusdem Vita, exhibet. Ita quidem, ut primum recenſeat verba textuum ex libro ſecundo, quarto, quinto, ſexto & ſeptimo Digeſtorum Alfeni, hodieque in libris Pandectarum extantia. Ex reliquis enim XL nihil ibi occurrere. Deinde diſtinctius ſiſtuntur textus ii, qui ex Alfeni libris IIX Digeſtorum a Paulo epitomatorum ibidem ſuperſunt: rejectis ad oram copioſe ſatis variis lectionibus, annotatis autem Dionyſii Gothofredi omiſſis. Poſtremo & alii invitantur hoc ſpecimine, ſi quid alicujus momenti ad hoc opus ſe putent conferre poſſe, ut in tempore exhibeant; nec ingratum fore Noſtrum, in ſingulis, ut merebuntur, honorifice allegandis. Quumque ex Diario Veneto jam innotuerit, eum nunc quidem Florentiæ totum eſſe in collatione MſCtorum, quæ illhic cuſtodiuntur, & ſocium laboris habere Italum κριτικώτατον, Antonium Mariam Salvini, qui pari etiam ſtudio libros Baſilicorum aliaque Græcorum monumenta cum legibus civilibus, prout hactenus extant, diligenter comparet, nova plane augmenta Operi, quod eſt ſub manu, acceſſura confidimus, & proſperrimos ei ſucceſſus precamur. Tunc enim, abſolutis Pandectis, etiam ad Codicem pertingent hæ curæ, quidque ibi præſtiturus ſit Noſter, ſimili forte ſpecimine edito indicabit.

JO. ANDREÆ SCHMIDII, D.P.P. ABBATIS Mariævallenſis, Breviarium Theologicum præcipuas exhibens controverſias cum Pontificiis, Reformatis & Socinianis.

Helmſtadii, impenſis Jo. Melch. Suſtermanni, 1710, 8.
Conſtat 1 Alph. 4 plag.

VEnerabilis admodum Autor, qui ſuccincta Theologiæ dogmaticæ, moralis, homileticæ & hiſtoriæ eccleſiaſticæ utriusque Teſtamenti Compendia, diverſis temporibus, in

gratiam Auditorum ſuorum luci publicæ expoſuit, fidem ſuam liberaturus, nunc quoque Breviarium Theologiæ polemicæ in eorundem uſus typis imprimi curavit. In iſto autem ea methodo fuit uſus, ut ſtatu controverſiæ rite formato theſin orthodoxam ſolidis argumentis confirmarit, antitheſin dein & fontes ſolutionum ſubjunxerit, toti Breviario præcipuarum in Theologia controverſiarum conſpectum præmiſerit, ſingulis vero illius partibus controverſiarum tractatarum nec non rerum & verborum indicem adjecerit. Et cum ex Præfatione pateat, ſumme Reverendum Autorem ante aliquot abhinc annis in ſcriptum aliquod polemicum longe pleniorem operam impendiſſe, non dubitamus, quin rem maxime gratam Theologiæ Cultoribus ſit facturus Celeberrimus Autor, ſi iſtum excellentis ingenii fœtum luce publica donabit. Interim hæc quoque compendiaria tractatio ſacrarum litterarum conſecraneis ad palatum erit, cum intra breve temporis ſpatium potiorum controverſiarum, quæ nobis cum Pontificiis, Reformatis atque Socinianis intercedunt, notitiam ſibi comparare poterunt.

NOVA LITTERARIA EX ITALIA.

PRrodiit Mediolani hoc anno Vita Leopoldi I Imp. Italice in 12, cujus autorem vocant *Carlo-Giuſeppe Maria Reina*, qui & moderni Belli Hiſtoriam eodem idiomate, ſub anagrammatico nomine: *Arias Rippamonte Cielvegra*, Tridenti 1708 edidit. Ibidem D. Johannis de' Sitoni, Scotus, ſed nobilitate apud Mediolanenſes donatus, qui & Chronicis A. 1706 Mediolani editis aliisq; libris famam ſibi peperit, Vicecomitum Mediolanenſium Hiſtoriam Latino idiomate edere parat. Mutinæ Lud. Ant. Muratorius in Franc. Petrarchæ Poematibus una cum Alexandri Taſſoni & ſuis Annotationibus edendis occupatur. Piſis doctiſſimus, Guido Grandi hoc ipſo anno in 4 publicavit *De infinitis infinitorum & infinite parvorum ordinibus Diſquiſitionem Geometricam:* dedicata ea eſt Henrico Newton, M. Britannæ Reginæ ad Magnum Hetruriæ Ducem Legato, qui & ipſe Lucæ nuper Epi-

Digitized by Google

Epiſtolas ſuas ac Poemata Latina prelo ſubjecit. Romæ Johannes Marius Creſcimbeni Commentariorum in ſuam de Poeſi vernacula Hiſtoriam Voluminis ſecundi Partem I (de Volumine I diximus A. 1704 p. 520) hoc anno edidit, in qua vitas imprimis Poetarum Provincialium, quos *Patres* vocat *Poeſeos vernaculæ*, deſcripſit, idemque Parti I Vitatum Arcadum illuſtrium, A. 1708 editæ, Partem alteram nuperrime adjunxit. Scipio Maffei Libros tres *della vanita della ſcienza Cavallereſca* prelo ſubjecit, de quo libro multum ſibi pollicentur Eruditi. *Inſtitutionum Theologicarum veterum Patrum*, cujus Tomum I nupero M. Aug. p. 336 produximus, Tomum ſecundum nunc edere parat Joſephus Maria Tommaſi, cujus tum nomen ignoravimus. Venetiis prodiit nuperrime Camilli Contarini opus *Iſtoria della Guerra di Leopold I Imp. e Principi collegati contro il Turco dall A. 1683 ſino alla pace*, duabus partibus in 4, quod ob ſtyli elegantiam non minus, quam ordinem & fidem hiſtoricam magnopere commendatur. Panormi in Sicilia ſuperiori anno Joannis Andreæ Maſſæ, e Soc. Jeſu, A. 1708 die 30 Dec. defuncti, opus poſthumum *la Sicilia in Proſpettiva &c.* duabus Partibus in 4 lucem aſpexit, in quo topographia Siciliæ accurate deſcribitur. Eodemq; anno Auguſtini Inveges, qui Annales Siciliæ Latine ſcriptos poſt ſe reliquit, propemodum abſolutos, Prodromus, ſeu, ut titulus habet, *ad Annales Siculos præliminaris Apparatus*, ib. in 4 prodiit, in quo de hiſtoricis Siciliæ accurate agitur, de quibus ſupplementa quoq; addidit Michael del Giudice. Inter eruditos hoc anno in Italia mortuos memorantur Franciſcus Nicodemus, qui Neapoli die 15 Februarii, & Joh. Hieronymus Sbaraglia, qui die 8 Junii Bononiæ deceſſit. Ille Græce Latineque doctiſſimus fratrem germanum Leonardum, in colligendis additionibus ad Nic. Toppi Bibliothecam Neapolitanam, cum celeberrimo Antonio Magliabechio, multum adjuvit: hic vero, quod contra Malpighium nonnulla ſcribere auſus eſt, nomen eſt ſortitus inter Medicos.

):o:(

INDEX AUTORUM,

quorum Libri aut Inventa hoc volumine recenſentur.

Cum poſt paginam 160 errore typographi iterum repetantur paginæ 147 & ſequentes, ea quæ ſub repetitis numeris occurrunt, hoc ſigno * notavimus.

I. Libri Theologici & ad Hiſtoriam Eccleſiaſticam ſpectantes.

ANonymi *Tentamen Verſionis, ſive Obſervationes ad verſiones Gallicas N. T.* 123

Anonymi *Acta Martyrii S. Ignatii.* 196

Anonymi *Dialogi de Religione.* 201

Anonymi *Germanicarum & Sorabicarum Cantionum liber.* 297

Anonymorum *Summaria ſeu totius S. Scripturæ Explicatio.* 406

R. Abarbanelis (*Iſaaci*) *Commentarius in Pentatenchum.* 233

in Prophetam Habacuc. 447

Agnelli *Vita Pontificum Ravennatium.* 330

De Agurto (*Petri*) *Excerpta de Eccleſiæ Infallibilitate ex Petri Alliaceni Quæſtione de Reſumpta.* 359

Bacchinii (*Benedicti*) *Diſſertationes & Obſervationes in Agnelli Vitas Pontificum Ravennatium.* 330

Biblia *Hebraica ex recenſione Henrici Opitii.* 33

Bœrneri (*Chriſtiani Friderici*) *ſupplementa in Jacobi le Long Bibliothecam S.* 426

C.A.H. i.e. *Chriſtiani Adami Heumanni Conjectura critica de Philoſophumenis Origeni adſcriptis.* 165

Cajetani (*Octavii*) *Iſagoge ad Hiſtoriam Sacram Siculam.* 156

Calvœr (*Caſparis*) *Gloria Chriſti, ſeu argumenta pro veritate religionis Chriſtianæ.* 402

Cheynæi (*Georgii*) *Philoſophica Principia religionis naturalis.* 454

Eckhardi

Digitized by Google

Eckhardi (*Tobiæ*) *Deus ſacrilegii vindex demonſtratus.* 445
Fayi (*Jacobi*) *Defenſio Religionis, nec non Moſis & Gentis Judaicæ.* 476
Grabe (*Jo. Erneſti*) *Septuaginta Interpretum Tomus ultimus.* 470
Grotii (*Hugonis*) *de veritate religionis Chriſtianæ Editiones a Jo. Clerico & Ern. Sal. Cypriano illuſtratæ.* 154
Harduini (*Johannis*) *Opera Selecta.* 49
Henſchenii (*G.*) *Papebrochii & aliorum Acta Sanctorum Menſis Junii. Tomus V.* 383
Rabbi Jarchi (*Salomonis*) *Commentarius in Pentateuchum.* 337
A Jeſu (*Liberii*) *Controverſiæ dogmaticæ adverſus Hæreſes utriusque orbis. Tomus I.* 398
S. Ignatii *Epiſtolæ cum notis Thomæ Smithi.* 196
Johannis Wilhelmi, *Ducis Saxoniæ, Meditationes Chriſtiano ac Principe dignæ.* 373
Juvenci (*C. Vetti Aquilini*) *Hiſtoria Evangelica Libri III.* 301
Kahler (*Johannis*) *Articuli Smalcaldici XVII Diſputationibus propoſiti.* 408
Kuſteri (*Ludolphi*) *Novum Teſtamentum Jo. Millii denuo recenſitum.* 421
Lamy (*Bernardi*) *Introductio ad Scripturam Sacram.* 292
Le Long (*Jacobi*) *Bibliotheca ſacra, a Chriſtiano Frid. Bœrnero aucta.* 426
Lyſeri (*Polycarpi*) *Prælectiones Academicæ in Prophetas Minores.* 126
Meineci (*Johannis*) *Chriſtus a Tridentino Concilio excommunicatus.* 297
Muratorii (*Ludov. Antonii*) *Anecdota Græca.* 494
Neumanni (*Jo. Georgii*) *Theologia Aphoriſtica.* 347
Novum Teſtamentum *Jo. Millii denuo recenſitum a Ludolpho Kuſtero.* 421
Græcum & Græco-Barbarum. 424
Opitii (*Henrici*) *Biblia Hebraica.* 33
Pergolini (*Joſephi*) *Dialectica S. Scripturæ teſtimoniis illuſtrata.* 419

S. Polycarpi *Epiſtola ad Philippenſes.* 196
De Rochechouart *vide* de Seve.
Rollii (*Reinh. Henrici*) *Bibliotheca Nobilium Theologorum cum Præfatione D. Jo. Fechtii.* 45
Schmidii (*Jo. Andreæ*) *Breviarium Theologicum.* 533
De Seve (*Guidonis*) *de Rochechouart Collectio Conſtitutionum, Mandatorum & Cenſurarum.* 438
Rabbi Simeon *Pera Simeonis.* 291
Speneri (*Philippi Jacobi*) *Conſilia & Judicia Theologica Latina.* 38
Strimeſii (*Samuelis*) *Syſtema Gratiæ Divinæ.* 340
Teſtamentum *vide* Novum & Vetus.
Tommaſi (*Joſephi Mariæ*) *Inſtitutione Theologica antiquorum Patrum. Tomus I.* 336
Vetus Teſtamentum *LXX Interpretum ex recenſione Jo. Ern. Grabe. Tomus ultimus.* 469
ex recenſione Lamberti Bos. 473
Uhſe (*Erdmanni*) *Vitæ Scriptorum Eccl. Seculi XVI & XVII.* 220
Wæchtleri (*Chriſtfridi*) *e litteris ad J. B. M. Excerpta de J. Fr. Hombergii de Vach Obſervationibus ſacris.* 481
Walliſeri (*Jo. Friderici*) *Vindiciæ Librorum Eccleſiæ Lutheranæ ſymbolicorum.* 446
Withers (*Johannis*) *Hiſtoria reſiſtentiæ in Eccleſia Anglicana uſu receptæ.* 514

II. Libri Juridici.

ANonymi (*G.D.T.*) *Tractatus de Contractibus Matrimonialibus.* 149
Beſt (*Guilielmi*) *e Litteris ad J. B. M. Excerpta, ſeu Defenſio libelli ſui de ratione emendandi leges.* 151 *
Brenckmann (*Henrici*) *Pandectæ Juris Civilis Autoribus ſuis & libris reſtituti.* 531
Van Bynkershoek (*Cornelii*) *Obſervationum Juris Romani Libri IV.* 1
Cortreij (*Adami*) *Corpus Juris publici S. Rom. Imp. Tomus III & IV.* 511

Grotii (*Hugonis*) *de Jure Belli & Pacis Libri III a J. W. Jægero Obſervationibus illuſtrati.* 408
Hombergk zu Bach (*Jo. Friderici*) *Authentica, ſeu Novella Conſtitutionis prima D. Juſtiniani Verſio & in eam Notæ.* 501
Jægeri (*Jo. Wolffgangi*) *Obſervationes in H. Grotium de J. B. & P.* 408
Leonhardi (*Chriſtiani*) *Scriptores & Excerpta Juris Poſtarum.* 299
De Sparre *Codex Militaris, ſeu Collectio Diplomatum Ludovici XIV. in cauſis militaribus.* 203
Zu Bach *vide* Hombergk.
Wæchtleri (*Chriſtfridi*) *e Litteris Excerpta ad J. B. M. occaſione Obſervationum Cornelii van Bynkershoek.* p. 73
occaſione Epiſtolæ Guilielmi Beſt ad J.B. M. 236
occaſione Novellæ primæ a J.F. Hombergio denuo verſæ & Notis illuſtratæ. 505

III. Libri Medici & Phyſici.

ANonymi Amœnitates Hortenſes novæ atque mirabiles. 134
Anonymi Tractatus de mediis flumina navibus vehendis apta reddendi. 141
Anonymi Hiſtoria Morborum, qui A. 1702 Uratislaviæ graſſati ſunt. 305
Barchuſen (*Jo. Conradi*) *Hiſtoria Medicinæ.* 211
Bernabeo (*Antonii Nicolai*) *Diſſertatio de Mortibus improviſis.* 156 *
Bonanni (*Philippi*) *Muſæum Kercherianum.* 324
Courtial *Obſervationes de Oſſibus.* 136
Floyer (*Johannis*) *Pulſuum Horologium Medicum.* 4
De Fontenelle *Hiſtoria Academiæ Regiæ ſcientiarum A. 1708.* 204, 247
Freind (*Johannis*) *Prælectiones Chymicæ.* 412
Hervieux *Tractatus novus de Paſſeribus Canariis.* 492

Lib.

Lib. Bar. de Huyſſen (*Henrici*) *e Litteris excerpta de partu humano monſtroſo Cracoviæ A.* 1710 *d.* 9 *Febr. nato.* 137
Langii (*Caroli Nicolai*) *Tractatus de origine lapidum figuratorum.* 81
Lemery (*Ludovici*) *Diſſertatio de Nutritione Oſſium.* 136
Liebknecht (*Jo. Georgii*) *mira Metamorphoſis ligni in mineram ferri.* 484
Petiti (*J. L.*) *Ars medendi morbis Oſſium.* 136
Polyniere (*Petri*) *Experimenta Phyſica.* 138
Ruyſchii (*Friderici*) *Theſaurus animalium primus.* 482
Scheuchzeri (*Jo. Jacobi*) *Herbarium Diluvianum.* 451
Sloane (*Johannis*) *Hiſtoria Naturalis Jamaicæ, cum Itinere in Jamaicam, Maderam &c.* 131
Schaar (*Jo. Bernardi*) *e Litteris ad Henr. L. B. de Huyſſen Excerpta de Peſte Polonica.* 215
Wedelii (*Ge. Wilhelmi*) *Epitomes Praxeos Clinicæ Sectio prima de Morbis Capitis.* 410

IV. Libri Mathematici.

A. *C. G. Reticulum novum pro obſervandis Eclipſibus.* 312
Anonymi Galli Perſpectiva Practica Germanice verſa. 309
Balthaſaris (*Theodori*) *Micrometria, ſeu de Micrometrorum &c. ſtructura.* 464
Bion (*Nicolai*) *Tractatus de conſtructione & præcipuis uſibus inſtrumentorum Mathematicorum.* 15
De Birckenſtein (*Antonii Erneſti*) *Uſus circuli & regulæ.* 142
A Borgsdorf (*Erneſti Friderici*) *Munimentum inexpugnabile.* 142
Novæ Propoſitiones Viennenſes de munimentis vi oppugnandis. 142
Cheynæi (*Georgii*) *Philoſophica principia Religionis naturalis.* 454
Craig (*Johannis*) *de Linearum curvarum Longitudine.* 352

F. R.

F. R. U. J. *Machina nova ad materiam pulveris pyrii conterendam aptiſſima.* 467
De Fontenelle *Hiſtoria Academiæ Regiæ ſcientiarum A.* 1708. 204
Comitis ab Herberſtein (*Ferdinandi Erneſti*) *Demonſtratio Tetragoniſmi Lunulæ Hippocratis.* 16
Specimen Archimedæum, &c. 161
Apodixis Analytica, &c. 510
Diatome circulorum. 526
Keill (*Johannis*) *Epiſtola ad Chriſtianum Wolffium.* 11
De Marchettis (*Angeli*) *Euclides Reformatus.* 308
De Medrano (*Seb. Ferdinandi*) *Architectus militaris Practicus.* 355
Rembold (*Jo. Chriſtophori*) *Perſpectiva Practica ex Anonymo Gallo Germanice verſa.* 309
Wolfii (*Chriſtiani*) *Reſponſio ad Epiſtolam Johannis Keill.* 78
Monitum circa experimentum de circulatione aeris per poros ligni. 80
Elementa Matheſeos univerſæ. 486

V. Libri Hiſtorici, Geographici &c.

ANonymi Numiſmatum antiquorum Sylloge, Populis Græcis, Municipiis & Coloniis Romanis cuſorum. 22
Anonymi Hiſtoria Fœderis Cameracenſis. 41
Anonymi Hiſtoria Imaginationum Dn. Ouſlii. 259
Anonymi Hiſtoria detectæ Civitatis Antrenſis. 268
Anonymi Genius Guidonis Patini. 416
Anonymi Deſcriptio Civitatis Iſenacenſis. 500
Anonymi Secreta Aulæ Gallicæ circa Pacem Monaſterienſem, ſeu Epiſtolæ, &c. 518
Antonini *Aug. Iter Britanniarum cum Commentariis Thomæ Gale.* 93
Baluzii (*Stephani*) *Hiſtoria Genealogica domus Alvernenſis.* 179
Bœhmer (*Juſti Chriſtoph.*) *Inſcriptiones ſepulchrales Helmſtadienſes.* 525

Digitized by Google

Buddei (*Jo. Franciſci*) *Lexicon Univerſale Hiſtoricum.* 145
Calvœr (*Caſparis*) *Gloria Chriſti, ſeu argumenta pro veritate religionis Chriſtianæ.* 402
Fabricii (*Jo. Alberti*) *Memoriæ Hamburgenſes, Tomus I & II.* 448
Ficoroni (*Franciſci*) *Obſervationes ad Bernhardi de Montfaucon Diarium Italicum.* 114
Fiedleri (*Johannis*) *Monumentum Mugellenſe.* 316
Gale (*Thomæ*) *Commentarii in Antonini Iter Britanniarum.* 97
Gryphii (*Chriſtiani*) *Diſſertatio Iſagogica de Scriptoribus Hiſtoriam Seculi XVII illuſtrantibus.* 249
Harduini (*Johannis*) *Opera Selecta.* 49
Imhoff (*Jacobi Wilhelmi*) *Genealogiæ viginti illuſtrium in Italiæ Familiarum.* 374
Junckeri (*Chriſtiani*) *Vita Jobi Ludolfi.* 263
Relatio de Bibliotheca Gymnaſii Iſenacenſis & Diſſertatio de regionum Saxonicarum publicis Bibliothecis 356
Notæ in Scriptores Hiſtoriæ Iſenacenſis. 500
Kochii (*Jo. Michaelis*) *Hiſtoria arcis Wartburg.* 500
Lelandi (*Johannis*) *de Scriptoribus Britannicis Commentarii.* 149
Leuckfeld (*Jo. Georgii*) *Antiquitates Gandersheimenſes.* 313
Ilfeldenſes. 315
Lobineau (*Guidonis Alexii*) *Hiſtoria Britanniæ Minoris. Tomi duo.* 18
Mabillonii (*Johannis*) *de Re Diplomatica Libri VI.* 273
Perizonii (*Jacobi*) *Commentarii hiſtorici rerum ab ineunte Seculo XVI usque ad mortem Caroli V geſtarum.* 283
Du Poncet *Hiſtoria Scanderbegi.* 270
Reuſch (*Erhardi*) *Memoria Omeiſiana.* 301
L. B. de Rieden (*Iſaaci Volmari*) *Diarium ſive Protocollum Actorum publicorum Pacis Monaſt. & Oſnabrug.* 522
Rollii (*Reinh. Henrici*) *Bibliotheca Nobilium Theologorum, cum Præfatione D. Jo. Fechtii.* 45
Memoria Philoſophorum, Oratorum, Poetarum, Hiſtoricorum & Philologorum renovata Decas I. 47

Digitized by Google

Rymer (*Thomæ*) *Fœdera, Conventiones, Literæ & Acta publica Anglicana. Tomus II.* 87
Tomus III & IV. 225
Sloane (*Joannis*) *Hiſtoria Itineris in Inſulas Maderam, Barbatam, Nivium, S. Chriſtophori & Jamaicam.* 131
Toppii (*Andreæ*) *Annales Urbis Iſenacenſis.* 500
Vignolii (*Johannis*) *Antiquiores Pontificum Romanorum Denarii.* 20
Volmarus *vide L. B.* de Rieden.

VI. Libri Miſcellanei.

ANonymi *Hiſtoria Imaginationum Dn. Ouſlii.* 259
Anonymi Genius Guidonis Patini. 416
Ackeri (*Jo. Henrici*) *Methodus ſcribendarum Epiſtolarum* 266
Azernouchi (*Borhaneddini*) *Enchiridion Studioſi, Arabice & Latine.* 151
Arbiter *vide* Petronius.
Ariſtophanis *Comœdiæ XI, e recenſione Ludolphi Kuſteri.* 97
Bœhmer (*Juſti Chriſtoph.*) *Inſcriptiones ſepulcrales Helmſtadienſes.* 525
Bonanni (*Philippi*) *Muſæum Kircherianum.* 324
C. A. H. vide Heumann.
Caſauboni (*Iſaaci*) *Epiſtolæ, Dedicationes, Præfationes, Poemata & Fragmentum de libertate Eccleſiaſtica, una cum ejus vita.* 183
varia judicia & obſervationes, ſeu Caſauboniana. 191
(*Merici*) *Epiſtolæ & tractatus quidam rariores.* 184
Cheynæi (*Georgii*) *Principia Philoſophica Religionis Naturalis.* 454
De la Croze (*Johannis Cornandi*) *Vindiciæ Veterum Scriptorum contra Jo. Harduinum.* 69
Dacerii (*Andreæ*) *Animadverſiones Criticæ & Hiſtoricæ ad Horatii Carmina.* 117
Groſchupf (*Henrici Auguſtini*) *nova Librorum rariorum Collectio. Faſciculus I, II & III.* 255
Harduini (*Johannis*) *Opera Selecta.* 49
Hervieux *Tractatus novus de Paſſeribus Canariis.* 492

Digitized by Google

Heumann (*Chriſt. Adami*) *Conjectura Critica de Philoſophumenis ſub Origenis nomine editis.* 165
Hieroclis *Commentarius in Aurea Carmina cum Notis Petri Needham.* 348
Hochſtetteri (*Andreæ Adami*) *Collegium Puſendorſianum ſuper libris de officio Hominis & Civis.* 171
Horatii *Opera, Latine & Gallice, cum Andrea Dacerii Animadverſionibus.* 117
Jægeri (*Jo. Wolfgangi*) *Obſervationes in H. Grotium de J. B. & P.* 408
Mabillonii (*Johannis*) *de Re Diplomatica Libri VI.* 273
Menandri *& Philemonis Reliquiæ.* 111
Muratorii (*Ludov. Antonii*) *Anecdota Græca.* 494
Nilant (*Jo. Frederici*) *Fabulæ antiquæ ex Phædro deſumptæ & ſoluta oratione expoſitæ.* 92
T. Petronii *Arbitri Satyricon quæ ſuperſunt, cura Petri Burmanni.* 381
Philemonis *& Menandri Reliquiæ.* 111
Phædri *Fabulæ proſa oratione expoſitæ cum Notis Jo. Frid. Nilant.* 92
Rabbenio (*Raphaelis*) *Fragmentum Epiſtolæ de Blaſii Garofali Conſiderationibus de Poeſi Hebræorum.* 529
Relandi [*Adriani*) *brevis Introductio ad Grammaticam Hebræam Altingianam.* 447
Commentarius in Librum Ruth. 447
Richelet (*Petri*) *Novum Dictionarium Gallicum.* 120
Romuli *Fabulæ Æſopiæ.* 92
De Sainjore *vide* Simonius.
Scacchi (*Bernabo*) *vide* Rabbenio.
Simonii (*Richardi*) *Bibliotheca Critica. Tomus I & II.* 279
Struvii (*Burcardi Gotthelf*) *Acta Literaria ex MSptis eruta. Faſc. II, III, IV, V, VI & VII.* 286
Turſellini (*Horatii*) *de Particulis Latinæ Orationis libellus a Jo. Conrado Schwarzio auctus.* 305
Wolfii (*Jo. Chriſtophori*) *Notæ in Caſauboniana.* 191

IN-

Digitized by Google

INDEX RERUM NOTABILIORUM in hoc Volumine obviarum.

D'Ablancourt (*Nic. Perrotus*) *Apoſtata.* 121
In Academia *Gallica quis pretium Eloquentiæ & Poeſi conſtituerit?* 121
Ackold(*Emeran*) *per anagramma Andreas Ockel.* 300
Actionis *ad exhibendum quæ cauſa?* 2
Actores *qui Romanis dicti?* 302
Acus *magnetica Theoria Halleiana commendata,* 207
*S.*Adelberti *acta.* 387
Adlzreiterianorum *Annalium Boicorum verus autor.* 252, 289
Adriani VI *Pont. Conclave.* 287
Ædificiorum *pulcritudo in quo conſiſtat?* 491
Æquationes *conſtruendi methodus Sluſiana impugnata.* 207
Aer *humidus ſicco magis dilatatur.* 206
— *ſuperior inferiore magis elaſticus.* 206
— *quomodo corpus lædat?* 159
Aeris *circulatio per poros ligni demonſtrata.* 80, 81
— *elater impugnatus.* 206
— *defenſus.* 206
Aerometria *Chriſt. Wolfii commendata.* 206
Ætna *mons fauces inferni.* 158
De Agapis ſublatis *Diſſertatio.* 498
De Agapetis *Diſſertatio.* 498
Ἀγώγιμ𝔬 *quid olim notaverit?* 75 *ſeq.*
De Agrippæ *libro* de vanitate ſcientiarum *judicium.* 192
Alæ *quid veteribus?* 335
Alapæ *quid veteribus?* 334
Alcoranum *legens quid orare debeat?* 153
Alfeni Vari *laciniæ e Digeſtis collecta.* 533
Algebra *facillime explicata.* 487
Alliaceni (*Petri*) *elogium & vita.* 358 *ſeq.*
Aloes *analyſis.* 249
Alſatiam *cur Gallos tenere expediat?* 519
Alverniæ *Comitatus fines.* 181
— *Comitum origo.* 179 *ſq.*
Amalgamatio *ut fiat?* 415
Anaticula *vocabulum amatorium apud veteres.* 110
Ancillæ *a Poeta celebrata & in thorum adſcita exemplum.* 121

 An-

Angeli *quo die creati?* 234
Angli *num ad Tragœdiam ſcribendam apti?* 118
Angliæ *ſcriptores a quibus illuſtrati?* 149
Bibliotheca excuſſa. 151
Anima *actionum corporearum rectrix.* 213
Animæ *immortalitas probata.* 479
Animalium *primæva origo mechanice inexplicabilis.* 460
ſonus diverſus. 193
Antichriſtus *quis?* 366, 401
S. Antidius *exploſus.* 385
Antiochiæ *in Syria ſtatus ſub Auguſtis.* 52, 53
numi explicati. ibid.
Antoninus *Imp. num autor Itineris Britanniarum?* 94, 95
Antrenſis *urbis rudera.* 268
Apertura *lentium in tubis ut definiatur?* 489
S. Apollinarii *acta.* 333
Apollo *grypho inſidens in numis quid?* 56
Apoplectici *anatome.* 157
ſtertor unde? 158
Apoplexia *in catarrhum ſuffocativum mutata.* 158
cur Romæ adeo frequens? 159
Apoplexiæ *cauſa.* 158
præſervatio. 160
ejusque curæ differentia. 308
Apotheoſis *Mauritanis ignota.* 59
Aqua *per machinas ut elevanda?* 459
quoties corrumpatur? 405
Aquæ *ebullientis vis in elatere aeris intendendo.* 205
ſalienti quomodo figuræ inducendæ? 489
De Arabicis *Bibliorum verſionibus obſervationes.* 431
Arabicorum *librorum Latine translatorum ſyllabus.* 151 *ſeq.*
Arborum *rami ſuperflui quando reſecandi?* 135
truncis gemmas inſerendi methodus nova. 134 *ſeq.*
Ἀρχιερεὺς *Antiochenus Auguſtus quando factus?* 53
Ἀρχιερεῖς *quinam olim dicti?* 170
Architectura *aquarum Baratteri commendata.* 141
Architecturæ *principia enodata.* 489 *ſeq.*
militaris praxis deſcripta. 354, 489
Arcus *cur in Pontificum numis cruci circumpoſiti?* 32
Areopagus *num unquam extiterit?* 59
Ariſtophanes *quanti habitus a Chryſoſtomo & Gaza?* 97
Ariſtophanis *editiones variæ.* 97 *ſeq.*

Ariſto-

Ariſtotelis *libri* de myſtica Philoſophia *ſpurii.* 192
Magna Moralia a quo primum edita? 378
Arithmeticæ *infinitorum leges explicata.* 462 *ſq.*
Arnaldus (*Antonius*) *laudatus.* 121
quando mortuus? 121
Arndius (*Joannes*) *turbulenti ingenii accuſatus.* 254
Ars *libellandi expoſita.* 489
Arteriæ *ſyſtole & diaſtole unde?* 6
num ſe dilatent follium inſtar? 5
contractio num feriat digitum pulſum explorantis? 5
Articuli Smalcaldici *Diſſertationibus illuſtrati.* 408
Arundinis *ſaccharifera delineatio.* 134
Arx *quid?* 302
Aſterius (*Juſtus*) *quis?* 253
Aſtrolabiorum *uſus.* 15
Aſtronomia *Kepleri commendata.* 491
practica in perſpicuum compendium redacta. 491
Athei *num ens a ſe admittant?* 478
Cum Atheo *diſputandi methodus praſcripta.* 174
Atheiſmi *ad Rempublicam habitus.* 480
Atomi *profligata.* 459
Atomorum *concurſus fortuitus exploſus.* 459
Attractio *particularum minimarum unde?* 415
Attractrix *vis primitiva exploſa.* 412, 413, 457
Avaritiæ *punita exemplum.* 317
divitum profliganda mirum remedium. 388
Aubignæi *ſcribendi cacoethes & ſupplicium.* 252
Aventici *urbis rudera num in Gallia reperta?* 268. *ſq.*
Auguſti *nomen proprium & hereditarium.* 67
dignitas num perpetua? 67
omnes ad communem ſtipitem referendi. 67
Aviaria *pro paſſeribus Canariis ut ſtruenda?* 493
Αυτοκράτορες *Antiochiæ quando facti Imperatores Romani?* 53
De Autoribus *librorum dignoſcendis criterium.* 197

BAcchinius (*Benedictus*) *laudatus.* 330
notatus. 332, 335
Bælius (*Petrus*) *refutatus.* 128 *ſq.*
Bailletus (*Adrianus*) *in vita Carteſii ſcribenda a quo adjutus?* 123

Bal-

Balbini (*Bohuslai*) *candor laudatus.* 252
Baptismus *pro mortuis quid?* 56
cum initiatione Judaeorum comparatus. 293
Baratteri *Architectura aquarum commendata.* 141
Barberini (*Antonii*) *epitaphium.* 418
Barometrum *novum.* 205
De Baronio *judicium Pauli Sarpii.* 189
Barrin *Abbas notatus.* 122
S. Bartholomaeus *Apoſtolus num fuerit in Sicilia?* 160
De Bartoloccii *Bibliotheca Rabbinica judicium.* 282
Ad Belgium *Hiſpanicum cur adſpirent Galli?* 519 *ſq.*
Bellerophon *cum Pegaſo in nummis quid?* 56
De Bembellona (*Antonius*) *quis?* 253
Benedictini *Monachi criminis falſi accuſati.* 280, 281
Bentlejus (*Richardus*) *laudatus.* 105, 109, 112
Berenicius (*Theodoſius*) *quis?* 253
Beringerus (*Erichius*) *laudatus.* 256
Bethunii *Commentarii laudati.* 253
Beza (*Theodorus*) *Manichaiſmi inſimulatus.* 189
Beza (*Theodorus*) *triplici conjugio memorabilis.* 418
Bibliothecae *Regia Anglicana incrementa.* 151
Iſenacenſis hiſtoria. 355 *ſeq.*
libri rariores. 356 *ſq.*
Bibliothecae *quaedam Saxonicae.* 358
Biragus *vide* Mediobarba.
Biragi (*Renati*) *Cardinalis epitaphium.* 377
Bithyniae *Regum ordo.* 53
Bochartus (*Samuel*) *quinquagenarius linguam Aethiopicam diſcit.* 265
De Bodini *Daemonomania judicium.* 260
Boerneriani *Codicis Graeci Epiſtolarum Pauli deſcriptio.* 437
De Boethii *libro* de Diſciplina Scholarium *judicium.* 191 *ſeq.*
De Bohemi (*Jacobi*) *libris judicium P. J. Speneri.* 40
Boineburgi (*Jo. Chriſtiani*) *vita.* 287
Du Bois *Abbas cur ſuſpenſus?* 188
Bonanni (*Philippus*) *notatus.* 329, 330
Bonfigli (*Onuphrii*) *Commentarius Medico-Phyſicus de plica promiſſus.* 224
Boſſuetus (*J. Bened.*) *notatus.* 202
laudatus. 392, 396

De

De Bouchardi (*Alani*) *Chronico magno Britanniæ judicium.* 18
De le Boud (*Petri*) *Hiſtoria Britanniæ Minoris judicium.* 18
Bouhours (*Dominicus*) *quando mortuus?* 121
Bourdaloue (*Ludovicus*) *quando natus & mortuus?* 121
Bourſault *ſcriptor* αὐτοδίδακτος. 121
Brerewodii (*Eduardi*) Scrutinii Religionum *Interpres Latinus notatus.* 265
Bresler (*Ferd. Lud.*) *ab Aſchenburg laudatus.* 148
Briani (*Franciſci*) *jocoſitas.* 419
Britannia *Minor a quibus Hiſtoricis deſcripta?* 18
De Brucioli (*Antonii*) *verſione Italica Novi Teſt. ſingularia.* 290
Brutus *num interfecerit Cæſarem?* 66
Bruti *familiæ numi.* 66
Bubonocele *miranda.* 136
De Buchanano *judicium Is. Caſauboni.* 188
Bucchingerus *notatus.* 160
Buddei (*Jo. Franc.*) *in colligendo Lexico Hiſtorico ſtudium.* 147
Van Bynkershoek (*Cornelius*) *laudatus.* 1
CÆſaris *nomen num familiæ an dignitatis?* 67
Cæſaris *cædes num a Caſſio patrata?* 66
— *Dictatura ubi?* 54
Calcinatio *ut fiat?* 414
— *quid?* 424
Calendarii *conſtructio explicata.* 489
Calvinianorum *nomen quando ortum?* 285
Cameracenſis *fœderis hiſtoria.* 41 *ſeq.*
Campanellæ (*Thomæ*) Atheiſmus triumphatus *cum MSto collatus.* 286 *ſeq.*
Campaniæ *Comitum titulus.* 87
Canarii *paſſeres ut educandi?* 492
Cantiones *Sorabicæ.* 298 *ſeq.*
Capillamentorum *uſu clericis interdictum.* 440
Capitis *dolor a verme in ſinu frontali.* 248
— *per ambuſtionem curatus.* 248
Carolus *M. quo die mortuus?* 334
Caroli Simplicis *formula diplomatum initialis.* 276
Carolus *VIII R.G. num Annam Britannicam in thalamum rapuerit?* 21
Carpzoviani *Codicis Evangeliorum Græci deſcriptio.* 436
Carteſius *notatus.* 456, 459.
Carteſiana *Philoſophia noxia.* 191

Caſaubonus (*Iſaacus*) *laudatus.* 119, 187
Caſauboni (*Iſ.*) *vita.* 184 *ſq.*
matrimonium felix. 185
character. 187
(*Merici*) *vita.* 189 *ſeq.*
filia docta. 190
opera anecdota. 190
Caſſius *num interfecerit Cæſarem?* 66
In Cataracta *humor cryſtallinus condenſatur.* 247
Catarrhus *ſuffocativus mortis ſubitaneæ cauſa.* 158
In Catarrhum *ſuffocativum mutata apoplexia.* 158
Catholici *titulus Regi Angliæ tributus.* 91
Catimelibocenſis *Comes ligius Anglorum.* 91
Catullus *num Lyricis accenſendus?* 118
De Cave (*Gulielmi*) *Hiſtoria Litteraria judicium durius.* 282
Caules *plantarum cur perpendiculariter aſcendant?* 249
Cephas *& Petrus num iidem?* 59. 68
Ceræ *analyſis.* 248
Cervariæ *radix antipodagrica.* 307
Choreæ *damnatæ.* 441
Chriſtus *num riſerit?* 303 *ſeq.*
De Chriſti *umbilico ſingularia.* 202
Chriſtiana *religio contra Judæos aſſerta.* 403
Chriſtiani I *El. Sax. religio num conſtans?* 130
Chriſtianiſſimi *titulus Angliæ Regi tributus.* 91
Chriſtianorum *ſecta quæ eligenda?* 154
Chronologicæ *regulæ ad Hiſtoriam Auguſtam illuſtrandam.* 66
Chymia *quid?* 424
Chymiæ *defectus notati.* 412
profectus quales deſiderentur? 416
diviſio. 424
Cicutariæ *vis deleteria.* 484
Circini *uſus explicatus.* 142
Circulorum *diatome triplex.* 528
Circumciſio *apud Ægyptios ante Chriſtum nulla.* 64
De Clavicula Salomonis *judicium.* 260
Cleopatra *cur in numis Antonio juncta?* 65
Clericus (*Joannes*) *notatus.* 114
Clerici (*Joannis*) *in Menandri & Philemonis Reliquiis edendis ſtudium.* 112 *ſeq.*
cum Petro Burmanno lites. 144
Clericorum *mores caſtigati.* 439 *ſeq.*

Clini-

Digitized by Google

Clinica *praxis.* 410
Codex *Alexandrinus Bibliorum Jonicæ Dialecti veſtigia monſtrat.* 474
Boernerianus vide Boernerianus.
Carpzovianus vide Carpzovianus.
Cœlum *aperiri & claudi ut dicatur?* 63
Cohæſionis *cauſa.* 414
Colletet *(Guilielmus) quando natus & mortuus?* 121
Columba *num proceſſerit e S. Polycarpi occiſi corpore?* 200, 335
Columbula *amatoria dictio apud veteres.* 110
Columnenſium *ſub Bonifacio VIII. Pont. perſecutiones.* 380
Comburendi *cadavera humana ritus quousque duraverit?* 116, 328
Cometa *ſtationarius & retrogradus.* 209
Comœdi *a S. Cœna uſu prohibiti.* 441
Comœdiæ *origo.* 117
Comœdiæ *damnata.* 441
Conchoidum *infinitarum ſymptomata.* 207
Concilium *generale num poſſit in fide errare?* 361, 366, 368
A Concilio *generali num detur appellatio?* 360 *ſeq.*
Confeſſionis *auricularis origo.* 334
Confeſſiones *dictæ olim conditoria Martyrum.* 32
Congelationis *cauſa.* 459
Conſtantiniani *generis hiſtoria.* 60
ſeculi numi. 60
Conſtantinopoleos *nomen in numis an occurrat?* 62
Contarinus *(Camillus) laudatus.* 535
Convulſionis *theoria.* 410
cura. 411
Copernicanum *Syſtema Scripturæ non adverſum.* 491
Cor *num dilatetur follium inſtar?* 5
Cornua *in ſigmate quid?* 302
Coronelli *(Vincentii) opera grandiora.* 48
Contraſigillis *quid inſculpi ſolitum?* 183
Corroſio *ut fiat?* 415
Cortreji *(Adami) vita.* 513 *ſeq.*
Coſmi I *M. Duc. Hetruriæ liberalitas laudata.* 378
Coſmogonia *Carteſii notata.* 459
Cotinus *(Carolus) notatus.* 121
Crantzius *(Albertus) num fuerit Syndicus Hamburgenſis?* 450
Cryſtalliſatio *ut fiat?* 4:6
De la Cueva *Card. autor Scrutinii libertatis Venetæ.* 253
Cujacii *filiæ laſcivia.* 417
Cura *paſſerum Canariorum.* 491

Digitized by Google

Curæ *præſervatoria vernales.* 308
Curterius *notatus.* 282
Curvæ *innumeræ ejuſdem cum data longitudinis invenienda.* 353
Cybo (*Albericus*) *inter Principes Imperii relatus.* 376
Cycloidum *rectificatio.* 207
Cyclopes *antiquiſſimi Siciliæ idololatræ.* 156

DAndi (*Jo. Peregrini*) *novum Diarium promiſſum.* 178
Daphne *quid ſit?* 147
Daturæ *vis deleteria.* 484
Deana *quid in antiquis monumentis!* 115 *ſeq.*
Debitor *pluribus Creditoribus addictus num juxta Leges XII Tabb. in partes ſecandus?* 3, 73 *ſeq.*
an vendendus trans Tiberim? 73 *ſeq.*
Declinationis *acus Magneticæ Syſtema Hallejanum commendatum,* 207
Defenſor Monachorum *quid?* 182
Dei *exiſtentia a Carteſio infirmo argumento probata.* 479
ut probanda? 460, 478
nomen in Cantico nuſquam obvium. 293
Delirium *per Muſicam curatum.* 207
Denarii *Pontificum Rom. illuſtrati.* 29
Denarii *S. Petri ab Anglis pendi ſoliti quales?* 33
Dendritarum *phænomena.* 452
Deſcenſus *corporum in fluido qualis.* 13
Deſtillatio *ut fiat?* 414
Diaboli *apparitiones falſæ.* 263
Diagnoſis *morborum ex pulſu.* 8
Diameter *Solis apparens quanta?* 467
Diarium *novum Venetum commendatum.* 317
Diaria *Italica nova.* 178
Dictatura *quid?* 59
inferior Conſulatu. 59
Dictaturam *ubi habuerit Cæſar?* 54
Didrachmus *quid?* 59
Didymus *Philoſophumenon Autor aſſertus.* 166 *ſſ.*
Diluvii *ſeries chronologica.* 451
Dio *plagiarius.* 59
Dionyſii *Halicarnaſſei ſtylus.* 72
Dioſcoridis *libri poſtremi num genuini?* 192
Diſſolutio *ut fiat?* 415
Diviſio *fractionum demonſtrata.* 490
Domini noſtri *qui Imperatorum primi appellati?* 52
Domnus *qualis olim titulus?* 33

Digitized by Google

Circa Dotem *quid Galli ſtatuant?* 150*
Dramaticæ *Poeſeos apud Græcos origo & uſus.* 118
Dryden (*Joannes*) *refutatus.* 118
De Duellis *in Gallia prohibitis Edicta.* 203
Dupinius (*Elias*) *notatus.* 167
Dupinii (*Eliæ*) *opus* de Libertatibus Eccl. Gallicanæ *promiſſum.* 121
Dupleix (*Scipio*) *caſtigatus.* 252 *ſeq.*
Duvallius *notatus.* 432

EBullitio *ut fiat?* 415
Eburaci *urbis antiquitas & excellentia.* 95
Eccleſiæ *notæ quæ?* 400
Eccleſia *Epiſcopalis commendata.* 155
quid? 360.399
Romana num infallibilis? 362 *ſeq.* 367 *ſeq.*
Eccleſiam *particularem num ſemper dari Scripturæ S. conſentaneum?* 360 *ſeq.*
Eccleſiaſticus *liber Scripturæ cur dictus?* 294
Elater *aeris defenditur.* 206
impugnatur. 206
Electoratus *Hannoverani inſtituti hiſtoria.* 511 *ſeq.*
In Electoratu *novo inſtituendo num concurrere debeant omnes ſtatus Imperii Rom.* 513
Electorum *numerus num definitus?* 512
Ellipſeos *apud Græcos frequens uſus.* 104
Emendandi *apud ICtos ratio quænam optima?* 2,3
Emmii (*Ubbonis*) *elogium.* 192
Epiſtolarum *ſcribendarum methodus nova.* 266
Equitum *de* Nave *ſignum.* 380
Eremita (*Daniel*) *Apoſtata.* 189
Erpenii *faſtidium linguæ Hebraicæ.* 189
Et *dictio admirationem quandoque notans.* 155*
Eubulus (*Irenæus*) *quis?* 253
Euclides *reformatus.* 308,309
Ευεϱγέτης *in Syrorum numis quis?* 65
Euphemii *epitaphium.* 495
S. Euroſia *unde orta?* 386
Eurythmia *ubi obſervanda?* 491
De Euſebiis (*Erneſtus*) *quis?* 253
Exodia *in Comœdiis quid?* 119
Exorciſmus *quando adhibendus?* 439
Extractio *Chymica ut fiat?* 415
Experimenta *phyſica deſcripta.* 138

FAbricii (*Georgii*) *modeſtia.* 288
Fabularum *ſcopus primarius.* 92

Faydit *Abbatis Cenſura Operum Jo. Clerici promiſſa.* 122
Febris *accita cum delirio ex ſaltatione.* 207
quintana, ſeptimana, octana & hæmorrhoidalis. 308
Febris *theoria.* 215
Felibien (*Andreas*) *quando natus & mortuus?* 122
Fellerus (*Joachimus*) *laudatus.* 288
Fenelonius *notatus.* 369
Fermentatio *ut fiat?* 415
quid? 425
Ferri *examen.* 485
partes regulinæ ut invenienda? 486
productio. 249
Fidei *conjugalis exemplum memorabile.* 380
Firmi *anecdota Epiſtola edita.* 496
Firmianus (*Petrus*) *quis?* 253
Fixarum *natura.* 459
Flacius (*Matthias*) *notatus.* 498
Flatuum *theoria.* 306
Flavianus (*Amandus*) *quis?* 253
Fluida *in deſtillatione cur aſcendant?* 424
Fluiditas *in quo conſiſtat?* 459
Circa Fluidorum *æquilibrium phænomena.* 139
Fluoris *albi & gonorrhææ muliebris differentia.* 308
Flumina *ut navigabilia reddi queant?* 141
Fœminarum *denudatio coercita.* 440
Fœminarum *eruditarum exempla.* 378, 379
Fœtus *novimeſtris in matris abdomine inventus.* 137
Pipæ e dorſo emergunt. 484
De la Fontaine (*Joannes*) *pauper.* 122
Fontenellii *de Oraculis opus commendatum.* 261
Formula Concordiæ *quando & a quibus compoſita & ſubſcripta?* 128, 129
Fortunæ *ſignum depictum.* 327
Forum Tiberii *urbs olim qualis?* 269
Fractionum *diviſio demonſtrata.* 490
Fridericus II *Imp. quomodo declamatus hæreticus?* 147*
Fridericus Auguſtus *Princeps Saxo-Numb. ob literarum ſtudium laudatus.* 374
Friderici Wilhelmi *D. Sax. Opera quædam laudata.* 357
Fulguris *natura explicata.* 204
Fulmen *conditum.* 158
Funis *in viduarum inſignibus quid notet?* 183

G

Gallicarum *verſionum Biblicarum ſpecimina.* 432. *ſeq.*
Gallus (*Jo. Baptiſta*) *quis?* 257
Gandersheimenſis *cœnobii fundator.* 314

Gaye-

Gaveſtonii (*Petri*) *fata.* 225
Gauricus (*Lucas*) *Aſtrologus Pauli III Pont.* 377
Germanica *Bibliorum verſio nova promiſſa.* 437
Germanicarum *verſionum Biblicarum ſpecimina.* 437
Germonius (*Barthol.*) *notatus.* 71
Glacies *in vacuo facilius liquefit.* 207
Globus *perpetuus Caſſini.* 209
Globorum *uſus.* 15
In Gobati (*Georgii*) *Operibus Moralibus Propoſitiones quædam damnatæ.* 443
Gloceſtria *unde dicta?* 96
Gonorrhœæ *& fluoris albi muliebris differentia.* 308
Gorczynski (*Aquilini Mich.*) *de Canonicis Lateranenſibus opus promiſſum.* 224
De Gothofredo (*Jacobo*) *cenſura.* 239
Graffthonis *Ep. Miſnenſis avaritia punita.* 317
Gratia *Dei univerſalis deſcripta.* 341 *ſeq.*
Gratiæ *Dei univerſalis & particularis differentia.* 345 *ſeq.*
Gratiani *numus explicatus.* 62
Gravinæ (*Jo. Vinc.*) *Opera varia promiſſa.* 224
Gravitas *ex motibus naſcitur.* 79
massæ proportionalis. 78
Gravitas *mechanice num explicari poſſit?* 457
non eſt vis primitiva. 78, 457
Gronovius (*Laur. Theod.*) *laudatus.* 237
Gryphus *in numis quid?* 56
Gudii (*Marquardi*) *MSpta in Bibliothecam Welferbytanam translata.* 468
Guicciardinus *defenſus.* 43
Gulielmini (*Dominici*) *Opera edita & promiſſa.* 317

HAbert (*Germanus & Philippus*) *fratres laudati.* 122
Hæmoptyſeos *cura.* 307
Hæmorrhoidalis *febris.* 308
Hæreticæ *quædam doctrinæ.* 231
Hæretici *in Sicilia nulli.* 147*
Hagiolatria *ut orta?* 496
Haloander (*Gregorius*) *laudatus.* 507
De Haloandro (*Greg.*) *judicium.* 237
Hamburgenſium *portarum inſcriptiones.* 449
Harduinus (*Joannes*) *notatus.* 26
Harduini (*Joannis*) *ſyſtema confutatum.* 72
Operum Selectorum fata. 49
Hebraica *Poeſis qua re a proſa oratione differat?* 117
lingua num alias amœnitate ſuperet? 530

De Hebraica *Poeſi Epiſtola.* 529
Hebræi *num Muſica excelluerint?* 530
num metri in Poeſi leges adhibuerint? 530
Hecticæ *cura.* 10
Heimskerkii *pictoris teſtamentum notabile.* 418
Heinſii (*Nicolai*) *erga Salmaſium odium.* 256
aſſentatio notata. 291
Helmſtadienſium *Profeſſorum Elogia & Vita promiſſa.* 525
Herbarium *Diluvianum.* 451
Hercynianus (*Fabius*) *quis?* 253
Hercules *Semo vocatus.* 116
Herodiadum *Genealogia.* 58, 59
Heronis & *Leandri fabula unde?* 52
Heshuſius *notatus.* 285
Hickeſius (*Georgius*) *notatus.* 274
Hieroclis *cum Codice Mediceo collatio.* 351 *ſeq.*
Hieronymus *Siciliæ Rex ultimus cujus filius?* 55
Hieroſolymæ *ſitus.* 293
Hiſtoria *Auguſta ex numis.* 66
Hiſtorici *Seculi XVII illuſtrati.* 250 *ſeq.*
Hobbeſii (*Thomæ*) *doctrina pro nova ab autore venditata.* 174
Homagium *Eccleſiis præſtitum num feudum conſtituat?* 183
Hombergius de Vach (*Jo. Frid.*) *laudatus.* 505
De Hornio (*Georgio*) *cenſura.* 251
Horologiorum *inſcriptiones.* 418
Hortenſes *amœnitates novæ.* 134
Hoſtiarum *forma olim qualis?* 334
Hottentotticorum *vocabulorum collectio.* 266
Hroswithæ *Carmen de cœnobio Gandersheimenſi vulgatum.* 315
de S. Pelagio emendatius editum. 390
Huetius (*Daniel*) *defenſus.* 480
Hugenottorum *nomen unde?* 285
Humidus *aer ſicco magis dilatatur.* 205
Hyſopus *num arbor, an herba?* 296

JAcobi *vaticinium.* 63
Jacobi I *Regis Angliæ eruditio.* 188
Janſenius *laudatus.* 370, 371
Janſenii *doctrina examinata.* 370 *ſeq.*
A Jeſu (*Liberii*) *retractatio.* 398
Jeſuitæ *Harduino adverſi.* 49
traditiones ſtabilire moliuntur. 70
quibus conditionibus in Gallia quondam tolerandi? 188

Igna-

Digitized by Google

Ignatii *Epiſtolæ ſpuriæ quæ?* 199
genuinæ quando ſcriptæ? 199
nominis derivatio. 199
Illuminatorum *Secta.* 291
Imbres *ante diluvium nulli* 63
Immolatio *hominum quando in Sicilia ceſſaverit?* 157
Immortalitas *animæ probata.* 479
Indictionum *origo.* 61
Infinitas *probata.* 462
Infiniti *notio qualis?* 461, 462
Inflammationis *theoria.* 214
Innocentius VIII *Regi Neapolitano cenſum annuum remittit.* 376
Inſcriptiones *Romanæ quales ſuſpectæ?* 25
Inſignium *apud familias origo.* 180
Inſtrumenta *Mathematica deſcripta.* 15
Inteſtinum *ad dimidium pedem reſectum ſine noxa.* 136, 137
Inveniendi *regulæ ut reperiantur?* 486
Inveſtitura *per traditionem curſelli.* 227
Joſephus *defenſus.* 71
Joſua *cur* Nave *dictus.* 64
Joſuæ *liber quando & a quo ſcriptus?* 294
Iris *unicolor.* 29
Jsboſethi *ætas unde numeranda?* 64
Iſenacenſis *Hiſtoriæ ſcriptores aliquot editi.* 500
Italica *Bibliorum verſio Sixti V.* 433
Ittigii (*Thomæ*) *vita & obitus.* 221
(*Gottfr. Nic.*) *vita & obitus.* 222
Juba *Rex primus utriusque Mauritaniæ.* 54
ejus numus. 54
Judæ *ſceptrum quid?* 235
prærogativa. 235
Judæi *ſub Adriano num bellum moverint?* 54
quibus armis oppugnandi? 403
Judex *controverſiarum fidei quis?* 365
Julianus *Imp. illuſtratus.* 497
Juliani *Imp. Epiſtolæ anecdotæ editæ.* 497 *ſeq.*
Jurandi *apud veteres ratio diverſa.* 105, 106, 109
Jus præcipui *in Gallia quod?* 151 *
Juſtelli *de Vicecomitibus Turenniis liber.* 179

K

A Kempis (*Thomas*) *num autor libri de imitatione Chriſti?* 280
Kepleri *Aſtronomia commendata.* 491

Kirchbergenſium *Burggraviorum hiſtoria.* 316

De Kircheri China *judicium.* 291

Muſæi *prima editione judicium.* 325

Kirſtenius *caſtigatus.* 189

Kulpiſius (*Jo. Georgius*) *laudatus.* 251

Kuſterus (*Ludolfus*) *notatus.* 100 *ſq.*

De LAbbei *libro* de ſcriptoribus Eccl. *judicium.* 289

Lactantius de Lactantiis *quis?* 379

Lamy (*Bernardi*) *Deſcriptio Templi Hieroſolymitani promiſſa.* 122

A Lapide (*Hippolyti*) *libri* de ſtatu Imp. Germ. *autor quis?* 251

Lapides *figurati num in terra naſcantur?* 83, 85

num diluvii teſtes? 83

plantas & animalia repræſentantes. 453

Lapidum *figuratorum origo.* 81

Lapſus *Protoplaſtorum explicatus.* 234

Laſcaris (*Conſtantinus*) *notatus.* 160

Leblancus *refutatus,* 31

Lectiones *variantes dijudicandi criterium.* 421

De Lectoribus primæ Eccleſiæ *Schediaſma J. A. Schmidii commendatum.* 407

Legatorum *ad Pacem Monaſt. miſſorum characteres.* 522

Leges *explicatæ vel emendatæ.*

L. 3 ff. ad exhib. 2, 73

4 pr. C. de Heret. & Man. 3, 73

1 ff. de Solut. 153, * 241

3 §. 2 ff. pro Soc. 154, * 241

un. ff. ſimul. ventr. 154, * 241 *ſeq.*

82 ff. de jur. dot. 154, * 242

1 §. 14 ff. de agn. & al. lib. 154, * 242

3 §. 1 ff. ubi pup. educ. 154, * 243

15 §. 1 ff. quando dies leg. 154, * 243

9 ff. de ſerv. export. 154 *, 243

28 §. 1 ff. de lib. leg. 154 * *ſeq.* 243 *ſeq.*

100 §. 3 ff. de Leg. 3. 155 *, 244

17 §. 1 ff. de adopt. 155, * 245

9 §. 1 ff. de fund. dot. 155, * 245

5 §. 3 ff. de extr. cogn. 156 *, 245

3 §. 2 ff. naut. caup. 156, * 246

18 ff. de V. O. 236, 238

1 §. 3 ff. depoſ. 238 *ſeq.*

21 §. 3 *ff. quod met. cauſ.* 240
67 *ff. de proc.* 240
183 *ff. de V. S.* 246
6 *Cod. Theod. de Sepul. viol.* 499
Legum *naturæ definitio* 455
ratio unde petenda? 438
Lelandi (*Johannis*) *vita.* 150
Lentes *cauſticæ veteribus cognitæ.* 209
Lentium *majorum effectus ſingulares.* 466
proprietates. 464
Leonis III. *Pont. in Carolum M. affectus.* 31, 32
Leopoldi I *Imp. ſtudium legendi Acta Sanctorum.* 384
De Leunclavio *judicium Iſ. Caſauboni.* 188
Leydeckeri (*Melch.*) *de Republ. Hebr. Tomus II & III promiſſus.* 272
Libatoria *vaſa deſcripta.* 326
Libertas *mechanice explicari num poſſit?* 460
Libidinis *compeſcendæ ratio plane ſingularis.* 387
Libra *pretium mercis indicans.* 15
Libri *in Ruſſicum idioma translati.* 140
Librorum *apud Arabes cultus ſingularis.* 153
De Libris Symbolicis *Eccleſiæ Lutheranæ judicium P. J. Speneri.* 30
Ligius homo *unde dictus?* 381
Lignum *in mineram ferri mutatum.* 425, 484
Ligni *pori aerem transmittunt.* 80, 81
Limnæus *laudatus.* 251
De Linda (*Lucas*) *plagii accuſatus.* 250
Lindebrogius *inſignis plagii accuſatus.* 289
Linguæ *diverſæ in eodem numo quid notent?* 53
Linus II *Pont. exploſus.* 386
Lipſius (*Juſtus*) *caſtigatus.* 192
Liquatio *ut fiat?* 414
quid? 424
Londinum *unde dicta?* 95
Londorpii *Actorum Publicorum editio optima.* 251
De Longævitate *Patrum ante diluvium ſententia ſingularis.* 294
Lotharius *cur Pius dictus?* 32
In Lucanum *propenſio H. Grotii.* 417
Ludi *in Gallia prohibiti.* 203
Ludolfi (*Jobi*) *vita.* 263 *ff.*
Ludovicus I *Imp. num Pius demum poſt mortem dictus?* 32
II *Imp. cur Pius dictus?* 32

Ccc 2 De

De Ludovico S. *Hungariæ Rege varia.* 393
De Lullo (*Raymundo*) *varia.* 397
Luminis *phænomena.* 459
Lunulæ *Hippocratis tetragonismus analytice demonſtratus.* 16
Lupi *quo tempore adhuc fuerint in Anglia?* 88
Lutherus (*Mart.*) *a Perizonio notatus.* 285
Lutheranos *&* *Calvinianos inter concordia num ſperanda?* 285 *ſeq.*
Lycanthropiæ *fraus.* 261
Lyricæ *Poeſeos origo.* 117
uſus apud Hebraos. 117
Græcos. 117
Romanos. 118
Gallos. 118
Lyſerus (*Polycarpus*) *num fuerit Miſſionarius?* 128
Lyſſon *Deus.* 157

MAbillonius (*Joannes*) *emendatus.* 32, 275 *ſeq.*
Macula *quid?* 302
Magdalena *num unica in S. Scriptura?* 283
Magia *exploſa.* 259 *ſeq.*
De Magicis *libris judicium.* 260
Magiſter (*Thomas*) *commendatus.* 105
Magiſtratus *num ſit immediate a Deo?* 401
In Magliabechium (*Antonium*) *numisma recenſitum.* 329
Magnetis *vis directiva, attractiva & communicativa.* 139
Magneticæ *acus delineatio.* 207
Magni (*Johannis*) *Chronicon.* 264
Mahomet *vide* Mohammedes.
Majoris (*Joannis*) *Carmen* Synodus. 288
De Malherba (*Franciſco*) *judicium.* 118
Manichæus *an Mannichæus dicendum?* 3, 4, 76 *ſeq.*
Mannæ *analyſis.* 248
vocis origo. 296
Marcianus *Siciliæ Apoſtolus.* 158
primas Siciliæ. 159
B. Mariæ *cultus ſuperſtitioſus exploſus.* 442
Mariæ Thereſiæ *renunciatio in Hiſpaniam cur nulla?* 150 *ſeq.*
Maris *dominium.* 92, 232
De Marolles (*Michael*) *verſio Gallica Bibliorum publicari prohibita.* 433
Mars *Belatucadrus Angliæ olim dictus.* 95
De S. Martiali *varia.* 396
Martini (*Raymundi*) Pugio fidei *laudatus.* 403
Martini *inter Pontifices quot?* 33
Maſius *notatus.* 430
Maſſæ *definitio.* 78

Mathe-

Materia *mere paſſiva.* 455
Mathematica *intellectum perficiunt.* 487
Mathematica *inſtrumenta deſcripta.* 15
methodus expoſita. 487
Mathematici *Scriptores recenſiti.* 484
Matheſis *clavem naturæ ac artis continet.* 488
Matrimonii *myſterium.* 149 *
leges apud Gallos. 150 *
Maximilianus I *Imp. num matrimonium cum Anna Britannica conſummaverit?* 21
Mazarinus (*Jul.*) *malæ fidei inſimulatus.* 522
Mechanica *vere practica ubi tradatur?* 489
Mechaniſmi *inſufficientia num probet exiſtentiam Dei?* 460
principia unde derivanda? 461
Medicamentorum *quantitas & qualitas ut ex pulſu ægri invenienda?* 10
Medicinæ *hiſtoria.* 211
Mediobarba (*Franciſcus Biragus*) *laudatus.* 378
Μέγας *pro adultiore.* 71
Memoriam *conſervandi apud Arabes remedium?* 153
Menſes *Paphiorum.* 55
Methodus *medendi ex pulſus theoria ut inſtituenda?* 9
præcepta. 215
Metropholeos *titulus num Halicarnaſſo competat?* 52
Metropolitanæ *Eccleſiæ in quibus urbibus inſtitutæ?* 159
Micrometra *deſcripta.* 464 *ſeq.*
Micrometrum *novum.* 312, 465
extra tubum uſurpandum. 465
Militaris *Codex Gallicus.* 201 *ſeq.*
Miltonus (*Joannes*) *repudiatis ſex uxoribus famoſus.* 175
Miraculum *falſum quid?* 157
Mirandulani (*Jo. Pii*) *elogium.* 377
De Miſſa *Eccleſiæ Gallicanæ, veteris & modernæ, ſententiæ diverſæ.* 202
Miſſionarius *quis dicendus?* 129
Modii (*Franciſci*) Pandectæ Triumphales *commendata.* 250
Mohammedis *dicta quædam.* 153, 154.
De Mohammede II *ſingularia.* 271
Molerii *in ſatyra licentia.* 254
Monogrammata *quædam nummorum explicata.* 30 *ſſ.* 53, 55, 61, 62.
Monogrammatum *uſus quando invaluerit?* 31
Montfauconius (*Bernardus*) *refutatus.* 114 *ſeq.* 282

Morbus *eſt motus naturæ.* 214
craſſus quis? 308
Morbi *cur in hominibus frequentiores quam in brutis?* 203
Morborum *diagnoſis ex pulſu.* 8
cauſa. 203, 214
Hiſtoria Uratislaviæ 1702 graſſatorum. 305
De Morerii (*Ludovici*) *Lexico judicium.* 146
De Mori (*Henrici*) Antiachæismo *quædam.* 289 *ſeq.*
Mortariorum *ſtructura & uſus.* 489
Mortium *improviſarum cauſa.* 157
Moſes *defenſus.* 480
Motus *perpetuus num detur?* 456
vertiginis Jovis. 209
Motus *tonici, ſpaſtici & convulſivi differentia.* 212
leges. 455
conſervatio unde? 456
ſpontanei animalium mechanici. 460
Mugellæ *urbis antiquitas.* 317
De Mullero (*Andrea*) *judicium.* 289
Mundus *ut fuerit productus?* 454, 459
num fuerit ab æterno? 460
Muniendi *methodus mechanica.* 354
Munimentum *inexpugnabile.* 141
Muſæum *Soc. Jeſu Romæ inſtauratum.* 325
Muſica *curat febrem auctam cum delirio.* 207
Myſterium *fidei in conſecratione calicis quod?* 57
NArbonenſis *Gallia numorum ferax.* 54
Natura *omnium operatur mechanice.* 461
Naturæ *definitio.* 455
leges. 455
Naudæi *(Gabr.) libri* le Maſcurat *raritas.* 253
De Naudæi (*Gabr.*) *libello contra Benedictinos judicium.* 281
Navigabilia *ut reddi poſſint flumina.* 141
Nazianzeni (*Gregorii*) *Carmina anecdota vulgata.* 494
Nicodemi *(Franciſci) obitus.* 535
De Nierembergii(*Jo.Euſ.*) *libris VI* de Arte voluntatis *judicium.* 290 *ſeq.*
Novella I *fuſius illuſtrata.* 562 *ſſ.*
Nubes *ante diluvium nullæ.* 63
Numi *aliquot explicati.* 22 *ſſ.* 52 *ſſ.*
plumbei num rari? 115
quem uſum veteribus præbuerint? 115
Numorum *apud veteres quis uſus?* 62
Nutricis *bona requiſita.* 160

Ocu-

Oculorum *Phyllidis in Aſtra metamorphoſin quis ſcripſerit?* 122
Oliergii *Domini.* 182
Omeiſii (*Magni Dan.*) *Vita* 304
Opitii (*Henrici*) *Commentarius Criticus & liber de notis Keri & Cetibb promiſſus.* 38
(*Pauli Friderici*) *de Maſora magnum opus promiſſum.* 38
Opticæ *praxes explicatæ.* 489
Orbitello *oppidum Italiæ a quo exſtructum?* 376
Ordinum *Architectonicorum principia explicata.* 491
Origenes *num autor Philoſophumenon?* 166 *ſq.*
Oſnabrugenſium *in Franciſcum Wilhelmum Epiſcopum odium.* 524
Oſſium *Deſcriptio exacta.* 136

Pacis *Weſtphalicæ arcana detecta.* 517 *ſq.* 522 *ſq.*
Pagani *Petræ Sanctæ monimentum ſepulchrale illuſtratum.* 115
Pancratius *Siciliæ Apoſtolus.* 158
Pandectarum *codicis Florentini hiſtoria.* 237
nova collatio promiſſa. 468, 533
Papæ *auctoritas in Anglia quando primum labefactata?* 226
electio turbata. 228
arrogantia. 228
Papæ *nomen unde?* 31
quibus olim conceſſum? 31
Pappus *autor* Epitomes rerum Germ. 252
Paſſerum *Canariorum indoles.* 492
nidus. 493
paſtus. 493
Pateracina *vox apud Petronium explicata.* 383
Patinus (*Carolus*) *notatus.* 23
De Patini (*Guidonis*) *Epiſtolis judicium.* 253
oris cum Cicerone ſimilitudine obſervatio. 416
ingenio jocoſo ſpecimina. 417 *ſeq.*
S. Paulus *Apoſtolus quo anno fuerit naufragium paſſus?* 151
S. Pauli *ad Senecam Epiſtola ſpuria.* 197
De S. Paulo *ſingularia.* 395
Pauli III *Pont. eruditio.* 377
ſuperſtitio. 377
Paupertas *Principum initio Seculi XVI unde?* 286
Peliſſon (*Pauli Fontanier,*) *ingenium præcox, fata & obitus.* 122
Pennæ *pretioſitas.* 153
Pentateuchus *totus num a Moſe ſcriptus?* 294
Perfectio *quid ſit?* 490
Perſpectiva *practica.* 309
Perſpicuitas *ut obſervetur?* 490
Peſtis *Polonicæ deſcriptio.* 219

Peſtis

Digitized by Google

Peſtis *in Java majore plane ignota.* 166
Peſtilentiale *elixir Schœnbergeri.* 218
Petrarchæ (*Fr.*) *Poematum nova editio promiſſa.* 534
S. Petrus *num inter Apoſtolos dignitate primus?* 167
Petri *Apoſtoli in Siciliam adventus.* 159
De S. Petro *ſingularia.* 395
Petronius (*T. Arbiter*) *quando vixerit?* 381
num ſtylo ſcripſerit obſcæno? 382
Philippus *Sabaudiæ Dux quando mortuus?* 89
Philonis *locus explicatus.* 475
Philoſophiæ *practica hiſtoria.* 174
Philoſophumenon, *quæ Origenis vocantur, verus autor.* 166 *ſq.*
Photii *Bibliotheca notata.* 192
Phyſica *experimenta deſcripta.* 138
Phyſico *ſtudio quænam præmittenda?* 139
Phyſiologiæ *fundamenta.* 212
Piccolominæi (*Franciſci*) *epitaphium.* 379
Pii III *Pont. de morte ſua præſagium.* 378
Pipæ *fœtus e dorſo emergunt.* 484
Plagiarii *exemplum inſigne.* 289
Planetæ *vi ſemel impreſſa non moventur.* 456
Planetarum *motus.* 455, 457
De Plantis *Americanis obſervata.* 132 *ſeq.*
Platinæ *inventarium Bibliothecæ Sixti IV.* 247
Plethonis *Chorographia Theſſaliæ ψευδεπίγραφος.* 192
Plinii *patria.* 72
Hiſtoria Naturalis commendata. 417
Pocockius (*Eduardus*) *notatus.* 429, 430
Contra Podagram *remedium radix Cervariæ.* 307
Pœnæ *loco quid pœnitentibus a Confeſſionario injungendum?* 440
Poetæ *quidam antiqui laudati.* 64
ad veram hiſtoriam texendam num apti? 64
Poetarum *Provincialium vita.* 555
De Poeſi *Ebraica Epiſtola.* 529
Poiſſon *laudatus.* 122 *ſeq.*
De Politiani (*Angeli*) *collationibus Digeſtorum judicium.* 236
Polybii *cum Livio comparatio.* 193
ſtylus. 193
S. Polycarpi *Acta cur ſuppoſititia?* 335
Pontificiorum *ſuperſtitio in articulo mortis damnata.* 201

De Pos-

De Poſſevino (*Antonio*) *judicium.* 192
Præcipitatio *ut fiat?* 415, 425
De Poſtarum *Jure Autores collecti.* 300 *ſeq.*
Præceptorum *apud Arabes veneratio.* 153
Præſervatoriæ *curæ vernales.* 308
Praxis *Clinica.* 410
Praxes *Architecturæ militaris explicata.* 354
Mechanicæ explicata. 489
Opticæ explicatæ. 489
Principi *num liceat reſiſtere?* 514
Proæreſius *Rhetor laudatus.* 495
Prognoſis *ex pulſu.* 8
Prophetæ *V. T. ut vaticinia ſua publicaverint?* 294
In Prophetas *Minores Commentarius Polyc. Lyſeri commendatus.* 126, 131 *ſeq.*
Providentia *Dei probata.* 479
Provinciæ *Comitatus num ſpectet ad Imperium?* 88
Pſalmorum *autores diverſi.* 293
Ptolemæi *Mauritani numi.* 54
Pulcra *cur videantur quæ non ſunt?* 490
Pulcritudinis *definitio realis.* 490
ædificiorum deſcritio. 491
Pulſus *humidus vel ſiccus num deprehendatur?* 5
Pulſus *naturalis uſus.* 5, 6
excedens & deficiens quis? 7
varietatis cauſa. 7
exploratio ut inſtituenda? 8
Pulſuum *horologium Medicum.* 4
Pulveris *pyrii præparatio & examen.* 489
Putei *Perſpectivæ Germanice verſa.* 309.

Q

Quadratura *Lunulæ Hippocratis analytica.* 134
circuli a quibus fuerit tentata? 527

R

Radices *plantarum cur deſcendant?* 249
Radii *luminis quid?* 459
Solares vim percutiendi habent. 207
Rakotzia *gens cur in crypta quieſcere non poſſit?* 393
Rami *arborum ſuperflui quando amputandi?* 135
Ratio *humana ſuos habet limites.* 461
Rationes *dimenſionum in Architectonicis quænam pulcræ?* 451
quomodo determinentur? 451
In Raucitate *venæ ſectionis utilitas.* 308

Digitized by Google

Ravennatium *Pontificum vita.* 330 *ſq.*
Reflexio *luminis unde?* 459
Regis *nomen tributum Pratori Siciliæ.* 160
Regulæ *uſus explicatus.* 142
Regum *Libri ut compilati?* 293
Reineſii (*Thomæ*) *in C. Stephani Dictionarium notæ anecdota.* 289
Religio *defenſa.* 477
Religionis *Chriſtianæ veritas aſſerta.* 154, 403
naturalis principia Philoſophica. 454
reformatio cur tantos habuerit ſucceſſus? 284
Reſiſtentia *trabium.* 209
medii. 209
Reticulum *novum pro obſervandis Eclipſibus.* 312
De Rieden *vide* Volmarus.
De Ripamontii (*Joſephi*) *Hiſtoria Mediolanenſi judicium.* 253
Robertellus (*Franc.*) *caſtigatus.* 192
Roma *num Pontificibus olim an Imperatoribus obnoxia?* 30
Romulus *Fabularum autor quis?* 93
Rubei (*Hier.*) *Hiſtoria optima editio.* 335
De Rubeo (*Hier.*) *judicium.* 335
Ructare *vox unde?* 308
Ruinarti (*Theodorici*) *de Opere Mabilloniano de Re Diplom. merita.* 274 *ſeq.*
Ruſtici *idiomatis correctio moderna in quo conſiſtat?* 140
Du Ryer (*Petrus*) *ſcriptor mercenarius.* 121

SAcheverell (*Henrici*) *vita.* 516
Sacrilegii *puniti exempla.* 445 *ſeq.*
Salerni (*Petri*) *Vita Sanctorum Siculorum.* 156
Salivæ *eſſentia Chymicorum arcanum.* 265
Ex Saltatione *accita febris.* 267
Saltationes *damnatæ.* 441
Salvinius (*Ant. Maria*) *laudatus.* 468, 494, 533
Samaritana *Bibliorum verſio.* 431
an Hebræa lingua primæva? 294
Σαμαριτικὸν *quid fuerit?* 431
Sanchuniathonis *hiſtoria num genuina?* 281
Sanevremontii (*Caroli*) *fata & obitus.* 121
Sanguinis *motus proportio.* 6
circulus vigeſies intra horam abſolvitur. 6
circulationis uſus triplex. 6

San-

Digitized by Google

Sanguinis *matris & fœtus circulatio fit per placentam uterinam.* 247
Sapieha (*Jo.Stanisl.*) *pater & filius laudati.* 188
Sapientiæ *libri num autor Salomon?* 294
Satyra *quid?* 119
Varroniana ſeu Menippea. 119
Satyræ *nomen unde?* 119
origo apud Romanos. 191
Saxoniæ *Principes literarum fama celebres.* 373
Sbaraglia (*Jo.*)*Hier. obitus.* 535
Scanderbegi *vitæ ſcriptores.*270
res geſta deſcripta. 270 *ſſ.*
De Sceptro *Juda controverſia.* 234 *ſeq.*
Schemhamphoraſch *quid?* 405
Scheuchzeri (*Joannis*) *Opus Agroſtographicum promiſſum.* 176 *ſeq.*
De Schultingii *Bibliotheca Eccleſ. judicium.* 282 *ſeq.*
Scioppii (*Caſp.*) *libri rariores recuſi.* 255
Scorpionum *forma qualis?* 295
Scoti *αὐτόνομοι ſed Angliæ ſubjecti.* 90
num Papæ obnoxii? 91
Scriptorum *Eccl. vitæ.* 220
Scripturæ *S. Summaria.* 406
Dialectica explicata. 420
Scripturæ *S. depravatio num a librariis profecta?* 530
Scripturæ *S. loca illuſtrata.*
Gen. I,25. 56
III,14,15. 341 *ſeq.*
IV, 9,10. 404
XXIII,13. 474
XLIX,10. 63,234,340
Exod.XV, 18. 475
Deut.VI,4. 125
XIV,5,13. 295
XXI,18. 176
XXVIII,22, 340
Jud.XI,35 474
1 Reg.V, 18,19. 174
VIII,10. 176
XXI, 2 ſeq. 176
2 Reg. II,10 64
4 Reg. VII, 25. 295
Eſra IX, 8. 294
Hiob.XXIX, 10. 295
XXXIII,30,31. 345
Pſalm. LVIII, 5. 295
CIII,12. 56
CXXIII, 4,5. 56
Prov. XVI,11. 295
Cant. I, 2. 109
IV, 10. 109
Eſa. XIII,21. 296
XIV,19, 20, 21. 405
XXIV, 11, 12. 372
13, 14. 365
XXXIV,14. 296
LX,30. 108
Jer. IX, 26. 64
L, 39. 296.

Digitized by Google

Ezech. XVI, 9, 10. 109
XX, 37. 475
XLV, 11. 65
Dan. XI, 45. 65
Amos IX, 6. 476
2. *Maccab.* IV, 12. 194
Matth. I, 1. 66, 124
18. 124
III, 15. 124
V, 7. 108
19. 124
23. 109
VI, 11. 125
16. 194
34. 124
VIII, 17. 125
X, 27. 293
XI, 13. 410
XII, 40. 295
45. 125
XIII, 43. 108
XVI, 28. 109, 125, 126
XVII, 23. 59
Marc. V, 9. 125
IX, 18. 193
X, 38. 56
XII, 28. 125
Luc. I, 28. 193
II, 2. 66
14. 303
XI, 12. 295
XII, 32. 372
50. 56
XVI, 8. 124
XXII, 25. 65
Joh. I, 9. 345
III, 5 *ſeq.* 297
Joh. V, 39. 194
VIII, 25. 505
Act. XXVIII, 7. 159
Rom. IX, 5. 282
XV, 14. 200
1 *Cor.* III, 15. 193
XV, 29. 56, 481
2 *Cor.* XII, 2. 193
Gal. II, 9. 367
1:. 68
IV, 25. 422
Phil. II, 30. 193
III, 10. 423
2 *Tim.* II, 16. 193
Tit. I, 10. 366
1 *Petr.* I, 19, 20. 57
II, 18. 422
1 *Joh.* II, 18. 366
Ebr. IV, 13. 193
XII, 1. 104
Scripturæ *S. claritas aſſerta.* 155
Scripturam *S. interpretandi regula fundamentalis.* 492
Scrutinii libertatis Venetæ *autor quis?* 43, 253
Seckendorfii (*V. L.*) *ſynopſis Juris Publ. commendata.* 252
Sectionum *Conicarum magni arcus quomodo deſcribantur.* 208
Semo *olim idem qui Hercules.* 116

Sepiæ

Sepiæ *racemus ovorum.* 248
Sepulcra *Chriſtianorum num olim fuerint in templis?* 334, 499
intra urbes num olim probibita? 499
De Sepultura in templis *Diſſertatio.* 499
Serpentes *ignei.* 295
De Serveti (*Michaelis*) *Operibus ſingularia.* 281
Sibylla *Sicula.* 157
Sicilia *Evangelium quando acceperit?* 158
Papa a Ludovico Pio donata. 148*
Siculum *mare num ſub Adriatico comprehendatur?* 159
Sigillorum *in Bullis Papalibus ratio.* 89
Sionitæ (*Gabrielis*) *verſio Bibliorum Latina qualis?* 482
Siri (*Victoris*) *Opera ubi impreſſa?* 251
Siringius (*Petrus*) *quis?* 253
Sirmondus *laudatus.* 499
Smidlinus (*Jac. Andr.*) *notatus.* 285
Socialitatem *num fundamentum Juris Nat. poſuerit Grotius?* 409
Societas Jeſu *frugifera a quo inſtituta?* 40
bonorum inter conjuges paſſim in Gallia recepta. 150*
Sol *quale corpus.* 459
Solares *radii vim percutiendi habent.* 134
Solis *ſtatio in ſacris ut concipienda?* 492
Diameter apparens quanta? 467
Solutio *ut fiat?* 425
Sonus *experimento illuſtratus.* 139
Spanhemii (*Ezech.*) *Tomus alter* de præſtantia numismatum *promiſſus.* 107
Sphæræ *ad cylindrum circumſcriptum proportio.* 161
Sphæricæ *ſuperficiei ad circulum maximum proportio.* 161
ad ſuperficiem coni inſcriptibilium maximi proportio. 164
Spica *deglutita ex tumore circa hypochondrium ſiniſtrum extracta.* 137
Spirituum *exiſtentia probata.* 478
Stahlii *principia Medica.* 212
Stellæ *fixa quid?* 459
Sterilitati *quis Sanctorum mederi potuerit?* 390
Stichometria *unde?* 469
Stomachica *ſyncope mortis ſubitaneæ cauſa.* 157, 158
Strabismi *cauſa.* 307
Strozza (*Laurentia*) *ob eruditionem laudata.* 379

Strozzæ (*Caroli*) *elogium.* 379
Strozzius (*Petrus*) αὐτόχειρ. 379
Sublimatio *ut fiat?* 415, 425
Suſpendio *necatorum ſcriptorum exempla.* 188
Symbola *in numis quotuplicia.* 56
Symbolicorum *librorum vindiciæ.* 446
Syncope *ſtomachica mortis ſubitaneæ cauſa.* 157, 158
Syneſius *illuſtratus.* 483
De Syniſactis *&* *Agapetis Diſſertatio.* 498
Synodus *Carmen Jo. Majoris.* 288
Syriacæ *verſiones Bibliorum.* 430
Syriaci *codicis Altdorfini deſcriptio.* 435

T *in inſcriptionibus Romanis quid?* 25
E Tabernæ (*Jo. Bapt.*) *ſynopſi Theol. Pract. propoſitiones quædam damnatæ.* 443
Tanneri (*Thomæ*) *nova ſcriptorum Angliæ hiſtoria promiſſa.* 149
Taſſi (*Torquati*) *paupertas.* 417
Temo *cui Deorum tribuatur?* 527
Templariorum *perſecutio.* 226
Tenere *ſcriptoribus Eccl. quid?* 302
Terentii *nomen unde?* 199
Terræ *motus in Sicilia Chriſto moriente.* 158
Tertullianus *notatus.* 75
Textura *pannorum quando primum in Angliam invecta?* 232
De Theatro Europæo *judicium.* 251
Theodorus *Mopsveſtenus Interpres dictus.* 430
Theologiæ *Moralis prima elementa.* 173
S. Theoſebia *quæ?* 496
Θεοτόκȣ *appellatio Mariæ quando tribui cœpta?* 470
Thomaidis *vita S. Febroniæ inter ſpuria relata.* 384 *ſeq.*
Thomas Magiſter *laudatus.* 105
Thomaſius (*Jac.*) *laudatus.* 289
Thuanus (*J. A.*) *in rebus Scoticis notatus.* 188
De Thuani (*Jac. Aug.*) *continuatione judicium.* 251
Operum editionibus Tractatus. 256
Hiſtoria ſingularia. 291
Thucydides *notatus.* 64
defenſus. 64, 72
Ti *in inſcriptionibus Romanis quid?* 25
Tikkun Sopherin *Hebræorum quid?* 531

Tira-

Tiraquelli *fœcunditas.* 418
Titius (*Jo. Petrus*) *notatus.* 256
Tolandus *inter Atheos relatus.* 476, 477
notatus. 479
Tonitru *geneſis.* 204
De Tonnerre (*Clementius*) *Poeſi in Academia Gallica pretium conſtituit.* 121
Tormentorum *ſtructum & uſus.* 459
Tournefortii (*Joſephi Pittonis*) *elogium.* 210
Itinerarium promiſſum. 123
obitus. 123
Tragœdiæ *origo.* 117
Tragœdiæ *exploſæ.* 441
Tributum *ævo Conſtantiniano quid?* 61
Tripus *Apollini ſacer.* 326
Triſſotinus *apud Molerium quis?* 121
Trivultia (*Damigella*) *ob eruditionem laudata.* 78
Trivultii (*Jo. Jac.*) *epitaphium.* 378
Trivultiorum *inſignia.* 378
Tubi *optici ut contrahendi?* 467
Tuborum *Aſtronomicorum proprietates.* 464
Turpilianæ (*Petroniæ*) *gentis inſignia.* 56

VAcuum *aſſertum.* 12 *ſ.* 456
impugnatum. 78, 79
ad motum neceſſarium. 455
Valckenerius (*Petrus*) *laudatus.* 251
Valvre (*Sebaſtiani*) *elogium.* 223
Vaporum *elevatio unde?* 415
Varillaſius *caſtigatus.* 41
Vaſa *libatoria deſcripta.* 326
Vaticanus *Codex τῶν LXX qualis?* 431
De Vaugelas (*Claudii Fabri*) *penſio annua, paupertas & obitus.* 123.
De Vaugelaſii (*C. F.*) *verſione Curtii judicium.* 418 *ſeq.*
Venus *Genitrix in nummis quæ?* 66
Veneris *Erycinæ templum in Sicilia quando collapſum?* 158
In Venetos *quid animaverit Fœderis Camerıcenſis ſocios?* 41 *ſeq.*
Verderius (*Antonius*) *notatus.* 432
Verſio *vulgata e fontibus emendanda.* 294
Verſionis *V. T. LXX vindiciæ utilitas adſtructa.* 474

Virgi-

Virginum *vetularum hariolos olim conſulentium conſuetudo.* 107
Vis *aliena Teſſæ Chymicis quid?* 265
inertia corporum aſſerta. 455
attractrix materiæ aſſerta. 412,413,458
exploſa. 412, 413
Vires *motrices aſſertæ.* 489
ut machinis applicandæ? 489
Virgilii *horti magici.* 387
Vita *quid?* 212
Viterbienſis (*Gottfridus*) *notatus.* 160
Vitrificatio *ut fiat?* 414
De Vives (*Jo. Ludovici*) *Operum Editione judicium.* 291
Volmari *(Iſaaci)* L. B. de Rieden *Vita.* 523
Vortex *Leibnitii harmonice circulans impugnatus.* 457
Vortices *Carteſii notati.* 456
Voſſius *(Gerb. Jo.) notatus.* 331
Voſſius (*Iſaacus*) *notatus.* 429,430
Urnæ *cinerariæ cujus olim fuerint menſuræ?* 115
Vulpes *cur dicti Piſani?* 377

WAckeria (*Maria Helena*) *ob eruditionem laudata.* 289
Waltonus *notatus.* 431,436
Weleſlavinius *Genealogus laudatus.* 388
Winckelmanni (*Jo. Juſti*) *Annales Haſſiæ promiſſi.* 252
Wineri (*Chriſtophori*) *vita.* 356 *ſeq.*
Wolfii (*Jo. Chriſtoph.*) *libri quidam promiſſi.* 105, 196
Woodwardus *notatus.* 86

XEnophon *notatus.* 64
defenſus. 64

ERRATA.

Pag. 302 lin. 3 lege *prælegerat*; *pag.* 377 lin. 8 lege *capiendis*; pag. 378 lin. 30 lege *eousque*; pag. 379 lin. 9. lege *ſeptennis*; pag. 382 lin. 5 lege *Petri Burmanni*; pag. 495 lin. 16 lege *decimum quintum* & lin. 33 lege ἀλλ̓ ῥεός.

Digitized by Google

Digitized by Google

Österreichische Nationalbibliothek
+Z165787802
Digitized by Google

Digitized by Goo

Digitized by Google